DOMUS PROPITIATIONIS PAUPERIS SIVE PATROCINIUM MARIAE DEIPARAE AUCTORE...

Frans : van Hondeghem


Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
30 K
9

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Domus
PROPITIATIONIS
Pauperum
Siue
Patrocinium
MARIÆ
DEIPARÆ
Authore R.P. FRANCISCO DE HONDEGHEM
Ord. FF. Min. Recollect.
Bruxellis,
ex Officina FRANCISCI VIVIEN M.DC.LV.

Digitized by Google

DOMUS PROPITIATIONIS
PAVPERIS,
SIVE
PATROCINIVM MARIÆ DEIPARÆ.

AVCTORE

P. F. FRANCISCO VAN HONDEGEM,
Flandro, Haſebroucano, Minore Recollecto, Provinciæ
S. Ioſeph in Comitatu Flandriæ.

Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Proverb. 8.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

S. Marię in Camp.lo  Cong.nis Matris Dei

BRVXELLÆ,
Ex officina FRANCISCI VIVIENI ſub ſigno boni Paſtoris,
M. DC. LV.

DIVÆ MARIÆ MAIORI;
PATRIS CÆLESTIS FILIÆ;
SPIRITVS SANCTI SPONSÆ;
DEI GENETRICI SEMPER VIRGINI,
NVMQVAM NON IMMACVLATÆ,
IN CONCEPTU, ORTU, PROGRESSU, EXITU,
VIRTVTVM OMNIVM LVMINARI;
CÆLESTIVM, TERRESTRIVM, INFERORVM REGINÆ,
FIDEI ORTHODOXÆ PROPAGATRICI;
CATHOLICÆ REIPVBLICÆ PROTECTRICI;
HÆRESVM EXPVGNATRICI;
SATANÆ DOMITRICI;
MISERICORDIÆ PARENTI;
SERAPHICI, OMNIUMQVE ORDINVM TVTELARI;
URBIVM, PROVINCIARVM, REGNORVM,
RECTORVM; PLEBIS, CLERI SIBI DEVOTORVM
PATRONÆ AC VINDICI OPT. MAX.

Tibi, inquam, ô Domina, hoc de Te triforme præconium (afflante Tuo formatum Numine, meo, etſi rudi ac inconcinno, conſcriptum ſtilo) refundo bonum, quidquid eſt, dico, conſecro; ſicut & me totum, quod ſum, poſſum, valeo. Tu, quæ es pietate ſemper prædita, pauperis ac modici FRANCISCI de CANISVILLA, *Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum minimi, minuta æqui boniq́ue conſule, ac proſpera. Illapſum humanæ nebulæ pulveriſque vitium, potentia luce, gratia abſterge*

Tua, illuſtra, perfice. Ex quo enim vox illa Dilecti tui, Meliora ſunt ubera tua vino, fragantia unguentis optimis; *continuò aures meas reverberat, intimaque ægri cordis mei viſcera demulcet, fiducia mihi magna in Te eſt*, ô Diva Magna. *Quid enim multùm imbecilli, quid valde languido, quid letaliter ſauciato, quid demum undequaque calamitoſo obtingat beatius, quàm officina cæleſtibus medicamentis mala quævis, vel levare vel tollere potentibus, inſigniter inſtructa, quàm inſuper apprimè expertus dirigat medicus, uſque adeò benevolus, ut ſupplicibus pauperibus omnia donet gratis. Tu, ô ſanctiſsima* Ieſu *omnipotentis ac piiſsimi medici parens, ſingulare unguentorum cæleſtium redundans, miſeransque armarium es, nec pretium aut commutationem exigens, quæ gratis accepiſti, gratis diſtribuis. Duo omnino poſt lapſum primi hominis miſeræ mortalitati ac mortali miſeriæ deerant, unguentum nempe divinum, ac materna pietas. Tu utrumque in orbem terrarum cum puero tuo feliciter invexiſti, quorum captus odore cæleſtis ſponſus Te ad amplexus ſuos invitans, dicit* : Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. *In unguento ſignatur remedium; in uberum fragrantia Materna pietas. Hinc magnus quidam & fidelis ſervus tuus ſuper Cantica Canticorum ſcribens, ejusque magnalia tibi applicans, producit in medium illud Proverb.* Cerva chariſsima, & gratiſsimus hinnulus &c. *Quatenus unum per aliud magis innoteſcat.* Habet, *inquit*, pia Mater ſpiritalia ubera, quibus nimirum datum eſt adoptivos fratres filii ſui ſpiritualiter enutrire, & de his quidem uberibus ejus poteſt intelligi, quod in Proverbiis dicitur : Cerva chariſsima, & gratiſsimus hinnulus, ubera ejus inebrient te omni tempore, & in amore ejus delectare jugiter. Cerva enim chariſsima eſt, quæ habet gratiſsimum hinnulum, Maria ſcilicet, quæ peperit Iesvm. Cerva iſta magnorum planè, nobilium-

bilium-

biliumque cervorum filia eſt, quorum unus: Quemadmodum, *inquit*, deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Magnus itidem nobiliſque cervus fuit Abraham, à quo exorſus eſt magnorum ſucceſsiones cervorum, dixitque Matthæus uſque ad cervam chariſsimam, de qua natus eſt hinnulus gratiſsimus, ideſt, uſque ad MARIAM de qua natus eſt IESVS, qui vocatur Chriſtus. Vbera, *inquit*, ejus inebrient te omni tempore, & in amore ejus delectare jugiter. Bis dicitur ejus; unum refert ad cervam chariſsimam, alterum verò ad gratiſsimum hinnulum, *ſic*: ubera ejus, *id eſt*, cervæ chariſsimæ, inebrient te omni tempore, & in amore ejus, *id eſt*, gratiſsimi hinnuli delectare jugiter: nempe parum eſt amare gratiſsimum hinnulum, niſi in amore ejus delecteris, cum ſit & amor crucians magis, quàm delectans. Plenum eſt uberibus maternum illud pectus, intus & foris: foris quidem habet duo ubera, quibus pro tempore pia Mater aluit filium Dei: intus item duo ubera habet ad alenda membra ejus; unum compaſsionis, alterum congratulationis: ut enim eorum infirmitatibus maternè compatitur, ſic eorum profectibus congratulatur: non quod noſtris tribulationibus perpetuas ejus, quibus fruitur, delicias minuamus; vel bonis noſtris quibus utique non eget, beatitudini ejus addere valeamus, ſed ipſam nobis compati, eſt in preſſuris quas patimur, gratiam nobis conſolationis à filio impetrare; & nobi congratulari, eſt profectibus noſtris perſeverantiam & augmentum à filio poſtulare. Cùm ergo infirmitates noſtras piis precibus ſublevat; lactat nos ubere congratulationis; ſic duo ejus ubera, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli. *Hactenus ille. Veriſsi-*

mè

Digitized by Google

mè quidem, & multum eleganter locum interpretatus eſt: ego nihilominus, ſalvâ viri hujus optimi pace, dico, non ibi omnino compati tuam vim miſericordiæ ſuæ exerere, ô MARIA, *quod in preſſuris tribulationum gratiam conſolatiouis clientibus tuis provideas; ſed vel in eo maximè, quod eiſdem in preſſuris delictorum cordis pœnitudinem procures & emendam, morbiſque pravorum affectuum, ſuum cuique antidotum præſtes. Cum enim Mater miſericordiæ nuncuperis, & verè ſis, haudquaquam putandum compati tuum & miſerari, ad unum aut alterum miſeriarum genus ſe extendere, ac verſari, ſed ad omne. Vbi igitur miſeria, ibi illicò tu præſto es, ò Mater miſericordiæ, tantoque promptius, quanto major dolor angit. Plenius ergo alter tuus devotus, eruditionis quoque haud vulgaris, eadem verba,* Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli &c. *Super Cantica commentans in hunc modum exponit: (Rich. à S. Vict. in c. 4. Cant.)* Beata Vigo, *ait*, habet duo ubera geminæ dilectionis lac fundentia, quia reis impetrat veniam, & juſtis gratiam. Quæ ubera ſunt ſicut duo hinnuli capreæ; hinnulos hos poſſumus intelligere Angelos & hominum animas ad regnum jam tranſlatas: qui bene hinnuli dicuntur, quia montem cœleſtis habitationis conſcenderunt, & divinæ contemplationis dulcedine reficiuntur, ſicut hinnuli & alta petere ſolent, & lacte nutriuntur. Hi hinnuli gemelli ſunt capreæ, id eſt, Chriſti, à quo pariter capiunt, & ſugunt lac geminæ dulcedinis, divinitatis ſcilicet, & humanitatis. Caprea enim eſt Chriſtus, quia ſaliit in montibus, & tranſiliit colles, & ita ſaltum dedit in uterum B. Virginis: & de hoc in mundum, & de mundo in cœlum, ubi paſcit hinnulos iſtos, cœleſti lacte. Itaque cùm tam ſancti Angeli, quàm ſanctæ animæ pro peccatoribus ſoliciti ſint, & eis tam meritis, quàm interceſsione ſubveniant, credendum eſt B.

Virgi-

Digitized by Google

Viginem tantum in hoc poſſe, quantum utramque creaturam, imo utraque potior judicatur, quia utraque per hanc reparatur, & Angelorum ruina per hanc reſtaurata eſt, & humana natura reconciliata. *Et pluribus interjectis:* Hinnulorum, *inquit*, velocitati comparatur, quia velocius occurrit ejus pietas, quam invocetur, & cauſſas miſerorum anticipat. Hinnulis verò comparatur, quia dulcedinem bonitatis, quam impendit, ipſa deſuper ſugit. *Denique poſt nonnulla cauſſam fontemq́ aperit.* Sicut enim, *ait*, ubicumque fuerit corpus, congregantur & aquilæ; ita ubicumque fuerit miſeria, tua & currit, & ſuccurrit miſericordia. Adeò replentur pietate ubera tua, ut alicujus miſeriæ notitiâ tacta, lac fundant miſericordiæ, nec poſsis miſerias ſcire, & non ſubvenire. Et quid mirum ſi miſericordia affluis, quæ ipſam miſericordiam peperiſti? Carnalia in te Chriſtus ubera ſuxit, ut per te nobis ſpiritualia fluerent. Cum enim miſericordiam lactaſti, ab eadem miſericordiæ ubera accepiſti. *Sic Rich. à S. Vict.*

Velut ſitibundi hinnuli ad hæc Mariana ubera accurrerunt & pependerunt uterque Ioannes; Baptiſta ſcilicet, natorum de mulieribus maximus; & diſcipulus, quem diligebat I E S V S; *uterque etiam Iacobus, major, minor: item Chryſoſtomus, Auguſtinus, Fulbertus, Bernardus, Franciſcus Seraphicus; Dominicus, alii innumeri; qui omnes ab his lactati, oblectati, & inebriati ſunt. Nihil mirum; filii erant: non gradum hunc mihi arrogo; ſed obſecro tantum, ô benigniſſima Mater, ne ſaltem gratioſum vultum tuum avertas à clamore* Caniſ-vilis *ſupplicisq́; atque ut recordari digneris, quod etiam* (Matth. 15.) *catelli exſpectant, ut ſaturentur de micis ſub menſam filiorum labentibus. Aut benedictus fructus ventris tui*, Num Iudæorum Deus tantum? Nonne & gentium? Imò & gentium, *teſte Doctore*

** *gen-*

gentium Paulo (Rom. 3.) *Si autem Deus; nonne etiam Salvator, atque Mediator? utique.* Apparuit *enim* gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus. *Omnibus, ait idem Apoſtolus, neminem ab ejus gratia & fide excludens, ut omnes ſalvi fiant. Idcirco mox à partu tuo ter beato & ſalutifero conſpicio fores tuas in Bethlehem pulſare, atque admitti, non ſolum paſtores Iudæos adoratores, ſed Ethnicos quoque Magos munerum oblatione veræ fidei ſuſcipi profeſſores, atque benedicti. Super qua tanta dignitate meritò lætandum monet ſancta Mater Eccleſia dicens:*

Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.

Rurſus: Quod Heva triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine,
Intrent, ut aſtra, flebiles,
Cœli recludis cardines.

Quamobrem oculi noſtri ſemper ad Te; propitiare, ô Clemens ô Pia, ô Dulcis Virgo MARIA. *In perfido rabidoſque hoſtes tuos (quorum blaſphemiarum latratus cœlos ipſos laceſſere noviſti) tonare fac,* Foris canes: *clientuli autem tui, à Te, ut olim à Filio Redemptore, Chananæa, ſolaminis audiant verbum, videlicet,* Fiat tibi, ſicut eis. *In principio, verbo* Fiat, *creatus eſt orbis: ipſo eodem* Fiat *à Te prolato, natum eſt* Dei Verbum, *expellens dæmones, ſanans languidos, voce* Fiat *O potentiſſimum, ô dulciſſimum* Fiat; *Eia ergo Advocata generis noſtri feliciſſima, precare,* Fiat *nunc, ſemper, & in noviſſimis noſtris gratia, & ad vitam certò ſervabitur exul, Hevæ filius, mortis reus, ut Te amet, Te laudet, Te glorificet cum Electis in patria.* Tuam quippe gloriam Creator exiſtimat ſuam & tamquam filius in ea exultans, quaſi exſolvens debitum, implet petitiones. *Æternum, ô* MARIA, *cum filio* IESV *Deo Opt. Max. Domino ac Iudice noſtro* Vive, Gaude,

&

Digitized by Google

& conregna Princeps, *ſemper memor Raab & Babylonis ſcientium Te. Amen.*

Carmen ad honorem B. V.

Cernimus ac rerum docet inviolabilis ordo
Plaſma Dei centum quærere quodque ſuum.
Ignis agit ſurſum, tendit gravis unda deorſum:
Deſuper aura volat; terra ſed ima petit.
Sic homo cum ſanctæ TRIADIS *ſit factus imago,*
Hunc animo vigili debet adire ſcopum.
Aſt opus, hoc labor eſt, ſummi quia juſſa neglexit
Numinis, & brutis prodiit adſimilis.
Exin Altitonans, vehementi percitus ira,
Oſtia concluſit firmiter alma poli.
Quin modò pravorum numeroſo crimine victus,
Cogitur humanum ſæpe ferire genus,
Non tamen hinc ſenſus, neque cor mærore labeſcat,
Placatum reddit, Virgo MARIA *Deum*
Qui dedit hanc Divam multis ex millibus unam
Vt reparat damnum, quod tulit Heva ſuis;
Ac humiles animo ſtygii de fauce draconis
Eripiat, reſerans oſtia clauſa poli.
Tantus honos illi cælo manavit ab alto,
Prolis ut æternæ credula facta Parens.
Hanc cole Reginam, ſimul atque precare Patronam,
Centrum, vita, ſalus, lux, via Chriſtus erit.
Hanc Petri Sedes, caput ipſa volubilis orbis,
Et colit, & feſtè mandat ubique coli.
Non eſt Relligio, non eſt Eccleſia Sancti,
In qua Chriſtiparæ non refer atur honos.
Hanc rogat Hiſpanus, Gallus, Dacus, atque Bohemus,
Hanc rogat Argivus, laudat & Auſonius.
Hanc celebrant Superi, crebris ſignisq; coruſcam
Reddit eam Chriſtus, totus ut orbis amet.

Digitized by Google

Totius ut orbis amet, cuncti veniantque per illam,
Ad patria portum, Cantica Cælituum.
Hic ubi mel ſine felle datur, ſine fece voluntas;
Hic ubi nocte dies, vitaq́ ſine caret.
Hic ubi Chriſtus ovat Princeps totius Olympi,
Et famulos Matris pane beante cibat.
Non tibi falſa loquar, Marianum perlege librum,
Iſte ſat exemplis ſingula dicta probat.

Aliud

Est doctrina Patrum, ſequitur quam turba fidelis;
Quod ſit Virgo Parens tuta Sequeſtra rei;
Sitque Deus proles Chriſtus, vindexque malorum;
Sæpius unde tremor languida corda tenet.
Virginis à pura manibus mala nulla timentur,
Semper & afflictis explicat illa ſinum.
I properè, precibus miſerantia viſcera pulſa,
Metus homo Virgo, Iudicis alma Parens.
Non à matre ſolet manſuetum vertere vultum
Filius, imò magis matris ad ubra rapi.
Zoile ne carpas, matrem dum flecto precator,
Non fugio Chriſtum, ſed mihi concilio.
Non ſecus ac Sophar cum Baldad quærit Iobum,
Ac per eum Dominum jungit uterque manus.
Non ſecus ac ſoboles prudenter matre patrona
Nititur offenſum pacificare patrem.
Hinc magis affulget miſeris clementia Chriſti,
Ducere qui cunctos vult ad ovile ſuum
Hinc quoque Chriſtiadum fragrans dilectio creſcit,
Et reſonat Domini gloria, laus, & honos.
Zoilus ergo Patrum ridens tam dogma ſalubre,
Terga procul Chriſto vertit ut hæreticus.
Fallitur, & fruſtra Domini ſe credet amicum,
Dum MARIÆ *cultûs perfidus hoſtis erit.*
Nam Deus in tantum maternum zelat honorem;
Vt probet ipſe pios, ſic reprobetque malos.
Deſino plura loqui, præſens ſcrutare volumen,
Conſona jam dictis ſingula repperies.

NOBILISSIMO

AC

REVERENDISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO IOANNI DE ROBLES.

Ex antiquiſsima & perilluſtri Robleſiorum

(COMITVM D'ANAPPE, APVD LEGIONENSES) FAMILIA ORIVNDO, BARONI D'ECOVSE S.te MAIN, &c.

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

IPRENSIUM EPISCOPO

INAVGVRATO

Gratulatur, librumque ſuum dicat

F. FRANC. VAN HONDEGHEM F. M. RECOLL.

VEteris Teſtamenti Annales, Nobiliſsime & Reverendiſsime Antiſtes, memorant, potentiſsimum ac ſapientiſsimum Regem Salomonem in templi Hieroſolymorum adito *Domum Propitiationis* multùm pretioſam, auroque ſplendidiſsimam fabricâſſe. In hâc, fœderis arca (leges Dei in petra exaratas, & manna cæleſte, continens) religioſiſsimè ſervabatur, & colebatur. Summus autem Pontifex ſemel in anno (in feſto videlicet Ex-

piationis) eamdem ingreſſus, pro ſuis totiusque populi peccatis ſanguinem vituli, extra caſtra combuſti, ſuppliciter immolabat, qui tamen ſi, vel in ſomnio tantum, pollutus eſſet, abſtinebat; & alius de genere ſacerdotali, in locum ejus ſubrogatus, miniſterium obibat. Domum ego conſtruxi, quæ umbris excluſis, arcam veram & vivam; MARIAM nempe, ac Chriſtum, vitæ panem, gratiæ largitorem, hominumque mediatorem, Dominos incolas habet, ac reveretur. Fundamentum Ædis hujus eſt fides in Deum, & Chriſtum ejus; parietum inſtar ſunt prærogativæ, & egregiæ virtutes Genetricis Dei MARIAE, tecti vicem ſupplet ejuſdem ſanctiſsimæ Virginis MARIAE *Patrocinium*. Cubiculorum inſtar ſunt, Schola, Ignitabulum, & Oratorium, Cynoſura ſalutis, nuncupatum Schola docet & probat MARIAM Auguſtam, ſive illius *Patrocinium*, communem maximamque expeditam viam eſſe, quá Deus hominibus gratiam confert, ac veniam. Ignitabulum, ſcintillas continet, quibus declaratur, Apoſtolos, Pontifices Romanos, ſacros Antiſtites, eximios Eccleſiæ Doctores, &c. hanc iniiſſe viam, eamdem Reginam Virginem ſingulariter colendo, Patrocinium illius devotè implorando, aut etiam honorem illius indefeſsè propugnando. Oratorium optima & efficaciſsima B. V. patrocinii obtinendi exercitia ſubminiſtrat.

Quilibet, quantumcumque enormis peccator, etſi laicus, domum hanc, quandocumque placuerit, intrare poteſt, ac etiam pro ſalute animæ immolare, non vituli ſanguinem, ut olim in lege Moſaicâ ad emundationem carnis, ſed pretioſiſsimum Agni Chriſti cruorem, animas ſan-

ctifi-

Digitized by Google

ctificantem. Nemo ab hac domo, viam regiam tenens, repellitur, vacuis manibus abit nemo. Via Regi ad Chriſti Regis gratiam eſt Patrocinium ſuæ digniſsimæ Matris. *Ipſa*, inquit Sixtus IV. PP. *utpote, via miſericordiæ, mater gratiæ, & pietatis amica, humani generis conſolatrix; pro ſalute fidelium, qui delictorum onere gravantur, ſedula oratrix, &c.* Item D. Bonav. in Pſalt. *Via veniendi ad Chriſtum, eſt appropinquare ad illam*, ſcilicet matrem ipſius: *qui autem fugerit eam, non inveniet viam pacis.* Nam quemadmodum Chriſtus Dominus Eccleſiæ datus eſt, mediante Virgine Matre MERIA, ſic & gratia ejus patrocinante, eadem fidelibus communicatur. Hoc autem pauperibus atque afflictis ingenti ſolatio eſſe debet, quod via ad illam breviſsima ſit, jucundiſsima, maximeque trita. Cogitatio bona, deſiderium ſanctum, oratio ſupplex, veneratio Imaginis, nominis ſui ac filii invocatio, Deique laus ſuper magnalibus ipſius, hæc & ſimilia ad Deiparam Virginem ducunt, illius benevolentiam captant, & gratiam promerentur. Quid his facilius? quid oblectabilius? quid ſecurius? quid in Eccleſia Dei magis uſitatum?

Eapropter quæ de civitatibus refugii veteris teſtamenti ex monumentis Hebræorum tradit Oleaſter in cap. 35. Num. commentans, haud incongruè nos Genitrici Dei MARIÆ (ut figura figurato) coaptamus. Divus quippe Damaſcenus B. Virginem ſic loquentem introducit. *Ego civitas refugii omnibus ad me confugientibus.* Coincidit ferè hic titulus cum noſtro, *Domus Propitiationis*, quem etiam Matri Dei adſcribit S. Methodius in Hypapant. inquiens: *Tu Propitiatorium, per quod Deus humanam naturam indutus, mortalibus*

Digitized by Google

tibus innotuit. Eavet uterque titulus peccatoribus, gratiamque reſpondet. Redeo ad Cleaſtrum, ac illius de civitatibus refugii propono relata.

Viæ, ait, *quæ ad eas ducebant, complanatæ erant, ut nullum eſſet obſtaculum, quod homicidam in via impediret.* Non minus in via, quæ ad Deiparam Virginem tamquam ad *Domum Propitiationis*, peccatores ducit, omne offendiculum abeſt, nihil occurrit, quod incedentem remoretur. In ſemitis ad beatos poſſet alicui videri remoram agere, reſtrictum eorum dominium, aut meritum. Quia ut colligitur ex Euangelio *Luc.* 19. uni propter copioſum meritum dicit Rex: *Eris poteſtatem habens ſuper decem civitates.* Alteri minoris meriti ait: *Tu eſto ſuper quinque civitates.* Hinc Idiota doctiſsimus: *Ceteri Sancti*, inquit, *jure quodam patrocinii, pro ſibi ſpecialiter commiſſis plus prodeſſe poſſunt in Curia Altiſſimi, quàm pro alienis. Beatiſſima Virgo* MARIA, *ſicut eſt omnium Regina, ſic & omnium Patrona & Advocata.* Item D. Cypriani ſententia eſt, quod *ſuis ſæpe orationibus fruſtrantur*; ſancti Bernardi autem de Matre Domini: *fruſtrari non poteſt.* Addo D. Anſelmum l. de Excell. c. 9. ita loquentem: *Super hoc cum ipſam Dominam, per quam tanta bona illis provenerunt, præ oculis habuerint juxta Deum, quem de utero ſuo peperit, reſidentem; & jure materno cœlo terræque cum eodem filio ſuo præſidentem, &c.* & rurſus c. 12. *Quidquid tu Virgo velis, nequaquam fieri non poteſt, Te Deus ſic exaltavit, ut omnia Tibi ſecum poſſibilia eſſe donarit.* Nec nodus quærendus in ſcirpo voluntatis illius. *Solem*, ait Bern. *Virgo ſibi induit: quia quemadmodum ille ſuper bonos & malos indifferenter oritur, ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita, omnibus ſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique ne-*

ceſſi-

ceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu. Sol profectò misericordiæ eſt pientiſſima MARIA, *electa ut ſol, omnibus ſuæ lucis radios impertitur*, ita Bern. Via ergo ad Regis Dei Matrem complanata eſt, propter abſolutum jus & dominium ſuper omnes creaturas, ſimul & authoritatem & gratiam, qua apud filium valet.

Pergit Oleaſter. *In bivio, aut trivio ſtipes erat erectus, in quo ſcriptum erat* MIKLAT *ut fugientem dirigeret in eam viam, quæ ad refugii ducebat civitatem.* Ita ille Haud ſecus nos tot *Miklat*, tot inquam inſtructiones ad Deiparæ Virginis aſylum, & veram Propitiationis domum ducentes exhibemus, quot lectiones in Schola Operis noſtri de illius Patrocinio & Prærogativis habemus: tot pittacia apponimus, quot in Scintillis exempla miſericordiæ erga ſupplices, cultuſque Sanctorum verſus B. Virginem recenſemus: tot tabulas erigimus, quot in toto opere miracula in peccatorum ſalutem, & afflictorum liberationem patrata referimus: tot denique ſalvos conductus peccatoribus providemus, quot illis exercitia Chriſti gratiam, ejuſque Matris Patrocinium efficaciter obtinendi in Oratorio exhibemus uſurpanda.

Domo noſtrâ ſic conſtructâ, & deſcriptâ, quærendus illi erat Patronus, cujus authoritate imbecillitas ejus fulciretur, cujus dignitate ſplendor aliquis ei donaretur, nec non beneficentiâ inopia Authoris ſublevaretur; ſicque tandem in publicam utilitatem ſecurè ac cum honore palam exponi valeret. Mos quippe à veteribus Scriptoribus ad nos dimanavit, ut ille qui opus novum cudere parat, virum in Eccleſia præſtantem eligat, laboreſque ſuos illi

Digitized by Google

inſcribat, & nuncupet. S. Iuſtinus Martyr inclytus, Apologiam vitæ Chriſtianæ Antonino Pio Imperatori nuncupavit. S. Cyrillus Alexandrinus opus de recta in Deum fide Theodoſio Regi inſcripſit. S. Auguſtinus librum ſuum de fide, Gratiano Auguſto conſecravit: S. Bernardus libros de Conſideratione Eugenio III. PP. & D. Gregorius Magnus Moralia in Iob S. Leonardo Hiſpalenſi Epiſcopo dedicavit, &c.

Ego horum inhærens veſtigiis ad Te, Reverendiſsime Domine, generis proſapiâ perilluſtrem, utpote ex antiquiſsima & clariſsima apud Legionenſes in Hiſpania Robleſiorum, Comitum D'Anapes, oriundum familiâ, dignitate inſuper Epiſcopali coruſcantem, authoritate eccleſiaſtica præ valentem, eruditione atque morum integritate ſpectabilem, divini honoris cultuſque B. Virginis Genetricis Dei MARIAE zelantiſſimum: ad te, inquam, præclarum Antiſtitem, Ordinis Seraphici amantiſſimum, pauperum & pupillorum Parentem optimum obtutus meos reflexi. Te itaque præ ceteris revereor, Te ſuſpicio, ad Tuum Palatium pauperculus Frater Minor, Recollectorum minimus confugio, pedibus Tuis ſupplex advolvor, atque tantillam lucubratiunculam meam, *Domum Propitiationis*, ceu pupillum, ſinceræ fidei Tuæ committo. In cujus etenim ſinu lana ovis juſtius reponetur, quàm Paſtoris? Vbi labor pauperis fructificabit uberius, quàm in agro cordis ſeminatus amantis? ſub cujus alis tutius latebit pupillus, quàm Patroni optimi? Cui acceptior eſſe poterit Sereniſſimæ Cœlorum Reginæ Imago, quàm ejuſdem cultori pereximio? En ergo lanam noſtram, en primitias labo-

rum

rum noſtrorum, en Domum Propitiationis & gratiæ coram Benignitate Tuâ ſiſto & offero: en Imaginem miſerationum & magnalium Dominæ totius univerſi, en Patrocinium Advocatæ hominum tam magnorum quam puſillorum ſapientiſſimæ ac fæliciſſimæ; en ſpeculum virtutum MARIAE Auguſtæ ſemperque Virginis fulgentiſſimum (quam tanto amore Reverendiſſima Paternitas, & Illuſtriſſima Dominatio Tua proſequitur, ut nec viva morum illius imago ab animo, nec pictum ejuſdem ſimulacrum ab oculis corporis ægrè abjungi queat) Pietati Tuæ conſecro, dónoque. Fave, ſuſcipe, protege, fove. Fave votis, ſuſcipe munuſculum, protege clientem, fove pupillum. Excuſet autem pictoris rudis defectum, amoris Veſtri ad Virginem excellentia, & ovis inarticulatè balantis inſcitiam Paſtoris boni ſapientia. Divini æternique Numinis clementiam impenſius rógo, ut pientiſſima & eminentiſsima Matre Virgine MARIA, Seraphico Patre noſtro Franciſco, Sanctiſque omnibus patrocinantibus Illuſtriſsimam & Reverendiſſ. Dominationem Tuam, Antiſtitum Romanæ Eccleſiæ infulâ initiatam Spiritu ſuo Principali vereque Apoſtolico confirmet & dirigat, quo valeat Pontificia munia ad Dei Opt. Max. gloriam, & myriadum ſalutem animarum, ampliſsimumque meritorum cumulum longævus, ſoſpes, & florens abire, tandemque fæliciter defunctus, ultra communem Beatorum lauream, etiam judicantium thronum, Apoſtolicis viris promiſſum in die noviſsimo adipiſci.

Digitized by Google

F A C U L T A S
R. P. MINISTRI PROVINCIALIS

Viſo judicio & cenſurâ quorumdam Theologorum Ordinis noſtri Seraphici, Provinciæ noſtræ Comitatus Flandriæ S. Joſeph, quos deputavimus ad examinandum, & approbandum Librum quemdam, cui titulus eſt: *Domus Propitiationis Pauperis*, à V. P. F. *Fanciſco ab Hondeghem* compoſitum, facultatem impartimur, ut prænominatus liber prælo mandetur. Datum Ipris in Conventu noſtro FF. Minorum Recollectorum 30. Aprilis 1644.

Frater DOMINICUS HUART
Præfatæ Provinciæ Miniſter.

Cenſura & Placitum

Reverendiſſ. P. F. Petri Marchant *Ordinis* S. Franciſci *Obſervantiæ Regul. per Germaniam & Belgium, &c. Commiſſarii Generalis, S. Theologiæ Lectoris emeriti. Ex Epiſtola ad Auctorem.*

Venerande Pater

Librum veſtrum, *Pauperis Domum*, Virgini dicatam ...... vidi. Labor ſanctus eſt, devotio placet, methodus non diſplicet. ...... Ceterum ut labor non ſit caſſus, placet ut lucem videat. Spero enim etiam fructum ex iſto opere. His me precibus commendo. Dabam Gandavi 27. Novembr. 1643.

Servus

F. PETRUS MARCHANT *Comm. General.*

Cenſura & Placitum

V. P. F. Mariani de Smytere.

I*Nfra-ſcriptus quâ potui deligentiâ, perlegi librum cui titulus:* Domus Propitiationis Pauperis, *Auctore* R. P. Franciſco ab Hondeghem, *in quo nihil Catholicæ fidei, aut bonis moribus contrarium inveni, ſed plurima quæ legentium animum in Beatiſſimæ* Virginis & Matris Dei *amorem accendere poſſunt, ac proinde cum utilitate publici juris fieri. Datum in Conventu noſtro Brugenſi Frat. Minorum Recollectorum hac* 28. *Feb.* 1643.

Frater MARIANUS DE SMYTERE *in dicto Conventu S. Theologiæ Lector.*

R. Adm. D. ANTONII SANDERI,

S. Theolog. Licentiali & Ipris in Cathedrali Eccl. S. MARTINI *Canon. & Scholaſtici.*

DVri prorſus, ac lapidei, ut Scriptura loquitur, cordis erit, qui lectis hiſce R. Adm. eruditique Patris *F. Franciſci ab Hondeghem*, à ſacra & cœleſti doctrina commendandis tractatibus non emollietur, & ſalutares concipiet igniculos, quibus ad amandum ſuper omnia colendumque *Chriſtum* Dominum, & ab eo *Virginem* ejus *Matrem*, excitabitur. Quare cum eximio Chriſtianæ pietatis fructu, & ſpirituali legentium emolumento illos cenſeo poſſe, ac debere typis mandari, atque in publicam lucem prodire, modo iis ita videatur, à quorum illa res arbitrio & auctoritate pendet. Ita teſtor hac XI. Februarii 1644.

ANTONIUS SANDERUS *Preſb. S. Theol. Licent. Cathedr. Eccl. Iprenſ. Canon. & Scholaſticus.*

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

IN *hac* Domo Propitiationis Pauperis *Authore* V. P. F. Franciſco ab Hondeghem *inveni, quæ multum prodeſſe poterunt œconomiæ ſpirituali.*

In Scintillis *vero materiam quâ ſuſcitetur ignis amoris erga beatiſſimam* Virginem & Matrem. *Ita cenſeo Ipris tertiò nonas Maii* 1649.

F. DE CARPENTIER *S. Theol. Licentiatus, Canonicus, librorum Cenſor.*

AVTHORIS ADMONITIO
AD LECTOREM.

AD debitam cautelam, & dignam obſervationem decretorum Apoſtolicorum, hic admonere lubet, Illuſtrium virorum & fœminarum, (quorum in domo noſtra Propitiationis, tam in ſchola, quam Ignitabulo Scintillarum, aut alibi mentionem facio) geſta, virtutes, dona miracula, apparitiones revelationes, &c. eam fidem habere dumtaxat, quæ ex hiſtoria peti debet, aut traditione, non autem eam, quæ in approbatione Eccleſiæ requiſita eſt ad publicum cultum: excipio illos, qui aliàs ex Sedis Apoſtolicæ ſpeciali indulto, aut longiſſimi temporis ſcientia ac tolerantia ejuſdem Sedis, vel Ordinariorum id contigerit. Et ſi quando appellationem *Sancti*, aut *Beati*, aut *Martyris*, aut ejuſmodi ſubjunxerim nequaquam in ſtrictâ & propriâ acceptione, & fundatâ in approbatione Canonicâ, & Eccleſiaſtica (quæ deſervit ad communem cultum, & invocationem) ſumenda eſt, ſed juxta vulgarem notionem, qua ſervis Dei & piis viris, ratione inſtituti, vel ſtrictioris vitæ, aut ſtudii rerum cœleſtium, etiam in carne viventibus, ſolet accommodari: ac proinde hinc omne periculum & argumentum tranſgreſſionis ſubmoveatur. Me meaque omnia correctioni S. Matris Eccleſiæ & Superiorum ex animo ſujicio.

SVMMA
PRIVILEGII REGIS CATHOL.

PHILIPPVS IV. *Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac potentiſſimus Belgarum ac Burgundionum Princeps, &c. diplomate ſuo ſanxit, ne quis præter* Franciſci Vivieni *voluntatem, librum cui titulus:* Domus Propitiationis Pauperis, author R. P. Franciſco ab Hondeghem Ord. FF. Min Recol. *ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemvè habeat, qui ſecùs faxit, Confiſcatione Librorum, & alia gravi pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ* 20. Octobris Anno 1654.

Signat

De Fren.

PRO-

PROLOGUS.

Mundi Conditor Deus (ut habet ſacer Textus) *creavit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*; ut pote voluntate, intelligentia, memoria & immortalitate animæ prædictum aliisque pluribus donis cœleſtibus exornatum, qui ubi divina ſapere, atque æterna ſuper omnia quærere debuiſſet, ut Dei ſui Imaginem immaculatam conſervaret, aut etiam perpoliret, quemadmodum ille, qui dicebat: *Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*: quia ut loquitur Sapiens alter: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat.* Ipſe interim oblitus ſui, oblitus Dei Creatoris ſui, relicto rationis rectæ dictamine, ſpretâque legis divinæ cenſura, ac concupiſcentiæ pravæ ſecutus impetum, ad terrena & caduca ſeſe convertit: ideoque priſtinis gratiæ, gloriæ ac felicitatis veſtimentis, æquiſſimâ ſupremi Iudicis ſententiâ, ſpoliatus eſt. Pro dolor! Ille, qui omni voluptatum genere in paradiſo fruebatur & oblectabatur, poſt peccatum exul, ad locum brutorum, ut laboret, fatigetur, ac multipliciter affligatur, protinus amandatur: is, qui prius Auctori Deo ſuo aſſimilabatur, poſt unici, & quidem facillimi mandati prævaricationem, animantibus brutis meruit comparari. Propheta etenim David teterrimam Protoplaſti noſtri metamorphoſim, terque quaterque poſthumam ſortem miſeram conſiderans & expertus, de illius ſtultitia quaſi queribundus ac lugens enunciat; *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Grandis ſanè inſipientia, & deteſtanda crudelitas, guſtare, quod guſtatum, ſibi ſuæque progeniei afferret mortem tam animæ, quam corporis. Stulti omnino ac ferales Protoplaſti noſtri cum de ligno ſcientiæ boni & mali, ſibi prohibito, manducârunt; ubi tamen mille alia, ſive ad ſuſtentationem, ſive ad voluptatem, ſuppetebant *Væ miſero*; ait Bern. in Cant. ſerm. 35. ! *quod non fuit, qui jam tum diceret ei: Quid ſuperbis terra, & cinis? Hinc egregia creatura, gregi admixta eſt: hinc beſtiali ſimilitudine Dei ſimilitudo mutata eſt: hinc Societas cum jumentis, pro conſortio Angelorum inita eſt.* Stulti quoque filii Adam, quinimò impii, qui gloriam incorruptibilis Dei, tranſtulêre in ſimilitudinem vituli comedentis

come-

comedentis fœnum. Stultum demum valde eſt, in ſumma ignominia, rerumque omnium penuria glorioſum ſe, ac opulentum jactare, hujuſmodi fuit ille, quem in Apocalipſi ſua *cap.* 3. notat Joannes Apoſtolus, ac Deus redarguit: *Dicis*, ait, *quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Addo alterum de quo Luc. 12. dicitur: *Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit: & dixit animæ ſuæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* Meritò de ſtultitia increpatur, qui ſui, Deique oblitus, beatitudinem ſuam in caducis ſæculi rebus conſtituit, atque exinde animam, quaſi corporea eſſet, paſcere voluit. Aſt miſer, ventum pavit: neque de labore ſuo, niſi ſummæ ſtultitiæ pœnas retulit. Terrena omnia inflare poſſunt non nutrire, aut ſatiare; quoniam cibus animæ non ſunt. Unde Iſaia teſte, *cap.* 29. *v.* 8. *Sicut ſomniat eſuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus: & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt.* Sic eſt atteſtante Domino Salvatore, Luc. 12. *Qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* Cibus animæ Chriſtus, Deus verus, & homo verus; de quo ipſe apud Joan. c. 6. *Caro mea*, inquit, *verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Item cibus animæ, juſtitia, de qua etiam Matth. 5. dicit: *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Porro *diſce* jam: *ubi ſit prudentia, ubi ſit virtus, ubi ſit intellectus; ut ſcias ſimul ubi ſit longiturnitas vitæ & victus, ubi ſit lumen oculorum, & pax. Quis inveniet locum ejus? & quis intravit in theſauros ejus?* Audi Dei nuncium Gabrielem Archangelum id tibi de Beatiſſima ſemper Virgine MARIA revelantem: *Inveniſti*, ait, *gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus* IESUM. *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* JESUS ipſe eſt ſapientia, ipſe lux, ipſe pax, cibus, & potus, ipſe ſalus ipſe omnia: commoratur verò apud MARIAM matrem, unde & Domus Domini in Scriptura nuncupata. *Erit*, ait Propheta, *in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe* MARIA *in vertice montium fuit*, interprete *in* I. *Reg.* D. Gregorio Magno, *quia*

quia altitudo MARIÆ *ſupra omnes Sanctos refulſit. Nam ſicut mons altitudinem, ita domus deſignat habitationem. Mons quippe & domus apertè dicitur, quæ dum incomparabilibus eſt illuſtrata meritis, Dei unigenito, in quo recumberet, ſacrum præparavit uterum. Nam mons in vertice montium* MARIA *non fieret, ſi ſupra Angelorum altitudinem hanc divina fæcunditas non levaret. Et domus Domini non fieret, ſi in ejus ventre per aſſumptam humanitatem Verbi divinitas non jaceret.* Similiter D. Bonaventura. *In ſpec. Lect. 6. Spiritus ſanctus, inquit,* MARIAM *per domum convenientiſſimè ſignavit, quam ſibi Sapientia increata cum ſeptem columnis ſeptem donorum Spiritus ſancti excellentiſſimè ædificavit. Quiſque ergo columnas Spiritus S. cæperit deſiderare, ipſe formam columnarum, in iſta domo poterit invenire; quam pro columnis hujuſmodi debet cum magnis deſideriis, & precibus convenire.*

Vſquequo itaque (*Prov. 1.*) *parvuli diligitis infantiam, & ſtulti, ea quæ ſunt noxia, cupiunt, & imprudentes odibunt ſcientiam? Si quis*, ait MARIA, *parvulus eſt, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Panis, quem ego dono, caro Chriſti eſt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Panis hic Apoſtolos ſapientia imbuit, Martyres in fide roboravit, Confeſſores in religione aluit, Virgines germinavit, juſtos conſervavit, peccatores ad ſaniorem mentem reduxit, electos glorificavit. Verum quibus elargitoribus? Deo & MARIA. Quo Patrono & mediatore? Certè eâdem Virgine Matre, quam illi ſingulariter coluerunt, piiſque precibus continuo invocarunt. *Zach. 9. Quod enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* MARIA Virgo, *de qua natus eſt* JESVS, *qui vocatur Chriſtus.* Itaque ut hac divina eſca ſaginari, hoc cœleſti potu lætificari poſſimus, ad MARIAM accedendum, foresque illius pulſandæ: quoniam ut in ejus perſona loquitur Eccleſia: *Prov. 8. Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Quamobrem pauper & rudis homo, ne particula tam boni doni te prætereat, velim ut ad domum noſtram confugias; in Schola ejuſdem nonnihil verſeris, illiusque diſciplinam amplectaris: ex hinc, ſi placet, ignitabulum noſtrum aſſume, ſcintillas ejuſdem attenta cordis lectione excute, rumina, ſerva: accenſus demum ſan-

ctо fervore, perge ad Oratorium noſtrum, Cynoſura ſalutis nuncupatum; procul dubio intrans domum hanc experieris, quòd non habeat amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium. *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus aut intelligimus, ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis. Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto* JESU, *in omnes generationes ſæculi ſæculorum, Amen. Epheſ.* 3. *v.* 20.

Advertat velim hic benevolus Lector, Opus noſtrum primariò & principaliter ſpectare ut ſcopum, non excellentias B. Virginis, ſed *Patrocinium* ejuſdem, & conſequenter cultum. Quod autem etiam prærogativas ſermone perſtringamus, eſt in ordine ad *Patrocinium*; nempe ut illud cum tanto majori religione, humilitate ac reverentia nobis procuremus, quanto perſona dignior, quam imploramus. *Patrocinium* verò B. Virginis cum præſupponat clientem veniæ aut gratiæ indigum, inſimul Deum tamquam fontem & parentem omnis boni, nec non Chriſtum ut Redemptorem & Mediatorem ſummum & univerſalem, ſine cujus meritis nulla venia, nulla gratia impetretur; cum quibus miſer quoque homo continuum negotium habet. Hinc ut ordinatus in his opuſculis progreſſus fiat, præmitto lectiones de notitia ſui, Deinde Dei, ac Chriſti Mediatoris primarii, ſicque gradatim progredior ad MARIÆ Deiparæ *Patrocinium*; & quidquid ad hoc perſuadendum, amplectendum, fovendum, ac retinendum conducere viſum eſt, quantum (Deo bene juvante illiusque Sanctiſſimâ Matre) potui, ediſſero atque enucleo. Itaque contexui tractatum quaſi conſolatorium, ſub titulo *Domus Propitiationis Pauperis*. Cum enim vita, ſalus, & beatitudo hominis miſeri & mortalis à Deo & Chriſto ejus omnino dependeant, atque ad hos per Virginem Matrem via ſternatur, nec non per aſſiduum cultum illius auxilia gratiæ congrua homini adveniant, ac tandem per illa deſiderata ſalus & gloria clientibus certò proveniat, neſcivi aptius nomen titulumque libro noſtro præfigere, quàm jam dictum, juxta cujus vim & virtutem lucubrationes meas & ſtudia direxi, ac, Deo laus, perfeci. At enim ſi titulum hunc mutare quis, alterumque adſignare ac ſubſtituere vellet, v. g. *Promptuarium* ſeu *Theſaurus excellentiarum B. V.* & tunc aliter & aliter procedendum fuiſſet, ac priores lectiones de notitia ſui, Dei & Chriſti ejus, perperam ponerentur:

tur: nunc autem & cum titulo, & cum Patrocinio B. Virginis, optimè quadrant.

Ceterum ſtilus ſimplex eſt, quia ſimplex ſimplicibus ſcribo ſimpliciter: ſtilus ſimplex eſt, & vulgaris, ut à quovis latinum callente idioma tanto facilius intelligatur: ſtilus ſimplex eſt; quoniam, ut cum Hieronymo loquar, *In qq. ad Damaſ. De Scripturis diſputantem non decet Ariſtotelis argumenta conquirere: nec flumine Tulliano eloquentiæ ducendus eſt rivulus: nec aures Quintilianis floſculis & ſcholari declamatione mulcendæ: pedeſtris & quotidianæ ſimilis, & nullam lucubrationem redolens oratio neceſſaria, quæ rem explicet, ſenſum ediſſerat, obſcura manifeſtet: non quæ verborum compoſitione frondeſcat. Sint alii diſerti, laudentur ut volunt, & inflatis buccis ſpumantia verba trutinent; mihi ſufficit ſic loqui, ut intelligar; ut de Scripturis loquens & diſputans, Scripturarum imiter ſimplicitatem.* Sic D. Hieronymus. Mihi quoque enuntianti Chriſti Domini ejusque Matris MARIÆ magnalia, ſufficit ſic latinè effari, ut intelligi valeam. Scribant Theologi, ac de Deo enodent ſuas quæſtiones tanta eloquentia, tanta facundia, quâ poſſunt: ſimiliter & Oratores materias ſuas tanta parabolarum varietate, tanto dictionum faſtu & lenociniis pallient, ventilentque quantum queunt: non ideo tamen ſimplicibus ac infacundis ab opere Domini ceſſandum. Sincera veritas phaleras neſcit, faſtum excludit, neque verborum leporem ambit. Itaque licet in tractatibus noſtris non rutilet aurea verborum elegantia, & pulchritudo, adniſus tamen ſum rerum veritatem, conceptuumque tenorem qualicumque ſtilo perſtringere, illud Sapientis attendens: *S. Bern. ſerm. de S. Ioan. Bapt. & S. Proſper l. 3. de vita contempl. Prudentibus viris non placere phalerata, ſed fortificata. Vtilior eſt*, ait D. Aug. *clavis lignea, quæ aperit, quàm aurea, quæ non aperit, quod clauſum eſt.* Fratri Minori eſurienti tam ſapit cibus in ligneo, aut terreo oblatus diſco, quam alteri in argenteo. Quocirca rogo te, Amice Lector, ut alterius quoque ſapientis memineris moniti; *Thom. à Kempis de imitat. Chriſti. Ita libenter devotos & ſimplices libros legere debemus, ſicut altos & profundos. Non te offendat auctoritas ſcribentis, utrum parvæ, vel magnæ literaturæ fuerit, ſed amor puræ veritatis te trahat ad legendum. Non quæras, quis hoc dixerit, ſed quid dicatur attende.* Sic ille. Eapropter in hoc noſtro ſcripto quæcumque ſunt vera, quæcum que pudica

quæcumq; juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogita, hæc age, hæc ſerva, in his veteraſce, in his morere. Porro ut artificium & congruitatem ſtructuræ libri hujus perſpectam, ac diſcurſuum noſtrorum varium & breve argumentum habeas, ſequentes effinxi verſus, ac ſuppoſui.

Quid mortalis homo, fallax tibi congeris aurum?
Hocne putas animam poſſe beare tuam?
Falleris, inſipiens umbram ſectatus inanem:
Numinis æterni gratia ſola beat;
Quid rapit in cælos te vana ſcientia? credis
Quod queat iratum conciliare Deum?
Falleris, inſipiens umbram ſectatus inanem;
Virtutis Chriſti eſt pacificare Patrem.
Quid te conſpicui fucus titillat honoris?
Fidus an ipſe tibi ſemper amicus erit?
Falleris, inſipiens umbram ſectatus inanem:
Virginis eſt Matris ſemper adeſſe ſuis.
Aurum te linquunt & honor, doctrina ſuperba
Cedit Ariſtotelis; morte caduca ruunt.
Spiritus at Domini mox ſiſtitur ante tribunal,
Redditur & vitæ ſeria cauſa ſuæ.
Quam tremit infelix, dum fulminat ira Tonantis,
Tartara vociferans, tartara ſæva pete.
Perfice dum ſenſus florent, quæ conſulo verba;
Verba precor menti ſint mea fixa tuæ.
Noſce Deum, mundi factorem ſemper adora:
Solventem Chriſtum vincula noſce reûm.
Virgo Dei Genetrix, hominum Patrona ſecunda,
Non te prætereat, hanc cole, ſæpe voca.
Ex his plena ſalus procedit, vita perennis,
Decipiunt orbis ſingula chara, fuge.
Sume animos: te labe reum non crimina turbent;
Ceſſet & à nimio verbere ſæva manus.
Nec jam perpetuos effundant lumina rivos,
Deque tuis oculis lacrima parca fluat.

Cer-

Cerne Redemptorem crudeli morte peremptum ;
Quæque tulit pro te vulnera ſancta cole.
Aſpice perfuſam pretioſo ſanguine carnem ,
Non una in toto corpore gutta manet.
Aſpice divinum quantum cor preſſerit angor.
Hæc pro te flagrans omnia fecit amor.
Omnia fecit amor : carnem Deus induit Adæ ,
Excelſus poſſes quo Deus eſſe coro.
Suſtinuit magnos in noſtra carne dolores ,
Semper ut in cælis gaudeat ipſa caro.
Ut crux non hominem perdat , Verbum *caro factum*
Dignatur reprobam , ceu latro , ferre crucem.
Ille tibi moriens expandit brachia , curre ;
Ceu pater ad natum , ſic pia vota facit.
At retinet te majeſtas fulgore coruſcans ,
Utpote quem credis , & reverere Deum.
Præbe aurem verbis , ſpes eſt tibi magna ſalutis ;
Ecce ſequeſtra potens Virgo MARIA *datur.*
Virgo MARIA *datur , ſincera , benigna , fidelis ,*
Filia , Sponſa ſimul , Mater & alma Dei.
Non fœdavit eam mundus , non crimen Adami ;
Ornat eam virtus , gratia ſumma replet.
Tetros compeſcens genios ablegat in orcum ;
Eſt Regina poli , Mater amans hominum.
Illius manibus largitur munera Chriſtus ,
Munera , quæ ſanctæ fœdera pacis agunt.
Chriſtus & ipſe tibi dedit hanc moriturus amare ,
Et tua ſit , Chriſti quæ modo Mater erat.
Quæ ſponſi mater , ſponſi ſit mater amici ,
Atque pius ſponſus , ſic tibi frater erit.
Accipit illa ſuum , tu filius ipſe parentem
Accipe : funde preces , tota ſuavis erit.
Omnibus illa ſinum pandit , fert munera natis ,
Præbet & oppreſſis omnibus illa manum.
Hoc cælum , hoc tellus teſtabitur , hoc quoque pendens
In cruce cum Chriſto dicere latro poteſt.

Qui,

Digitized by Google

Queis pavit Natum ſua porriget ubera Nato,
Nulla quibus Natus dona negare valet.
Offeret ac Domino, quos ſuſtulit, alma dolores,
Fortis amore Dei, fortis amore rei.
Haud ſecus atque Pater Crucifixo nulla negabit,
Filius & matri cuncta petita dabit.
Divitias alter ſibi comparet, alter honores;
Sint tibi divitiæ Virgo MARIA *tua.*
Sit Deus ipſe tibi toto pretioſior orbe;
Quem Dominum vocitas, ſit tibi Chriſtus honor.
Sit tibi Chriſtus honor, non eſt clementior illo,
Nec major; ſemper dilige, ſalvus eris.
Gloria ſit pariter Domino cum Virgine Matre,
A quibus indigno gratia facta reo eſt.
Plenius hæc, breviter verſu complexa, docebit
Is liber ignarum; volve, revolve ſæpe.

Aliud ad Lectorem.

AD domum hanc propera, benigne Lector,
Ad Villam Canis, ad Canemq; villæ,
Fidelem Domino, Deiq; Matri.
Si ſacram petis eſuritionem
Sedari dape delicatiori,
Quam venaticus attuliſſet Vmber,
En cui Pamphagus & Lyciſca cedunt,
Dorceus lumine perſpicax acuto,
Et curſu celeri valens Aëllo,
Et nare Ignobates ſagax odorâ,
Curſu denique quot feras laceſſunt.
Cœleſtes dabit hic tibi lepores,
Queis formoſior exeat quis, ac ſi
Per totos leporem dies comeſſet.
Si vis de grege ferculum parari,
Curâ en Pœminis excubat fideli
Præ villæ foribus gregiſq; caulæ.

Hic mores prius exuens ferinos,
Fis Agni potis induiſſe mentem.
Si fors te ſcelus urit ulceroſum,
Lambendo Canis-ille ſanitatem,
Et linguâ dabit, & ſtilo ſalubri.
Si virtute cares, egesq; ſancto
Cœli munere, turgit hic libellus
Divinâ ambroſiâ, Deûmq; ſucco
Sancto, quem canibus ſcias negatum.
At tu, ni patier velis repulſam,
Mentem protinus exuas caninam,
Non ultra ad vomitum valens reverti;
Et ſanctum cape, quod Caniſ-vil' offert.

Ludebat R. P. F. P. W. *Conventus Auguſtinian. in Haſebrouck Prior anno* 1644.

FRANCISCVS HONDEGEMIVS.

Anagramma

DVNS EGO, NARCISSVM FECI.

Luſus Leoninus ad Anagramma præfatum.

Forte velut Paulus, primævo nomine Saulus,
Raptus ego nuper ſidera celſa ſuper,
Ilico ſum lætus, divini lumina cætus,
Iuſſus adire novem, nomina docta, Iovem.
Inter ubi Vates, & tecta ſacrata penates;
Multa eſt permiris quæſtio facta viris.
Hic vult Niſonem, vult hic præferre Maronem,
Alter Cæcilium laudat, & Æmilium.
Æquat hic è zelo Ciceronis Dogmata cœlo,
Alter ait Plato prævalet, iſte Cato.
Ipſe Caniſvillam cœpi celebrare Sibyllam,
Atque mihi noto Duns ſimilare Scoto.

Digitized by Google

Sic ejus nomen, ſic fert Anagrammatis omen
Sic probat ipſa fides, dum ſua ſcripta vides.
Ipſe Scotus palmas fæcundæ Virginis almas
Climata, perque vagas ſparſit ubique plagas.
Quin per Scripturam defendit origine puram
Cunctis peccatis, nullus ut ante ſatis.
Duns hunc Narciſſum Mariano ſtemmate ſpiſſum,
Pulchra devoti texuit arte Scoti.
Dum gracili bellum confecit odore libellum,
Qui MARIÆ *violas ſpirat, & aureolas.*
Quique probat orum per dogmata multa virorum
Abſque docet MARIAM *labe fuiſſe piam.*
In quo centenis, quot abundat littus arenis,
Tot MARIÆ *dotes enumerare potes,*
Virgineos vultus, praxes, encomia, cultus,
Præſtans auxilium, forte patrocinium.
Denique longævis quiquid profudit ab ævis
Penna, Camæna, liber, Francus, Hibernus, Iber:
Id (cælum miro concludit ut omnia gyro)
Hic liber omne capit, Duns meus iſte ſapit.

Luſit V. P. F. BL.
Lector Philoſophiæ anno 1653.

ELENCHVS LECTIONUM CAPITUM ET PARAGRAPHORVM, In hoc Opere contentorum.

PARS I.

LECTIO I.

De cognitione ſui ipſius, fol. 1.

LECTIO II.

De Deo uno & trino, ac Chriſto hominis ad eum Mediatore, 8.
§. II. *Deus unus & trinus,* 11.
§. III. *Deus Creator,* 14.
§. IV. *Chriſtus Mediator,* ibid.

LECTIO III.

De Clementia Chriſti Mediatoris, 18.

LECTIO IV.

De modo conciliandi ſibi Mediatorem Chriſtum ejuſque merita, 22.
§. II. *Signum dilectionis Dei,* 23.
§. III. *Chriſtus Doctor & adjutor,* 24.
§. IV. *Chriſtus ſemper amandus,* 25.
§. V. *Chriſtus Iudex timendus,* 27.
§. VI. *Dilectionis Chriſti fructus,* 30.

PARS II.

LECTIO I.

De neceſſario MARIÆ *Deiparæ Patrocinio quod eſt alter modus conciliandi ſibi merita Chriſti Mediatoris,* 32.
§. II. *Fundamentum Patrocinii B.V.* 37.
§. III. *Proſecutio fundamenti Patrocinii B Virg.* 39.
§. IV. *Confirmatio prioris,* 41.
§. V. *Patrocinium B.V. implorandum,* 44.
§. VI. *In Patrocinio B.Virg. elucet mira bonitas Dei,* 47.

LECTIO II.

De Materno Patrocinio B.V.

§. I. MARIA *Mater cunctorum viventium,* 49.
§. II. *Probatio iſtius tituli,* 53.
§. III. *Confirmatio ulterior,* 56.
§. IV. *Elucidatio amplior Mater cunctorum viventium,* 57.
§. V. *Progreſſus elucidationis tituli,* 58.
§. VI. *Confirmatio tituli ex SS. Patribus,* 61.
§. VII. *B. Virg.* MARIÆ *poteſtas & auctoritas apud filium,* 63.

LECTIO III.

De reali Patrocinio B.V.M. &c. ſive de Dei ad amicos ſuos dignatione, B.V.M. & Sanctorum pro nobis ſuffragio. &c. 65.
§. II. *Dei erga amicos dignatio,* 69.
§. III. *Patrocinii amicorum Dei confirmatio,* 71.

† §. I.

§. IV. *Beati gerunt curam Viatorum*, 75.
§. V. *B.V. ergo Viatores excellens pietas*, 77.
§. VI. *Confirmatio priorum ex Patribus*, Ibid.
§. VII. *Exhortatio ad Patrocinium B. V.* 79.

LECTIO IV.

De Præſtanti Patrocinio B.V.M. 81.
§. II. *De efficacia precum B. V.* 83.
§. III. *Confirmatio prioris*, 85.
§. IV. *Probatio ulterior*, 87.
§. V. *Exemplo Sanctorum fiducia ponenda in precibus B. Virg.* 87.

LECTIO V.

Patrocinii B. V. Exempla, 91.
§. II. *Iudeus penitens ſanatur*, 93.
§. III. *Roma ope B. V. à peſte liberatur*, 94.
§. IV. & V. *Mundus ope B. Virg. divinam ultionem evadit*, 95.
§. VI. *Theophylus ope Beatæ Virg. à poteſtate dæmonis liberatur*, 96.
§. VII. *Maria Egyptica ope B. V. ad meliorem vitam reducitur*, 97.
§. VIII. *B. Virgo in agone mortis aſsiſtit Carolo Birgittæ filio*, &c. 99.
§. XI. *B. Virgo ſuis devotis procurat confeſsionem*, 100.
§. X. *B. Virgo ſibi devotos à periculis eruit* 103
§. XI. *B. Virg. Patrocinium etiam ſe extendit ad animas in purgatorio*, 108.
§. XII. *Epilogus*, 105.

PARS III.

LECTIO I.

Primum medium obtinendi Patrocinii B. V. optimum & facillimum Salutatio Angelica, 108.
§. I. uſque ad §. XV.
De fructibus ſalutationis Angelicæ, 111. & ſeqq.

LECTIO II.

§. I. *De Sertis B.* MARIÆ *Genetricis Dei* 137.
§. II. *Roſarium Beatæ Virginis*, 139.
§. III. *Corona B. Virginis*, 141.
§. IV. *Vſus Coronæ probatur miraculis*, 144.
§. V. De Corolla *beatæ Virg.* MARIÆ, 146.
§. VI. *Praxis devotè recitandi Roſari*, 147.

LECTIO III.

Secundum medium Patrocinii B. Virg. obtinendi fortiſsimum, Amor, 151.
§. II. *Amor B. Virg. confertur cum amore Chananeæ*, 152.
§. III. *Amor B. Virg. confertur cum amore Moyſis & Pauli*, 156.
§. IV. *B. Virgo amore generis humani martyrium ſubiit*, 158.
§. V. *Confirmatio prioris*, 159.
§. VI. *Obligatio hominis ad B. Virg.* 160.
§. VII. *Affectus ergo B. Virg. qualiter excitandus*, 162.
§. VIII. Cautela, *Servus B. Virg. non ſuperbiat, ſed humiliet ſe*, 163.

PARS IV.

LECTIO I.

De excellentiis B. V. MARIÆ, 166.

CAP. I.

MARIA *Mater Dei* 167.

CAP. II.

MARIA *Patris æterni filia*, 169.

CAP. III.

MARIA ſponſa Spiritus ſancti, 171.

CAP. IV.

MARIA Regina & Domina univerſorum, 172.

LECTIO II.

B. V. MARIA in Matris utero immaculatè concepta, 180.
§. II. Confirmatio priorum, 183.
§. III. IV. & V. Confirmatio priorum, 184. & ſeq.
§. VI. Concluſio pro immaculata conceptione, 190.
§. VII. Feſtum conceptionis immaculatæ comprobatur Sixti IV. conſtitutionibus 193.
§. VIII. Idem declaratur ex concilii Tridentini declaratione, 197.
§. IX. Miracula pro adſtruenda immaculata Virg. Conceptione, 198.
§. X. Vtrum SS. Patres ſtent pro immaculata B. Virg. Conceptione, 204.
§. XI. Revelationes pro immaculata conceptone, 209.
§. XII. Referuntur revelationes B. Birgittæ de immunitate B. V. MARIÆ à peccato originali, 212.
§. XIII. Oſtenditur Veritas revelationis B. Birgittæ ex regulis dignoſcendarum revelationum, 214.
§. XIV. B. Birgittæ revelationes conducunt ad ſpiritualem profectum Eccleſiæ, & ædificationem fidelium, 218.
§. XV. Quàm approbatæ & commendatæ fuerint à ſummis viris revelationes ſanctæ Birgittæ, 220.
§. XVI. Quod adverſarii de B. Catharina objiciunt, declaratur revelationem non eſſe, 223.
§. XVII. Ex regulis dignoſcendarum revelationum, maculata Conceptionis revelatio rejicienda venit, 227.
§. XVIII. Solutiones ad objecta contra immaculatam Conceptionem B. V. 331.
§. XIX. Quam credulitatem mereatur ſententia de immaculata Conceptione B. V. 233.

APPENDIX AD LECTIONEM II.

Vbi de immac. B. V. Concept. 239.

QVÆSTIO.

Vtrum B. MARIA extiterit præſervata à debito incurrendi peccatum originale? 243.

QVÆSTIO II.

Vtrum ſententia pia de immaculata Conceptione B. Virg. ultimò ſit ad definitionem diſpoſita? 251.

QVÆSTIO III.

Vtrum ſit verè Martyr qui pro hac Virginis immunitate mortem ſubiret, 254.

LECTIO III.

De prærogativis aliis B. V. MARIÆ,

CAP. I.

De gratiæ plenitudine B. V. MARIÆ ex SS. Patribus, 258.

CAP. II.

De immunitate B. Virg. ab omni peccato actuali, 260.

CAP. III.

De virtutibus B. V. ex Evangelio, 262.

CAP. IV.

De ſacra Communione, 264.

Digitized by Google

LECTIO IV.

CAP. I.

De Charitate B. V. ad Deum, 267.

§. II. De naturali amore B. V. ad Deum 268.

§. III. De Supernaturali amore B. V. MARIÆ, 270.

§. IV. De amore acquiſito B. V. 271.

CAP. II.

§. I. Amor B. V. ad Deum enucleatius declaratur, ibid.

§. II. B. Virgo qualiter bonum Dei curat 272.

§. III. B. Virg. cogitatus ſemper in Deum 274.

§. IV. Amor B. V. extaticus, 277.

LECTIO V.

Sanctitas B. Virg. operum argumentis amplius ex SS. Patribus ſtabilitur, 279.

§. II. Declaratio excellentis ſanctitatis B. Virg. 281.

§. III. Deſcriptio exercitiorum B. Virg. 283.

§. IV. Virtutum B. V. deſcriptio ex Idiota. 284.

§. V. Virtutum B. V. deſcriptio ex Birgitta & Mechtilde, 285.

§. VI. Sanctitas B. V. ex Ildeph. Chryſoſtomo & Bonaventura, 288.

LECTIO VI.

De aliis quibuſdam B. V. M. excellentiis.

CAP. I.

De Merito B. V. MARIÆ, 289.

CAP. II.

De obitu B. V. MARIÆ corporis incorruptione, & ejuſdem reſuſcitatione, 295.

CAP. III.

De Gloria B. V. M. in cœlis, 297.

CAP. IV.

Cenſura PP. de Virg. MARIÆ ingreſſu & exaltatione ejuſdem in regno cœlorum, 299.

§. II. De gloria & loco ſeſſionis B. V. cenſurâ D. Bernardini, Gerſonis, & S. Antonini, 301.

§. III. Cenſura & judicium D. Bonaventuræ de gloria B. V. in cœlis, &c. 303.

LECTIO VII.

3. Medium obtinendi patrocinii B. V.

§. I. II. III. De honore Mariæ Deiparæ exhibendo, 304.

§. IV. Sancti in Eccleſia præſtantes B. V. ſingulariter honorarunt, 309.

LECTIO VIII.

Quo ſenſu B. V. Dea, reparatrix, omnipotens, &c. dicatur, 312.

§. II. Non repugnat fidei dicere B. Virg. apud Deum non poſſe pati repulſam, nec cultores ejus damnari poſſe. 314.

§. III. B. Virgo quo ſenſu ferat titulos Chriſto proprios, 315.

§. IV. Velocior interdum ſalus à B. Virg. quam à Chriſto, 322.

§. V. Exhortatio ad B. Virginis opem implorandum, 324.

§. VI. Cautela, 327.

FINIS.

SCHOLA DOMUS PROPITIATIONIS Pauperis.

PARS I.

LECTIO I.

De cognitione ſui-ipſius.

Cognitio ſui, & Dei ad ſalutem neceſſaria.

EX omnibus ſcientiis nulla ita præcellit, atque ad ſalutem animæ magis conducit, quemadmodum notitia Dei, ac ſui-ipſius. Dei,

1. In quo gloriandum.

quoniam ſcriptum eſt: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in divitiis ſuis; ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me, quia ego ſum Dominus.* Ierem. 9. verſ. 23. Rurſus: *Hæc eſt vita*

Vita æterna noſſe Deum.

æterna, inquit Veritas, ad Patrem ſermonem dirigens, *ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti* Iesvm *Chriſtum.* Ioan. 17. *Abſque*

Ignorans Deum, pecus. D. Hieron. Epiſt. ad Heliod.

notitia ſui Creatoris, homo pecus eſt, ait Eccleſiæ Doctor maximus. Sui-ipſius verò cognitio neceſſaria

2. Sponſa ſe ignorans repudiatur.

eſt; quia cæleſtis Sponſus ſe ignorantem repudiat Sponſam. *Si ignoras te*, inquit, *ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos, juxta tabernacula paſtorum.* Cant. 1. *Noſce teipſum*, monet D. Ambroſ. *non ut ferunt oracula Apollinis Pythii, ſed Salomonis ſancti. Quod niſi feceris*, exponit

Orig. Hom 2. in Cant. apud D. Hieron. tom. 4.

Orig. *jubeo te exire, & in ultimis gregum veſtigiis collocari: & jam non oves, neque agnos, ſed hædos paſcere: illos ſcilicèt, qui pro pravitate, & laſcivia, à ſiniſtris ſtaturi ſunt Regis in judicio præſidentis, & cùm tibi introducta in cubiculum regium oſtenderem, quæ ſumma ſunt bona, ſi non cognoveris temetipſam, oſtendam tibi etiam, quæ ſunt ultima mala.* Sic Orig. *Ecce ſic maledicetur homo*, ait D. Bern. in Cant.

Hom. 35.

qui ignorantiam Dei habere inventus fuerit. Dei dicam, an ſui? Vtrumque ſine dubio: utraque ignorantia damnabilis: utralibet ſufficit ad perditionem. Vis ſcire, quia ita eſt? Sed de Dei minimè dubitas; ſi tamen conſtat tibi, non aliam eſſe vitam æternam, quàm ut Patrem cognoſcas Deum verum eſſe, & quem miſit Iesvm *Chriſtum. Audi ergo Sponſum liquidò, & apertè in anima, etiam animæ ignorantiam condemnantem,*

nantem, quid enim dicit? Non utique ſi Deum; ſed, Si ignoras te, inquit, *&c. Patet ergo, quia ignorans ignorabitur, ſive ſe, ſive Deum ignorare contingat. Vtraque cognitio tibi neceſſaria eſt ad ſalutem. Nemo abſque ſui cognitione ſalvari poteſt: de quâ nimirum mater ſalutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipſe ſicut initium ſapientiæ, ita eſt & ſalutis. Nemo dico, abſque illa cognitione ſalvatur, qui tamen ætatem habeat, ac facultatem cognoſcendi, quod propter parvulos loquor, & fatuos, quorum alia ratio. Quod ſi ignoras Deum, poteritne eſſe ſpes ſalutis cum Dei ignorantia? Ne hoc quidem. Nec enim potes amare, quem neſcias; aut habere, quem non amaveris. Noveris proinde te, ut Deum timeas; noveris ipſum, ut æquè eum diligas. In altero initiaris ad ſapientiam, in altero conſummaris. Quia, Initium ſapientiæ timor Domini: &, Plenitudo legis eſt charitas.*

D. Bern. Hom. 37. in Cant. Humilitas mater ſalutis. Humilitas & timor Domini ex notitia ſui oritur.

4. *Sed*, ut ait idem Bernard. *quia Deum nemo vidit unquam, qui lucem habitat inacceſſibilem, à te tua conſideratio inchoët, ne fruſtra extendaris in alia te neglecto. Quid tibi prodeſt, ſi univerſum mundum lucreris, te unum perdens? Et ſi ſapiens ſis, deeſt tibi ad ſapientiam, ſi tibi non fueris. Quantum vero? Vt quidem ſenſerim ego, totum. Noveris licèt omnia myſteria, noveris lata terræ, alta cæli, profunda maris, ſi te neſcias, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, ruinam, non ſtructuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, erit, inſtar congeſti pulveris, ventis obnoxium.* Hactenus Bernard. Itaque attende tibi-ipſi, ô homo, & homo cùm ſis, fac id ſemper intelligas. Quia primùm decet, ſuffragante magno illo Antonio, rationabilem virum cognoſcere ſemetipſum; deinde ut cognoſcat ea, quæ ſunt Dei, & univerſas gratias, quaſcumque ſemper cum eo facit. Atque hoc modo, ait Bernard. erit gradus ad notitiam Dei, cognitio ſui. *Inviſibilia enim ipſius*, teſte Apoſtolo Rom. 1. *à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.*

Lib. 2. Conſid. Homo debet primò vacare ut noſcat ſe, deinde Deum.

Ex notitia creaturæ venitur ad notitiam creatoris.

Iuxta ergo conſilium Sapientium, *Attende tibi*, ô homo, &, *Noſce te-ipſum*. Peccato nil pejus, nil fædius, nihil undequaque calamitoſius. Homo autem in peccatis concipitur, in peccatis naſcitur, in peccatis vivit. *Ecce enim*, ait Pſalmiſta, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et Iob 25. *Numquid juſtificari poteſt homo comparatus cum Deo, aut apparere mundus natus de muliere?* Quaſi dicat, neutiquam. Hinc Apoſtolus Epheſ. 2. *Eramus naturâ filii iræ.* Quod item nemo vitam hanc caducam ſine delicto tranſigat, experientiâ magiſtrâ (prô dolor!) diſcimus. Quis enim hominum non quandoque, ſive in venialia, ſive in letalia labitur? *Non eſt juſtus in terra*, teſte Scripturâ, *qui faciat bonum, & non peccet. Septies cadet juſtus, & reſurget: impii autem corruent in malum.* Audi etiam D. Auguſt. MARIA *Virgine exceptâ*, inquit, *ſi omnes illos Sanctos, & Sanctas, qui in Scripturis ſanctis non modò non peccâſſe, verùm etiam*

5. *Pſal. 50.* Miſer hominis ſtatus poſt Adami peccatum. Homo in peccatis concipitur. & naſcitur. Vita hominis obnoxia peccatis.

Eccleſ. 7. Prov. 24. Lib. de Nat. & Grat. c. 36. Nemo immunis à peccatis præter B. V.

Digitized by Google

etiam juſtè vixiſſe referuntur, cùm hic viverent congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? Quantálibet fuerint in hoc corpore excellentiâ ſanctitatis, ſi interrogari potuiſſent, una voce clamâſſent illud, quod ait Ioan. Apoſtolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Tam deteſtabile Deoque diſplicens eſt peccatum, quantumvis minimum, ut pro nullo bono, ne quidem pro animabus de Purgatorio, aut etiam inferno liberandis committere liceat, nec ullus, veniali ſolummodo reſperſus maculâ, faciem Dei intuebitur. Quid de damno, ac culpa lethali loquar? Illâ ſummum amittitur bonum, atque extremum malum incurritur, ob unicum ſolum crimen homo viſione beata, & fruitione glorioſa Dei in æternùm privatur: nec non ad ignem inferni ablegatur in perpetuum cruciandus.

Non faciendo mala, ut eveniant bona.

Peccatum mortale quantum malum.

6\. Noſce te-ipſum, homo. Natura nihil ſic refugit ac dolorem, & mortem. *Homo* autem *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, &c.* Cujus hæc doctrina? Iobi, viri illuminatiſſimi, & expertiſſimi. *Homo,* ait, non pars ſeu membrum ipſius aliquod, ſed homo totus, tantus quantus ſecundùm animam, & corpus eſt; *repletur,* id eſt, afficitur, ſeu potius immergitur, non aliquo uſque, ſed à calce pedum, uſque ad verticem capitis, interius, exterius, ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profundum. Quibus? non gaudiis, non honoribus, non voluptatibus, ſed *miſeriis.* Quot? non una aut altera, ſed *multis,* inquit, quemadmodum etiam Sapiens alius conteſtatur, ac ipſimet experimur. *Cuncti dies hominis,* ait, *doloribus, & ærumnis pleni ſunt.* D. Bernard. ad Eugenium Papam ſcribens in hunc modum Iobi doctrinam exponit: *Homo natus de muliere; & ob hoc, cum reatu: brevi vivens tempore, ideoque cum metu: repletur multis miſeriis, & propterea cum fletu. Et verè multis: quia corporis, & animæ ſimul. Quid enim calamitate vacat naſcenti in peccato? Fragili corpore, & mente ſterili? Verè ergo repletus, cui infirmitas corporis, & fatuitas cordis cumulatur traduce ſordis, mortis addictione. Salubris copula, ut cogitans te ſummum Pontificem, attendas pariter viliſſimum cinerem non fuiſſe, ſed eſſe, &c.* Rurſus alibi: *In ſordibus, ait, generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur, ante exitum miſeras oneramus matres, in exitu more viperio laceramus: mirum, quod non ipſi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus: meritò quidem, utpote vallem plorationis ingreſſi, ut nobis illud Iob ex omni parte poſſit aptari. Homo natus de muliere, &c. Quàm verum hoc ſit, non nos verba docuêre, ſed verbera. Homo natus de muliere, nihil abjectius. Et ne fortè ex ipſa ſibi voluptate corporeorum ſenſuum, quam de ſenſibilibus hauriat, blandiatur, in ipſo ſtatim introitu, de exitu quoque terribiliter monetur, cùm dici-*

Homo velit nolit miſer.

Homo flori & umbræ ſimilis.

Eccleſ. 2.

Serm. 4. Hebdom. pœn.

dicitur: brevi vivens tempore: ac ne ſpatiolum illud, quod inter ingreſſum, & egreſſum relinquitur, ſibi liberum putet, repletur, ait, multis miſeriis: multis, & multiplicibus, inquam, miſeriis corporis, miſeriis cordis, miſeriis cùm dormit, miſeriis dum vigilat, miſeriis quaquaverſum ſe vertat.

7. Noſce teipſum, homo. Princeps Philoſophorum Ariſtoteles, cùm aliquando rogaretur, quid eſſet homo? Reſpondit: *Imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, invidiæ, & calamitatis trutina: reliquum verò pituita, & bilis.* Vivis coloribus atque pigmentis hominis conditionem miſeram Philoſophus hic, quamvis ethnicus, expreſſit. 1ò vocat hominem *Imbecillitatis exemplum*, propter maximam ejus infirmitatem præ ceteris creaturis. Adeò enim infirmus eſt, ut vel unico aquæ hauſtu vita periclitetur, vel aëris tenui flatu, ad inſtar floris, extinguatur. Dicit præterea hominem eſſe *temporis ſpolium*; quia ſine ullâ intermiſſione ſenſim à tempore ſpoliatur vitâ, ac tandem omni ſpiritu. Quotidie intereunt homines, ſingulis horis campanæ funera reſonant, induuntur ad ſepulturam obeuntium corpora, cadavera efferuntur, & ſepulchris condita hominum ſpolia tempus victor manifeſtat. Ne his contentus Ariſtoteles, quaſi per ludibrium, *fortunæ luſum* appellat, à puellarum pupis ſumptâ metaphorâ. Puellæ enim dum oblectamenta (ut fert ætas) ſectantur, jam pupulas ornant veſtibus, jam exornatas denudant, jam regio diademate coronant, jam per ignominiam, & dedecus privant, quandoque in terram deprimunt. Eſt hic luſus puellarum; ſed exprimit ad vivum fortunam, & conditionem hominis: hodie ſecundo vento navigans gloriâ, & honore ad cælum extollitur: cras, versâ vice, cum dedecore ad ima deprimitur: jam lætus, jam triſtis oſtenditur; jam ridet, jam lacrymatur; quandoque divitiarum affluentiâ floret, quandoque paupertate conſumitur. Dicitur inſuper, *inconſtantiæ imago*, quia numquam eſt ejuſdem propoſiti tenax; jam appetit quidpiam, & expoſtulat, jam illud faſtidit, & rejicit; jam unicè amat, jam maximo rem amatam proſequitur odio; nunc aliquid approbat, mox idem reprobat, adeò ut nullus ſit ventorum index, qui quolibet agitatus flatu tam facilè volvitur. Sequitur, *trutina invidiæ, & calamitatis.* Homo quippè peculiaris trutina eſt, in qua invidia, & calamitas examinantur. Nam licèt inter animantia, rationis expertia, bella, & contentiones oriantur, ac ærumnarum ſint participia, homo tamen, qui rationis capax eſt, metrum, & menſura miſeriarum meritò reputatur. Semper enim in laboribus verſatur, nec ſuis contentus, aliorum afflictionibus communicat. Quid multa? ſi alios felices, ac fortunatos exiſtimat, ſtimulatur invidiâ; ſi quos conſpiciat agitari laboribus, ani-

Homo imbecillitatis exemplum.

Homo ſpolium temporis.

Homo fortunæ luſus.

Imago inconſtantiæ.

Trutina invidiæ.

animique doloribus excruciari, ultrò ſe eis comitem offert, ac in eadem crucis rota libenter circumvolvitur. O miſeram, & ter miſeram hominis conditionem, tantis obnoxiam ærumnis! Quod reliquum eſt *Pituita, & bilis eſt.* Conſtat etenim homo pituitâ, & bili, terrenis ſcilicèt humoribus, qui ſatis ſuperq; indicant illum eſſe animal terreſtre luteumque, ex pituita, & bili coagmentatum. Hæc eſt Philoſophi ſententia, qui naturali dumtaxat lumine ductus, veritatis ſcopum attigit. Neque enim in libris Iob aut Prophetarum, ſed naturæ, & experientiæ verſatus eſt.

Pituita, & bilis.

8\. Noſce te-ipsum, homo. Regius Vates divino afflatus ſpiritu, nativè hominem hoc brevi verbo delineat; *Vniverſa vanitas*, inquit, *omnis homo vivens.* Non tantùm dicit hominem vanum, ſed vanitatem ipſam, nec unam aut alteram, ſed omnem vanitatem. Et ne divites, aut potentes, ſeu quivis alii in mundo præcellentes excludi putarentur, expreſsè ponit, *omnis homo vivens.* Vanum dicimus illud, quod quamdam ſolidi ſpeciem habet, ſed revera inane ac futile eſt. Quamdam veritatis apparentiam præ ſe ferre videntur, ſanitas corporis, pulchritudo, divitiæ, honores, deliciæ, &c. verùm ſi accuratè perſpiciantur, inſtar inanis umbræ ſunt, quæ non eſt res, ſed umbra rei. Terrena omnia, cùm levi nitantur fundamento, pertranſeunt, & numquam in eodem ſtatu permanent, ſed velociſſimè ad interitum feſtinant; adeoque Propheta cenſuram explicans ſuam, mox addidit: *In imagine pertranſit homo.* Itaque non ſolum *vanitati ſimilis factus eſt homo*, nec *deficiunt* dumtaxat *in vanitate dies ejus, & anni ejus cum feſtinatione*, nec tantum *vanitati ſubjecta eſt creatura*, ſed ipſiſſima quoque vanitas; quoniam per hoc, quod vivendo ad interitum tendit, ut ait D. Gregor. (etiamſi ſit vel Moyſes, vel Petrus, vel Paulus, vel Ioannes, &c. ut hoc loco loquitur Origenes, & Ambroſius) rectè vanitas dicitur.

Pſal. 38. Quiſque homo omnis vanitas.

Vanum quid.

Terrena omnia caduca.

Pſal. 143. *Pſal.* 77. *Rom.* 8.

Noſce teipſum, homo. *Iugum grave*, ait divinus Sapiens, *ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum, & timores cordis, adinventio exſpectationis, & dies finitionis: à reſidente ſuper ſedem glorioſam, uſque ad humiliatum in terra, & cinere: ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, uſque ad eum, qui utitur lino crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perſeverans, & contentio, & in tempore refectionis in cubili ſomnus noctis immutat ſapientiam ejus. Vnus eſt interitus hominis, & jumentorum. Et æqua utriuſque conditio.* Nota ſingula, & pondera. 1º dicit homini non per unum aut alterum diem, menſem vel annum, ſed per totam vitam, nempè à primo die nativitatis uſque ad diem obitus imponi jugum grave. 2º, exponit in quibus jugum illud grave conſiſtat. *In cogitationibus*, ſcilicèt, anxiis, & 9.

Eccleſ. 40.

Homo à Salomone depictus.

Rex æquè miſer ac ruſticus.

Eccleſ. 3.

Homo continuo patitur jugum grave.

Jugum grave in quibus conſiſtat. In cogitationibus.

dicitur: brevi vivens tempore: ac ne ſpatiolum illud, quod inter ingreſſum, & egreſſum relinquitur, ſibi liberum putet, repletur, ait, multis miſeriis: multis, & multiplicibus, inquam, miſeriis corporis, miſeriis cordis, miſeriis cùm dormit, miſeriis dum vigilat, miſeriis quaquaverſum ſe vertat.

7\. Noſce teipſum, homo. Princeps Philoſophorum Ariſtoteles, cùm aliquando rogaretur, quid eſſet homo? Reſpondit: *Imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, invidiæ, & calamitatis trutina: reliquum verò pituita, & bilis.* Vivis coloribus atque pigmentis hominis conditionem miſeram Philoſophus hic, quamvis ethnicus, expreſſit. 1° vocat hominem *Imbecillitatis exemplum*, propter maximam ejus infirmitatem præ ceteris creaturis. Adeò enim infirmus eſt, ut vel unico aquæ hauſtu vita periclitetur, vel aëris tenui flatu, ad inſtar floris, extinguatur. Dicit præterea hominem eſſe *temporis ſpolium*; quia ſine ullâ intermiſſione ſenſim à tempore ſpoliatur vitâ, ac tandem omni ſpiritu. Quotidie intereunt homines, ſingulis horis campanæ funera reſonant, induuntur ad ſepulturam obeuntium corpora, cadavera efferuntur, & ſepulchris condita hominum ſpolia tempus victor manifeſtat. Ne his contentus Ariſtoteles, quaſi per ludibrium, *fortunæ luſum* appellat, à puellarum pupis ſumptâ metaphorâ. Puellæ enim dum oblectamenta (ut fert ætas) ſectantur, jam pupulas ornant veſtibus, jam exornatas denudant, jam regio diademate coronant, jam per ignominiam, & dedecus privant, quandoque in terram deprimunt. Eſt hic luſus puellarum; ſed exprimit ad vivum fortunam, & conditionem hominis: hodie ſecundo vento navigans gloriâ, & honore ad cælum extollitur: cras, verſâ vice, cum dedecore ad ima deprimitur: jam lætus, jam triſtis oſtenditur; jam ridet, jam lacrymatur; quandoque divitiarum affluentiâ floret, quandoque paupertate conſumitur. Dicitur inſuper, *inconſtantiæ imago*, quia numquam eſt ejuſdem propoſiti tenax; jam appetit quidpiam, & expoſtulat, jam illud faſtidit, & rejicit; jam unicè amat, jam maximo rem amatam proſequitur odio; nunc aliquid approbat, mox idem reprobat, adeò ut nullus ſit ventorum index, qui quolibet agitatus flatu tam facilè volvitur. Sequitur, *trutina invidiæ, & calamitatis*. Homo quippè peculiaris trutina eſt, in qua invidia, & calamitas examinantur. Nam licèt inter animantia, rationis expertia, bella, & contentiones oriantur, ac ærumnarum ſint participia, homo tamen, qui rationis capax eſt, metrum, & menſura miſeriarum meritò reputatur. Semper enim in laboribus verſatur, nec ſuis contentus, aliorum afflictionibus communicat. Quid multa? ſi alios felices, ac fortunatos exiſtimat, ſtimulatur invidiâ; ſi quos conſpiciat agitari laboribus, ani-

Homo imbecillitatis exemplum.

Homo ſpolium temporis.

Homo fortunæ luſus.

Imago inconſtantiæ.

Trutina invidiæ.

animique doloribus excruciari, ultrò ſe eis comitem offert, ac in eadem crucis rota libenter circumvolvitur. O miſeram, & ter miſeram hominis conditionem, tantis obnoxiam ærumnis! Quod reliquum eſt *Pituita, & bilis eſt.* Conſtat etenim homo pituitâ, & bili, terrenis ſcilicèt humoribus, qui ſatis ſuperq; indicant illum eſſe animal terreſtre luteumque, ex pituita, & bili coagmentatum. Hæc eſt Philoſophi ſententia, qui naturali dumtaxat lumine ductus, veritatis ſcopum attigit. Neque enim in libris Iob aut Prophetarum, ſed naturæ, & experientiæ verſatus eſt.

Pituita, & bilis.

8. Noſce te-ipſum, homo. Regius Vates divino afflatus ſpiritu, nativè hominem hoc brevi verbo delineat; *Vniverſa vanitas,* inquit, *omnis homo vivens.* Non tantùm dicit hominem vanum, ſed vanitatem ipſam, nec unam aut alteram, ſed omnem vanitatem. Et ne divites, aut potentes, ſeu quivis alii in mundo præcellentes excludi putarentur, expreſsè ponit, *omnis homo vivens.* Vanum dicimus illud, quod quamdam ſolidi ſpeciem habet, ſed revera inane ac futile eſt. Quamdam veritatis apparentiam præ ſe ferre videntur, ſanitas corporis, pulchritudo, divitiæ, honores, deliciæ, &c. verùm ſi accuratè perſpiciantur, inſtar inanis umbræ ſunt, quæ non eſt res, ſed umbra rei. Terrena omnia, cùm levi nitantur fundamento, pertranſeunt, & numquam in eodem ſtatu permanent, ſed velociſſimè ad interitum feſtinant; adeoque Propheta cenſuram explicans ſuam, mox addidit: *In imagine pertranſit homo.* Itaque non ſolum *vanitati ſimilis factus eſt homo,* nec *deficiunt* dumtaxat *in vanitate dies ejus, & anni ejus cum feſtinatione, nec tantum vanitati ſubjecta eſt creatura,* ſed ipſiſſima quoque vanitas; quoniam per hoc, quod vivendo ad interitum tendit, ut ait D. Gregor. (etiamſi ſit vel Moyſes, vel Petrus, vel Paulus, vel Ioannes, &c. ut hoc loco loquitur Origenes, & Ambroſius) rectè vanitas dicitur.

Pſal. 38. Quiſque homo omnis vanitas.

Vanum quid.

Terrena omnia caduca.

Pſal. 143.

Pſal. 77.

Rom. 8.

Noſce teipſum, homo. *Iugum grave*, ait divinus Sapiens, *ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum, & timores cordis, adinventio exſpectationis, & dies finitionis: à reſidente ſuper ſedem glorioſam, uſque ad humiliatum in terra, & cinere: ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, uſque ad eum, qui utitur lino crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perſeverans, & contentio, & in tempore refectionis in cubili ſomnus noctis immutat ſapientiam ejus. Vnus eſt interitus hominis, & jumentorum. Et æqua utriuſque conditio.* Nota ſingula, & pondera. 1ò dicit homini non per unum aut alterum diem, menſem vel annum, ſed per totam vitam, nempè à primo die nativitatis uſque ad diem obitus imponi jugum grave. 2ò, exponit in quibus jugum illud grave conſiſtat. *In cogitationibus*, ſcilicèt, anxiis, & mor-

9. *Eccleſ.* 40.

Homo à Salomone depictus.

Rex æquè miſer ac ruſticus.

Eccleſ. 3.

Homo continuo patitur jugum grave.

Jugum grave in quibus conſiſtat. In cogitationibus.

Digitized by Google

mordacibus torquentibus cor, & animum rapientibus in diverſas partes, de neceſſariis ad ſe, ſuamque familiam alendam procurandis, de munere ſuo rectè obeundo, &c. *In timoribus cordis*, ex hujuſmodi cogitationibus exſurgentibus, quibus homines miris modis crucientur. *In adinventionibus exſpectationis*, id eſt, in excogitatione imaginaria, & ſolicita rerum exſpectandarum, cùm quis animo deſignat adfore res concupitas, vel mala fingit imminentia multo plura, vel majora, quàm ſint futura, eſtque hæc rerum exſpectatio anxia, Deut. 28. *Dabit tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore, & erit vita tua quaſi pendens ante te.* Patet in Cain Gen. 4. qui ſanguine fraterno manus cruentavit; in Ægyptiis, quas una omnes tenebrarum catenà colligatos, & monſtrorum timore perculſos legimus Sap. 17. in Baltaſſare Dan. 5. Aggravat etiam ſupra modum Adæ jugum, *dies finitionis*, id eſt, obitus. 3° ab his miſeriis neminem vult excipi. *Ab eo*, inquit, *qui utitur hyacintho, &c.* expoſuerat aliqua ratione occupationem, & jugum grave, quod humeris mortalium impoſitum: jam ſubjicit omnes illi jugo ſubjacere, nullumque prorſus illius expertem eſſe: omnibus hoc portandum à maximo uſque ad minimum, à nobiliſſimo, & feliciſſimo Principe, uſque ad plebejum infimum, & mendicum. Sunt enim hæc adagia Hebraica, quibus ſignificatur tam divites quàm pauperes eidem conditioni ſubjacere; omnes ſcilicet eſſe miſerrimos, quantumvis beatiſſimi habeantur. 4° Ne minus dixiſſe videretur, quàm revera eſt, addit: *Furor, zelus, tumultus, &c.* 5°, declarat hominem non tantum gravari moleſtiis per diem, ſed etiam in loco, & tempore quietis, ſive per noctem in cubili ſuo, ubi corpus, & ſimul animus refici ſopore conſuevit: *In cubili, ait, ſomnus noctis immutat ſcientiam ejus*, id eſt, illum torquet, dum imaginatricem perturbat, & ſic quies vertitur in inquietudinem. Hoc expertus Iob ait c. 7. *Si dixero conſolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in ſtrato meo: terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.* Et ſic homo die ac nocte eſt miſerrimus.

In timoribus. *In ſolicitudinibus.* *In morte.* *In furore, zelo, &c.* *Homo etiam dormiens torquetur.*

10. Demum finem hominis jumentis comparat, dicens: *Unus eſt interitus hominis, & jumentorum, &c.* Quod unum, & æqualem dicat hominis, & brutorum interitum, & conditionem, intellige circa corpus humanum, quod jumentorum inſtar in putredinem cineremque vertitur: alioquin hominis peccatoris conditio multum diſſimilior deteriorque. Iumenta enim ad centrum ſuum terram, de qua ſumpta ſunt, tendunt, ac in eam omnino reſolvuntur: aſt homo impius Deo centro ſuo, & fine, ad quem quandoque fruendum creatus eſt, fruſtratur. *In terra Sanctorum*, ait Propheta, *iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini*: atque

Finis hominis idem cum jumentis. *Mors peccatorum peſſima.* *Iſa. 26.*

Digitized by Google

que cum Angelis prævaricatoribus pœnas inferni luet, ardebitque in ſæcula ſæculorum.

11. Infantia hominis pejor brutis.

Noſce te-ipſum, homo. Pleraque animalia bruta, mox ab ortu ſuo, ſubſiſtunt pedibus, & more ſuo cibum quæritant, & ſine adminiculo vivunt: homo autem à primo ſuæ nativitatis die uſque ad annos plures, etſi ad imaginem Dei conditus, nihilominus rationis impos degit, ac quaſi homo non eſſet, nihil homine dignum molitur: quin-imò niſi ei ſummè invigiletur, ſe hominem perdet, antequàm ſe hominem ſciat.

12. Hominis impotentia.

Noſce te-ipſum, homo. Homo, licèt annos diſcretionis ingreſſus, in iiſque vitæ reliquum tranſigat, ex ſemet-ipſo tamen nihilo melior aut potentior redditur, quin-imò ſibi-ipſi relictus velut vapor declinat, peritque. *Quæ enim eſt vita veſtra*, rogat B. Iacobus? *Vapor*, inquit, *eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur*. (Jac. 4.) Nemo ad vitam ſuam, ne horulam apponere poteſt, nemo ad ſubſtantiam ſuam, vel modicum addere. Vnde Salvator Chriſtus apud Lucam c. 12. infirmitatis humanæ magnitudinem declarare volens, inquirit: *Quis autem veſtrum cogitando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* (Luc. 12.) Et alibi: *Non potes*, inquit, *unum capillum facere album aut nigrum.* (Matth. 5.) Rurſus: *Sicut palmes*, ait, *non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* (Joan. 15.) Paulus demum: *Non ſumus*, ait, *ſufficientes cogitare aliquid* (2. Cor. 3.) *à nobis, quaſi ex nobis.* Si ergo neque, quod minimum eſt, poſſumus: quod majus, quis poterit?

Ex hac tanta imbecillitate, miſeriarum multitudine, rerumque omnium penuria, homo per antonomaſiam, id eſt, propter exceſſum in illis præ ceteris creaturis, pauper mundi meritò dici poteſt, & verè eſt, atque in Scripturâ, præſertim in Pſalmis, pro tali agnoſcitur, & proclamatur. Ex quo ſequitur, quod velut pauper, & calamitoſus totam hanc vitam præſentem in mendicitate homo tranſire debeat, juxta illud Chriſti: *Oportet ſemper orare, & numquam deficere.* (Luc. 18.) Verùm ad cujus fores pauper hic, & undequaque miſer accedet, pulſabitque? Quem indies exorabilem habebit? Quis tam potens, & affluens, ut omnimodam ejus indigentiam ſublevare, malumque peccati tollere queat? Quis uſque adeo benignus, & pius, ut vilitatem tantam, & putredinem non abhorreat? Quis ita longanimus, ut ſingulis momentis clamores ſufferat, & non quandoq; fatigetur? Quis tam Sanctus, & ad bonum ita effuſus, ut etiam hoſtium faciem preceſque haud dedignetur? Nemo, nemo ſanè niſi Deus creator omnium, qui thronum gloriæ ſuæ in cælis poſuit, indeque cunctos mendicos ſupplices intuetur, moderatur, & miſeretur: ſuperbos autem diſpergit, & divites dimittit inanes. Hinc David: *Et nunc*, ait, *quæ eſt exſpectatio mea? Nonne Dominus?* (Pſal. 38.) Quaſi dicere voluiſſet,

13. Homo antonomaſticè pauper mundi.

Homo neceſſe habet mendicare.

Paupertati humanæ Deus ſolus ſatisfacere poteſt.

Digitized by Google

Propheta David in Deo ſpem omnem ponebat.

ſet. Cùm ſint res meæ in adeo miſerabili ſtatu, & quivis homo, ac quæcumque moliatur plena vanitatis, vita quoque cùm tam brevis: quid fruſtra ſperem, cogitemve theſauros, vel alia humana ſubſidia, & non potius ſolum Deum. Tu ergo ſolus es, ô Creator Deus, in quem omnem ſpem loco, totum meum eſſe, & ſubſiſtere, quidquid ſum, quidquid valeo, quidquid habeo apud te depono, tibi commendo, ex te uno pendeo, in te, ac à te ſubſiſto, nullum aliud malis
Pſal. 38. meis remedium, quàm te volo. *Exaudi* (ergo) *orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.* Hinc, & Chriſtus in Euangelio hortatur omnes ad Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis confugere, atque dicere: *Pater noſter qui es in cælis: Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum, &c. Panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie: Et*
Actor. 17. *dimitte nobis debita noſtra, &c. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus,* inquit Apoſtolus. Ex ipſo omnis noſtra ſufficientia, qui peccata remittit in millibus, qui donat omnibus affluenter, & non improperat, ac nemo bonus, niſi ſolus Deus. Ad hunc itaque recurrat miſellus, & pauper homo, hunc deprecetur egenus, & languidus, huic neceſſitates, ac vulnera detegat pœnitens peccator, huic continuò adhæreat orphanus, & derelictus, in eoque ſperet, proculdubiò non fraudabitur à deſiderio animæ ſuæ, paſcetur in divitiis Domini,

Chriſtus in Euangelio docet qualiter mendicandum. Matth. 6.

atque in protectione Dei cæli commorabitur. Scriptum eſt enim:
Quæcumque orantes petitis, credite, Marc. 11.
quia accipietis. Numquid obliviſci Iſa. 49.
poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & , ſi illa oblita fuerit, ego tamen, ait, non obli- Luc. 11.
viſcar tui. Et ſi vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.

LECTIO II.

De Deo Vno, & Trino, ac Chriſto Hominis ad eum Mediatore.

APud D. Auguſtinum velut axioma eſt, *Amari non poſſe,* Lib. 10.
niſi nota. Vnde ſicut ad amandum Trin. Init.
Deum ipſius notitia, ſic ad eumdem noſcendum, ut oportet, fides divina maximè neceſſaria eſt.
Duobus autem in locis cognoſcitur Deus, in cælis, & in orbe terrarum, non alieno tamen, ſed proprio lumine inſtar ſolis cognoſci poteſt, juxta illud Pſalmi 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Sicut per radios à ſole diffuſos, ſolem ipſum intuemur: ita per lucem à Deo dimanantem, Deum ipſum cognoſcimus. Si ſol radios colligat, mille licèt faces incendas, ſolem non cernes: ſi Deus lumen ſuum non impertiat, ſcientiarum licèt omnium lumina adhibeas, ſacroſanctæ Trinitatis naturam, ejuſdemque opera non intelliges. Hinc

14. Ad Deum noſcendum fides neceſſaria.

Deus non noſcitur niſi lumine ab ipſo manante.

Lib. de Præm. & Pœn.

Hinc Philo: *Solem, inquit, hunc viſibilem, num aliâ re, quàm ipſo adjuti, cernimus? Quid ſtellas, an non ſolâ ſtellarum ope aſpicimus?* In eumdem ſanè modum, & Deus per ſeipſum illuſtrat ſui notitiam.

Beati in cælo lumine gloriæ, homo in terra lumine fidei Deum cognoſcit.

In cælo ergo Beatorum intellectum lumine gloriæ clariſſimo illuſtrat, quo illuſtratus ſacroſanctæ Trinitatis eſſentiam, & magnam rerum conditarum multitudinem intuetur. In hoc verò terrarum orbe viatorum intellectum lumine fidei certiſſimo illuminat, quo illuminatus, eamdem Trinitatem ejuſque opera admiranda, non quidem manifeſtè, ut Beati, ſed tamen certiſſimè, veriſſimè, & infallibiliter cognoſcit. Olim Deus Iſraëlitis loquebatur in columna nubis, ita etiam nunc loquitur ad Chriſtianos. Nam columnæ nubis ſimilis eſt fides: columnæ quidem, quia reliquarum virtutum eſt fulcimentum: nubis verò inſtar eſt, quia evidentiâ carens obſcuritatem habet: neque tamen obſcuritas incertitudinem vel minimam admixtam habet, cùm fidei auctor ſit Deus, qui fallere non poteſt: & quandoquidem omnia benè, & ſalubriter diſponat, hinc eſt quod obſcuritas fidei in maximum hominum meritum cedat. Vt enim ait D. Gregor. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Habet autem meritum, & quidem maximum, quæ omnes rationis gradus tranſcendens ſine experimento, ſine demonſtratione, ſine evidentia Deo ex obſcura columna nobis loquenti credit. Vnde illud Chriſti Ioan. 20. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Et illud Auguſtin. in Pſalm. 109. *Quæ eſſet merces fidei, niſi lateret, quod credimus.* Fides licèt obſcura, firmiorem tamen cognitionem parit, quàm quævis ſcientia. Sicut aſtra omnia, quotquot fulgent cælo, quamvis lucis aliquid adferant, noctem tamen ſuâ luce pellere nequeunt: ſic omnes ſcientiæ, quotquot mortalium labore, & ingenio repertæ ſunt, etſi aliquam cognitionem adferant, rerum tamen divinarum ignorantiam ex animo fugare non poſſunt. Sol noctem, fides rerum divinarum ignorantiam ex mundo pellit.

Fides columnæ nubis ſimilis.

Fides obſcuritatem habet, non incertitudinem.

Fides cedit homini ad meritum.

Fides de Deo firmam parit cognitionem.

15. Primum fidei documentum eſt, Deum eſſe. Hebr. 1. *Credere oportet, accedentem ad Deum, quia eſt.* Vis noſſe Deum, & ſcire nomen ejus? Hoc olim curioſius à Deo vocatus ad rubum requiſivit Moyſes, atque ab eodem ad filios Iſraël miſſus, ut illorum liberationem ab Ægyptiorum ſervitute nunciaret mox futuram: *Dicam eis,* inquit, *Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos, ſed ſi dixerint mihi, quod eſt nomen ejus? Quid dicam eis?* Reſpondit Dominus: *Ego ſum, qui ſum. Sic dices filiis Iſraël. Qui eſt, miſit me ad vos. Hoc nomen mihi eſt in æternum.* Quaſi dicere voluiſſet Dominus, tu Moyſes cupis noſſe me, ideoque nomen meum petis, ut illud manifeſtes filiis Iſraël, quorum ducem te conſtituo; tu ergo proteſtaberis coram illis, quòd nuncuper,

Fides docet Deum eſſe.

Nomen Dei, *Qui eſt.*

Ratio cur nomen, *Qui eſt*, Deo ſoli congruat.

per, *Qui eſt*. Hoc nomen mihi naturale eſt, & æternum, mihiqúe ſoli reſervo. D. Hieron. Epiſt. ad Damaſum PP. *Vna*, inquit, *eſt Dei, & ſola natura, quæ verè eſt. Id enim quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt. Cetera, quæ creata ſunt, etiamſi videntur eſſe, non ſunt: quia aliquando non fuerunt, & poteſt rurſus non eſſe, quod fuit. Deus ſolus, qui æternus eſt; hoc eſt, qui exordium non habet, eſſentiæ nomen verè tenet. Idcirco & ad Moyſen de rubo loquitur: Ego ſum, qui ſum. Et rurſum: Qui eſt, me miſit. Erant utique tunc Angeli, cælum, terra, maria. Et quomodo commune eſſentiæ nomen ſibi vendicat Deus? Sed, quia illa ſola natura eſt perfecta, & in tribus perſonis Deitas una ſubſiſtit, quæ eſt verè, & una natura eſt.* Hactenus Hieron.

Eſſe divinum quid importet.

D. Bernardus l. 5. Conſiderat. poſteaquam interrogavit: *Quid eſt Deus?* Reſpondet primò ſicut olim Moyſi Deus: *Qui eſt*. Deinde explicans quid illud *eſt* divinum importet, dicit: *Meritò quidem. Nihil competentius æternitati, quæ eſt Deus. Si bonum, ſi magnum, ſi ſapientem, vel ſi quid tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt, eſt. Nempe hoc eſt ei eſſe, quod hæc omnia eſſe: ſi & centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe: ſi non dixeris, nihil minuiſti.* Demum idem ſæpius interrogatum repetens, imbecillem intellectum noſtrum de omnimoda perfectione ejus, & bonitate informare conatur, his verbis: *Quid item Deus? Sine quo nihil eſt. Tam nihil eſt ſine ipſo, quam nec ipſe ſine ſe poteſt. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt, ac per hoc quodammodo ſolus eſt, qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe. Quid eſt Deus? Cui ſæcula non acceſſerunt, nec deceſſerunt, nec coæterna tamen. Quid eſt Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Quid eſt Deus? Quo nihil melius cogitari poteſt. Non eſt in Deo, niſi Deus. Quod habet, hoc eſt.* Veritas eſt, ſapientia eſt, virtus eſt, æternitas eſt, &c.

Ioan. Damaſc. *Principalius*, ait, *Dei nomen illud eſt: Qui eſt. Quia univerſum id, quod eſt, tamquam immenſum quoddam, & infinitum eſſentiæ pelagus complexu ſuo continet.*

Lib. 1. Orthod. fid. c. 12.

16. Iudicium itaque Sanctorum Patrum eſt, quod hoc Dei nomine, *Qui eſt*, propriè ſignificetur incommutabilis natura, & æterna Dei, adeoque illi maximè conveniens. Ipſe enim ſolus eſſe ſuum fixum habet, ſtabile, permanens, nulli alterationi, ac viciſſitudini obnoxium, juxta illud Iacobi c. 1. *Apud quem non eſt transſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Item, quia hoc nomine denotatur ſummum eſſe, quod Deus eſt, à nullo dependens, niſi à ſeipſo. Hinc Hebræi Cabaliſtæ appellàrunt eum *Saddai*, id eſt, ſibi ſufficientem. Hinc etiam Regium illud Pſal. 15. *Dixi Domino: Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges.* Tertiò, cetera attributa Deum in ſenſu aliquo ſecundùm captum noſtrum nobis cognitum reddunt: nomen verò, *Qui eſt*, cùm propriam ejus eſſentiam ſignificet, omnia attributa, v. g. verum, bonum,

Nomen, *Qui eſt*, ſignificat naturam Dei incommutabilem.

Digitized by Google

num, ſimplex, juſtum, omnipotens, glorioſum, &c. in ſe eminenter continet. Neque enim Deus bonus, omnipotens, juſtus, ſapiens, &c. per qualitatem eſſentiæ ſuperadditam, ſed per ſuam eſſentiam infinitè perfectam hujuſmodi omne excellens eſt.

17. Ne autem quid alienum ab eſſentia Dei cogites, fingaſve, informat te veritas Chriſtus. *Spiritus*, inquit, *eſt Deus. Spiritus autem carnem, & oſſa non habet*. Ioan. 4. Vnde quando legis, vel audis Deo attribui os, oculos, aures, manus, &c. hoc non intelligendum de organo corporeo, ſed de facultate loquendi, videndi, audiendi, &c. quâ pollet Deus. Quamobrem David blaſphemos quoſdam redarguens; *Intelligite*, ait, *inſipientes in populo: & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantavit aurem non audiet? Aut, qui finxit oculum non conſiderat? Qui corripit gentes non arguet? Qui docet hominem ſcientiam. Dominus ſcit cogitationes hominum*. Item Iob 28. *Ipſe fines mundi intuetur, & omnia, quæ ſub cœlo ſunt reſpicit. Spiritus*, inquam, *eſt Deus, ſed magnus, & non habet finem*. Vt dicitur Baruch 3. Et apud Iob 11. *Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? longior terrâ menſura ejus, & latior mari. Rurſus* Pſal. 146. *magnus Dominus noſter, & ſapientiæ ejus non eſt numerus*. Quod Propheta affirmat de ſapientia, etiam dicendum de attributis reliquis, potentia ſcilicet, juſtitia, bonitate, &c. nimirum, quod horum quoque omnium non ſit numerus, aut menſura; quia in rei veritate nihil ſunt diſtinctum ab ipſa divina eſſentia, ſed ipſiſſima eſſentia.

Deus ſpiritus eſt. Quid ſit Deo habere oculos, aures, &c.

Pſal. 93.

Deus ſpiritus immenſus.

18. D. Gregor. in Moral. *Omnia humana*, inquit, *quæ juſta ſunt, quæ pulchra ſunt, Dei juſtitiæ, & pulchritudini comparata, nec juſta, nec pulchra ſunt, nec omnino ſunt*. Hinc Luc. 18. *Deus dicitur ſolus bonus*. Apoc. 15. *Solus pius*. 1. Reg. 2. *Solus ſanctus*. 2. Machab. 1. *Solus juſtus*. 1. Tim. 6. *Solus potens, ſolus immortalis, & beatus*. Creaturarum ſiquidem eſſentiæ, bonitates, potentiæ, &c. à ſummo, & immenſo Dei eſſe dimanant, & continuò ac immediatè ab illo dependent, & quidquid ſunt, tantum ſunt participativè ab hoc eſſe; ac ſine concurſu jugique ejus adſiſtentia nihil poſſunt; ſine hoc fulcro ad nihilum, primum ſuum principium, redirent. Sicut ergo ſtellarum gloria coram ſole hoc viſibili non comparet, ſic multò magis teſte Prophetâ, *Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt in conſpectu Dei*. Iſaiæ 40.

Creaturæ in comparatione ad Deum nihil. Deus ſolus bonus, ſanctus, &c.

§. II.

Deus Vnus, & Trinus.

19. SEcundum fidei documentum eſt, Deum eſſe Vnum, & Trinum. *Vnum*, nempe, in ſubſtantia; & *Trinum* in Perſonis. *Vnus eſt*, patet Deuteron. c. 32. *Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me*. Item Epheſ. 4. *Vnus Dominus, una fides, unum baptiſma. Vnus*

Fides docet nos Deum unum eſſe, & Trinum. Unus in ſubſtantia, & trinus in perſonis.

Digitized by Google

Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Vnde in Symbolo fidei dicimus: *Credo in unum Deum.* Verùm, hic *Deus*, in Perſonis *Trinus* eſt, videlicèt, perſona Patris, perſona Filii, perſona Spiritus ſancti. Colligitur ex doctrina Chriſti Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Item 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. Et hi très unum ſunt*, videlicèt in ſubſtantia. Hinc etiam Eccleſiæ Catholicæ confeſſio ſic perſonat: *Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate veneremur. Alia eſt enim perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti. Sed Patris, & Filii, & Spiritus ſancti una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus.*

20. Myſterium Trinitatis credẽdum, non ſcrutandum.

Quod ſi quis petat, quomodo hoc capere poſſim, ut tres ſint perſonæ realiter diſtinctæ inter ſe, quarum una non ſit alia, & nihilominùs tres diſtinctæ perſonæ, non ſint niſi unus Deus? Fateor, neſcio vobis myſterium hoc maximè arduum reſerare, quia non capio, ſed credo firmiſſimè, ſuſpicio, ac adoro. Quid ultra tentatis? Neque vos capere oportet, ſed credere. Adquieſcamus pariter, fideique jugo colla ſubmittamus. Vincamur, & vinciamur nunc, ut in futuro vincamus, atque Beatorum libertate donemur in cælis. Deus ſiquidem immenſus, æternus, infinitus eſt, lucemque habitat inacceſſibilem: noſter verò intellectus finitæ ac exiguæ potentiæ eſt, adeo ut eum fugiat notitia plurium naturarum creatarum, ac proprietatum rerum inferiorum. Quis enim mortalium tam ſapiens, ut omnes noverit proprietates lapidum, & metallorum, herbarum omnium virtutes, atque planetarum influentiam, & effectus? Quis novit profunditatem terræ, latitudinem mundi, altitudinem cæli, numerum, & nomina ſtellarum? Quis oculis corporeis fixiſque ſolis creati coruſcum lumen illibatè ferre poteſt? Quod ſi viſus noſter mundi hujus ſolare jubar non ſuſtinet, longè minùs intellectus humanus ad immenſum fulguranſque increati ſolis lumen ſubſiſtet. Si corporearum rerum eſſentias, modos, & proprietates ignoramus, quomodo ſpiritualium attingemus? *Difficile*, ait Sapiens, *æſtimamus, quæ in terra ſunt; & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis ſunt, quis inveſtigabit?* Rurſum: *Intellexi*, ait, *quod omnium operum Dei, nullam poſſit homo invenire rationem, quæ fiunt ſub ſole, & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat, etiamſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.* Item: *Quomodo ignoras, quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis, ſic neſcis opera Dei, qui fabri-*

Homo res omnes creatas non capit, quanto minus increatam rem capiet.

Infirmitas intellectus humani.

Sap. 9.

Eccleſ. 8.

Eccleſ. 11.

Digitized by Google

Prov. 30. *fabricator eſt omnium.* Demum: *Tria,* inquit, *ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.* Ecce Salomon Regum omnium, ac virorum ſcientiâ multâ clarorum, ſapientiſſimus, multipliciter ignorantiam ſuam hominumque omnium circa res creatas fatetur, & prædicat. Propheta Iob quantumvis illuminatus, tamen ad magnitudinem Dei lubens ſuccumbit: *Ecce,* ait, *Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram.* Paulus Apoſtolus vas electionis, ad tertium raptus cælum, ingenii agnoſcens imbecillitatem captivat intellectum in fidei obſequium. Vnde, & exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus?* Quantò magis nos puſilli, imò nihil, mentes noſtras ad fidei doctrinam alligantes in eadem ſine curioſa indagine ſimpliciter acquieſcimus. Quia ſacra Pagina teſtante: *Iuſtus ex fide vivit. Qui autem ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.*

Job 36.

Intellectus captivandus in obſequium fidei.

Gal. 3. Prov. 25.

21. Honori ſibi ducit Deus ſubmiſſionem ingenii noſtri ad normam fidei, velutque homagium ſupremi dominii à rationali creatura exigit, ſuſcipitque. Nam quemadmodùm Regi terreno honorificum eſt, ſi præcellentes duces ſub jugum ſuum mittat, ſic Deo glorioſum, ſi humanum intellectum, partem animæ nobiliſſimam, per fidem in captivitatem redigat, juxta illud Pauli 2. Cor. 10. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes intellectum in obſequium Chriſti.* Felix captivitas, quæ dùm captivum reddit intellectum, liberat, dum ligat, ſolvit, dum ſubjicit, elevat: Captivum reddit fides intellectum, ſed ab ignorantia liberat: ligat, ſed ligans ſolvit ab errorum vinculis: ſubjicit, ſed ad divinæ voluntatis altitudinem ſublevat: catenas injicit, ſed aureas, & gemmatas, quibus ornetur potius, quàm vinciatur. Hujus gloriam declarat D. Ioannes in Epiſt. 1. c. 5. dicens: *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides veſtra.* Adhæc glorioſum regi, ſi munitiſſimas arces expugnet, & celſis mœnibus vexilla ſua infigat: glorioſum Deo, animos hominum, velut propugnacula fortia ſuperâſſe, atque in ſummis mœnibus, id eſt, in intellectu fidei, vexilla infixiſſe. Vexillo namque ſimilis eſt fides: vexilla milites diſtinguunt: fides Chriſtianos à Iudæis, Ethnicis, Mahometanis, hæreticiſque ſeparat, cui illud congruit Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Hebræum verbum à *vexillo* dicitur, ut notat Pagninus in Theſ. *Elevatum eſt ſuper nos velut ſignum, ſeu vexillum lumen vultus tui, à Deo, velut [illegible]le, diffuſum.* Id eſt, fides à Deo nobis donata, & intellectui noſtro infixa, ſub quo duce militemus demonſtrat.

Fides ab ignorantiâ liberat.

Itàque *Sacramentum hoc, id eſt,*

Digitized by Google

Trinitatis myſterium (ut Bernardi verbis utar) *magnum eſt*, *& quidem venerandum, non ſcrutandum; ſcrutari, temeritas eſt; credere pietas eſt; noſſe, vita, & vita æterna eſt.*

§. III.

Deus Creator.

22. Fides docet Deum eſſe omnium rerum creatorem.

ALterum, quod fides docet, eſt, Deum creatorem eſſe cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum, & terram, &c.* Rom. 11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Creavit autem hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, intellectu videlicèt, voluntate, & memoriâ præditum. Intellectu, quo ipſum Dominum ſuum agnoſceret: voluntate, quâ eum ſupra omnia diligeret; memoriâ, ut creatoris ergà ſe ineffabili bonitate perpensâ ad laudem ipſius, & gratiarum actionem jugiter provocaretur, ejuſque obſequiis nullo non tempore vacaret.

§. IV.

Chriſtus Mediator.

23. Deo quantus amor, laus, &c. conveniat.

VErùm, quo ad alia fidei documenta neceſſaria digrediamur: hoc loco obſervandum, Deo, ob infinitam eſſen[tiæ] ſuæ dignitatem, atque perfectionem, correſpondere, & competere amorem non niſi infinitum, laudem non niſi infinitam, honorem cultumque latriæ non niſi infinitum in excellentia, & complacentia, ſecundùm omnem dimenſionem; longitudinem ſcilicèt, latitudinem, ſublimitatem, & profundum, ab æterno, per æternum, in æternum. Hinc David in Pſalmis infinitam Dei magnitudinem agnoſcens, & prædicans, juxta eamdem docet eſſe laudandum. *Magnus*, inquit, *Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis.* *Laudate eum in virtutibus ejus: Laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis ejus.* Deo porro offenſo, ad plenam iræ placationem, plenam culpæ remiſſionem, plenamque amicitiæ priſtinæ dignam reſtitutionem, congruit hoſtia dignitatis infinitæ, nec non grata meriti infiniti ſatisfactio. Homo, ratione creationis ad imaginem Dei, obſtringitur ad priora obſequia; vi offenſionis incurſæ, ad poſteriora; at ratione utriuſque, ad hæc, & illa, ſaltem prout poteſt. Dico, *ſaltem prout poteſt*: nimirum, per ſe, vel alium, per effectum, vel affectum. Homini per ſe, ac effectum dictos latriæ ac placationis actus Deo præſtare impoſſibile erat. Quare Michæas Propheta pro ſalute populi ſolicitus: *Quid*, ait, *dignum offeram Domino? Curvabo genu. Deo excelſo? Numquid offeram ei holocauſtomata, & vitulos anniculos? Numquid placari poteſt in millibus arietum, aut in millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo?* His quæſitis inſinuare Vates ſcilicèt voluit, Deum,

Pſal. 144.

Pſal. 150. Deus laudandus juxta magnitudinem ſuam.

Deus offenſus quali hoſtiâ placandus.

Obligatio hominis ad Deum.

Digitized by Google

Deum, nullà re mundi, quantumvis præcellenti, placatum iri, adeoque divinum quidpiam inquirendum, aut ſaltem ad ſaniorem cordis affectum recurrendum. Neque enim debitor, qui non eſt ſolvendo ex ſe, à voluntate ſolvendi liber cenſendus: quin-imò in conſcientia acceptare tenetur ſpontaneam à viro Principe oblationem ſolutionis faciendæ creditori, nec non conari, ut ejuſdem benevolentiam per humilem famulatum comparet, detineatque. Ad eumdem modum, quandoquidem homo creditori ſuo, Patri nempe cæleſti, per ſe ac effectum non ſit ſolvendo, promptum, ut minimum, plenè ſatisfaciendi animum ſervabit; qui animus licèt neceſſarius, attamen quia ab homine in radice corrupto procedit, minùs gratus eſt: dato etiam, quod integer, & immaculatus manſiſſet, vel nunc redintegratus perſeveret, nihilominùs reſpectu immenſitatis Dei, ejuſque meriti, omnia creata, hominumque perfectiones, ſunt quaſi gutta roris antelucani, nec ipſi de ſe condignæ. Quamobrem inventà perſonà infinitæ dignitatis, potentiæ, meriti ac complacentiæ, ſeque homini ultroneè ex miſericordia offerente, atque ingerente, cùm ad plenam in affectu, & effectu ſolutionem pendendam, cùm ad divinam iram plenè mitigandam, tum ad omnem defectum copiosè ſupplendum, obligabitur homo beneficium ſibi oblatum acceptare; quin etiam diſponere ſeſe, atque adniti, ut hujuſmodi perſonam amicam ſibi, & benevolam habeat: quatenùs iſta ipſa tam pia perſona, tanto creditori, pro tantis debitis ſatisfacere, ac ſupplere dignetur, quidquid ſibi defuerit. Quoniam verò creatura rationalis à præfatis obſequiorum oneribus numquam liberabitur, ſed donec vixerit, obſtringetur; cavebit ſummoperè hujuſcemodi munificam perſonam offendere, contemnere, ac negligere; ne aliàs à ſupremi Regis miniſtris comprehendatur, ac in gehennam projiciatur uſque ad ultimum perſolutum quadrantulum.

24. *Fides docet Chriſtum eſſe redemptorem, &c.*

Chriſtianis, fidei lumine illuſtratis, haud difficile eſt perſonam tam excellentis bonitatis, perfectionis, & meriti invenire, quæ Deum per omnia adæquet, immensè complaceat, atque pleniſſimè ſatisfaciat, quin-imò paratiſſima ſit donare; atque pro hominibus, ſive juſtis, ſive injuſtis ſupplere, quod illi minus poſſunt, vel habent. Ecce enim *Verbum* divinum, caro factum, ſine ulla immutatione altiſſimæ Majeſtatis ſuæ (utpotè manens Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, conſubſtantialis Patri, ac in potentia, ſapientia, bonitate, juſtitia, immortalitate ac gloria, &c. coæqualis per omnia, & attingens à fine uſque in finem fortiter, ſuaviterque diſponens omnia) ecce, inquam, iſtud ipſum *Verbum*, Vnigenitus Patris, ultroneè, atque liberaliter ſemetipſum

in

in carne noſtra offert in redemptionem peccatorum, in ſanctificationem animarum, in ſupplementum omnium imperfectionum, in munimen contra quævis pericula, nec non ad totius hominis glorificationem. Audi Apoſtolum Paulum 1. Cor.1. *Chriſtus* IESVS, ait, *factus eſt nobis à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Rurſus Philipp. 3. *Salvatorem exſpectamus Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Adhæc, ô ſtupor! ô gaudium! ſeipſum nobis immiſcet ſub ſpeciebus panis, & vini, donatque in cibum, & potum: nec non ſub iiſdem ſpeciebus in Miſſa per Sacerdotes novi Teſtamenti quotidie immolatur hoſtia Deo in odorem ſuavitatis, atque itidem corporaliter nobiſcum permanet uſque ad conſummationem ſæculi. *Chriſtus enim*, ut ait Apoſt. *Reſurgens ex mortuis, jam non moritur. Quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel. Nunc autem ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Rom. 6.

Hebr. 7.

Adverte autem 1ò, quod incarnatio Filii Dei ex Virgine MARIA, tranſmutatio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, paſſio ejuſdem, & mors, ceu medium redemptionis humanæ, reſurrectio, &c. ad fidei noſtræ ſubſtantiam ſpectant.

25. Chriſtus qualiter pro nobis roget.

Adverte 2ò, Mediatorem Chriſtum, non tam verbis interpellare pro nobis, quàm factis. Oſtendit quippe, offertque Patri vulnera, quæ pro ſalute humani generis in ara crucis ſuſcepit, atque in glorioſa reſurrectione patentia reſervavit, ut ſic ſemper recordetur fœderis ſecum ab æterno initi, ſimulque repromiſſiones ſuas adimpleat. *Neque enim*, ut loquitur Ven. Beda, *ex impotentia curandi citatrices retinuit, ſed ut in perpetuum gloriæ triumphum oſtendat. Miles in prælio fortiter agens, & victoriam obtinens, multis vulneribus confoſſus, ſi dicat ei medicus, vis ſanari ſine omni cicatrice, vel cum cicatrice ſine omni deformitate? puto quod ſignum ſuæ victoriæ cicatrices reſervaret. Illæ enim cicatrices non ſunt ad deformitatem, ſed ad magnam pulchritudinem. Sic Deus*, inquit Chryſologus Serm. 76. *novit contumeliam, opprobrium, & vulnera in honorem, gloriam, & gemmas pretioſiſſimas commutare.* Divus verò Ambroſ. in Luc. 24. *Non ſolum fidem*, inquit, *firmat, ſed etiam devotionem acuit, quod vulnera ſuſcepta pro nobis, cælo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri noſtræ pretia libertatis oſtenderet.* De Antipatre Idumæo, magni Herodis parente, refertur ipſum ob ſtrenuè in militia navatam operam Imperatori chariſſimum extitiſſe; poſtea verò ab æmulis accuſatum de perfidia, indignationem incurriſſe, ac Romam citatum fuiſſe. Comparuit Idumæus, nec verbum ad objecta reſpondit; at pectus, retectâ veſte, denudans, dixit: *Ego Cæſar nolo me verbis apud te excuſare, ſed iſta vulnera quæ pro te ſuſcepi, loquantur pro me.* Cæſar viſâ cicatricum multitudine,

Chriſtus cicatrices cur retinuit.

Antipater vulnera oſtendendo Cæſarem placat.

Digitized by Google

tudine, in ejus amplexus cum lacrymis ruit, ſibique abundè ſatisfactum pronunciat. Ecce cicatrices hominis rei cor terreni Principis ſibi conciliare potuerunt, quanto magis credendum innocentis Chriſti vulnera, cor piiſſimi Patris cæleſtis conciliatura. Hinc appoſitè D. Bernardus: *O Homo*, inquit, *ſecurum habes acceſſum ad Deum, ubi habes Matrem ante filium; Filium ante Patrem. Filius oſtendit Patri apertum cor, & vulnera: Mater oſtendit Filio pectus, & ubera. Nulla ergo poterit eſſe repulſa, ubi tot ſunt charitatis inſignia. Atque ita cicatricum repræſentatio eſt quædam apud Patrem pro nobis interpoſita advocatio.* Poſt pauca: *Sicut miles tacens à ſuo Imperatore impetrat, quando vulnera, quæ pro eo pertulit, demonſtrat: ſic etiam impetrat Dei Filius apud cæleſtem Patrem, quando vulnera, pro ejus gloriâ, & humani generis redemptione ſuſcepta, oſtentat.* Deus itaque conſpectis amantiſſimi Filii ſignaculis eum pro ſua reverentia exaudit, dicens: *Poſtulas à me: do tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, ut liberentur dilecti tui, quos redemiſti de manu inimici, & de regionibus congregabis eos.*

In Cant.

26. Veriſſimum ſtat dictum Salvatoris: *Hæc eſt vita æterna; ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti* I*ESVM Chriſtum.* In eo, pauper homo, ſalus tua, & vita conſiſtit, ut cognoſcas, & credas Deum, Creatorem, Patrem, & Dominum tuum eſſe, tuique magis ſolicitum, quàm volucrum cæli, ut ne pilus quidem capitis ſine providentia ipſius cadat. Ipſe adjutor dirigens firmanſque greſſus tuos, ne labaris in vitia, vel in virtute flacceſcas; ipſe in militia, & certamine vitæ hujus protector, atque auxiliator tuus, ut prævalere poſſis, & vivere. Audi Pſalmiſtam: *Ego autem*, inquit, *mendicus ſum, & pauper, Dominus ſolicitus eſt mei. Adjutor meus, & protector meus tu es; Deus meus, ne tardaveris.* Rurſus: *Deus noſter refugium, & virtus; adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra.* Ipſe præterea vivificator tuus, qui charitate perpetua diligens te, nequaquam in abyſſo peccati perire ſivit; verùm miſerans tui, de profundo tenebrarum, & de luto fæcis traxit te in admirabile lumen ſuum: quando nimirum Vnigenitus ejus ſemen Abrahæ apprehendit, atque ex eo homo formatus, gentes omnes fuſo pretioſo ſanguine redemit: aliàs ſicut Sodoma eſſemus conſumpti in peccatis noſtris. Vnde denuò: *Hæc eſt vita æterna, ut & cognoſcant, quem miſiſti* I*ESVM Chriſtum*. In eo etiam, miſelle peccator, libertas tua, facultas, beatitudo, gloria, & ſpes omnis boni dependet, non tantùm ut profitearis Patrem Deum verum eſſe, ſed inſuper filium ejus IESVM Chriſtum, quem mundi poſuit propitiatorem, & mediator eſt Dei, & hominum homo IESVS Chriſtus: *Nolite ergo confidere in principibus, in filiis*

Ioan. 17.

Notitia Dei, & Chriſti vita æterna.

Pſal. 39.

Pſal. 45.

Pſal. 143.

in carne noſtra offert in redemptionem peccatorum, in ſanctificationem animarum, in ſupplementum omnium imperfectionum, in munimen contra quævis pericula, nec non ad totius hominis glorificationem. Audi Apoſtolum Paulum 1. Cor. 1. *Chriſtus* IESVS, ait, *factus eſt nobis à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Rurſus Philipp. 3. *Salvatorem exſpectamus Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Adhæc, ô ſtupor! ô gaudium! ſeipſum nobis immiſcet ſub ſpeciebus panis, & vini, donatque in cibum, & potum: nec non ſub iiſdem ſpeciebus in Miſſa per Sacerdotes novi Teſtamenti quotidie immolatur hoſtia Deo in odorem ſuavitatis, atque itidem corporaliter nobiſcum permanet uſque ad conſummationem ſæculi. *Chriſtus enim*, ut ait Apoſt. *Reſurgens ex mortuis, jam non moritur. Quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel. Nunc autem ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Rom. 6. Hebr. 7.

Adverte autem 1ò, quod incarnatio Filii Dei ex Virgine MARIA, tranſmutatio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, paſſio ejuſdem, & mors, ceu medium redemptionis humanæ, reſurrectio, &c. ad fidei noſtræ ſubſtantiam ſpectant.

25. Chriſtus qualiter pro nobis roget.

Adverte 2ò, Mediatorem Chriſtum, non tam verbis interpellare pro nobis, quàm factis. Oſtendit quippe, offertque Patri vulnera, quæ pro ſalute humani generis in ara crucis ſuſcepit, atque in glorioſa reſurrectione patentia reſervavit, ut ſic ſemper recordetur fœderis ſecum ab æterno initi, ſimulque repromiſſiones ſuas adimpleat. *Neque enim*, ut loquitur Ven. Beda, *ex impotentia curandi cicatrices retinuit, ſed ut in perpetuum gloriæ triumphum oſtendat. Miles in prælio fortiter agens, & victoriam obtinens, multis vulneribus confoſſus, ſi dicat ei medicus, vis ſanari ſine omni cicatrice, vel cum cicatrice ſine omni deformitate? puto quod ſignum ſuæ victoriæ cicatrices reſervaret. Illæ enim cicatrices non ſunt ad deformitatem, ſed ad magnam pulchritudinem. Sic Deus*, inquit Chryſologus Serm. 76. *novit contumeliam, opprobrium, & vulnera in honorem, gloriam, & gemmas pretioſiſſimas commutare.* Divus verò Ambroſ. in Luc. 24. *Non ſolum fidem*, inquit, *firmat, ſed etiam devotionem acuit, quod vulnera ſuſcepta pro nobis, cælo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri noſtræ pretia libertatis oſtenderet.* De Antipatre Idumæo, magni Herodis parente, refertur ipſum ob ſtrenuè in militia navatam operam Imperatori chariſſimum extitiſſe; poſtea verò ab æmulis accuſatum de perfidia, indignationem incurriſſe, ac Romam citatum fuiſſe. Comparuit Idumæus, nec verbum ad objecta reſpondit; at pectus, retectâ veſte, denudans, dixit: *Ego Cæſar nolo me verbis apud te excuſare, ſed iſta vulnera quæ pro te ſuſcepi, loquantur pro me.* Cæſar viſâ cicatricum multitudine,

Chriſtus cicatrices cur retinuit.

Antipater vulnera oſtendendo Cæſarem placat.

Digitized by Google

tudine, in ejus amplexus cum lacrymis ruit, ſibique abundè ſatisfactum pronunciat. Ecce cicatrices hominis rei cor terreni Principis ſibi conciliare potuerunt, quanto magis credendum innocentis Chriſti vulnera, cor piiſſimi Patris cæleſtis conciliatura.

In Cant. Hinc appoſitè D. Bernardus: *O Homo*, inquit, *ſecurum habes acceſſum ad Deum, ubi habes Matrem ante filium; Filium ante Patrem. Filius oſtendit Patri apertum cor, & vulnera: Mater oſtendit Filio pectus, & ubera. Nulla ergo poterit eſſe repulſa, ubi tot ſunt charitatis inſignia. Atque ita cicatricum repræſentatio eſt quædam apud Patrem pro nobis interpoſita advocatio.* Poſt pauca: *Sicut miles tacens à ſuo Imperatore impetrat, quando vulnera, quæ pro eo pertulit, demonſtrat: ſic etiam impetrat Dei Filius apud cæleſtem Patrem, quando vulnera, pro ejus gloriâ, & humani generis redemptione ſuſcepta, oſtentat.* Deus itaque conſpectis amantiſſimi Filii ſignaculis eum pro ſua reverentia exaudit, dicens: *Poſtulas à me: do tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, ut liberentur dilecti tui, quos redemiſti de manu inimici, & de regionibus congregabis eos.*

26. *Ioan. 17.* Veriſſimum ſtat dictum Salvatoris: *Hæc eſt vita æterna; ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti* Iesvm *Chriſtum.* In eo, pauper homo, ſalus tua, & vita conſiſtit, ut cognoſcas, & credas Deum, Creatorem, Patrem, & Dominum tuum eſſe, tuique magis ſolicitum, quàm volucrum cæli, ut ne pilus quidem capitis ſine providentia ipſius cadat. Ipſe adjutor dirigens firmanſque greſſus tuos, ne labaris in vitia, vel in virtute flacceſcas; ipſe in militia, & certamine vitæ hujus protector, atque auxiliator tuus, ut prævalere poſſis, & vivere. Audi Pſalmiſtam: *Ego autem*, inquit, *mendicus ſum, & pauper, Dominus ſolicitus eſt mei. Adjutor meus, & protector meus tu es; Deus meus, ne tardaveris.* *Pſal. 39.* Rurſus: *Deus noſter refugium, & virtus; adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra.* *Pſal. 45.* Ipſe præterea vivificator tuus, qui charitate perpetua diligens te, nequaquam in abyſſo peccati perire ſivit; verùm miſerans tui, de profundo tenebrarum, & de luto fæcis traxit te in admirabile lumen ſuum: quando nimirum Vnigenitus ejus ſemen Abrahæ apprehendit, atque ex eo homo formatus, gentes omnes fuſo pretioſo ſanguine redemit: aliàs ſicut Sodoma eſſemus conſumpti in peccatis noſtris. Vnde denuò: *Hæc eſt vita æterna, ut & cognoſcant, quem miſiſti* Iesvm *Chriſtum*. In eo etiam, miſelle peccator, libertas tua, facultas, beatitudo, gloria; & ſpes omnis boni dependet, non tantùm ut profitearis Patrem Deum verum eſſe, ſed inſuper filium ejus Iesvm Chriſtum, quem mundi poſuit propitiatorem, & mediator eſt Dei, & hominum homo Iesvs Chriſtus: *Nolite ergo confidere in principibus, in* *Pſal. 143.*

Notitia Dei, & Chriſti vita æterna.

filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Joan. 14. *Ego*, ait, *ſum via, veritas, & vita.* Apoc. 1. *Alpha, & Omega, principium, & finis:* Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Sive ergo parum, ſive multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. Quia, ait Apoſtolus: Coloſſ. 3. v. 11. *Omnia, & in omnibus Chriſtus.* Hujus itaque fidejuſſoris tui gratiam, mendice pauper, ne umquam obliviſcaris, ſed agnoſce ſemper, ejuſque ſupereminentem implora charitatem, quâ pro te animam in cruce poſuit, ut ſanguine proprio, chyrographo maledicti deleto, implearis in omnem plenitudinem Dei.

LECTIO III.

De Clementia Chriſti Mediatoris.

27. Joan. 1. FElicius orbi nuncium euangelizari non potuit, quàm, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Pro magno olim dies domini Patriarchæ Abrahæ revelatus, Prophetæ Moyſi omne bonum monſtratum, ſemini David Regis Chriſtus promiſſus: at nobis deſideratus illuxit dies, in quo, Angelo nunciante, dictum eſt: Luc. 2. *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in Civitate David.* Noſtris temporibus nato Domino, evanuêre umbræ Teſtamenti veteris, adimpletæ Prophetiæ, teſte ipsâ veritate in ara Crucis clamante: *Conſummatum eſt.* Joan. 19. *Sic* ergo *Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Joan. 3. *Daret*, inquit Euangeliſta Ioannes, non autem, ut quondam, revelaret tantummodò, aut promitteret, ſed in rei veritate actualiter illum ipſum Eccleſiæ ſuæ traderet. Quid majus, quid melius, quid potentius, quid ſapientius, quid benignius, quid denique illo divinius homo deſiderare aut frui poterat? Vtpote, *Qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Philip. 2. Et; *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Rom. 8. v. 32.

Chriſtus Abrahæ revelatus, Moyſi oſtenſus, David promiſſus, nobis datus.

Chriſto nil majus aut melius.

Porro Chriſtus vineæ ſuæ electæ, quid ultra facere debuit, & non fecit? 28. Per triginta amplius annos eidem adfuit, pro eadem laboravit, exemplo, & doctrinâ excoluit, ſanguine proprio irrigavit, atque vivificavit; imo reſurrectione ſua glorioſam reddidit, ac fœcundam. Ante mortem fideles vinitores, Apoſtolos videlicèt, præpoſuit, qui eamdem verbo, & opere, ſignis, & virtutibus confirmarent, propagarentque. Demùm inæſtimabiles meritorum ſuorum, & ſatisfactionum theſauros, mirâ ſapientiâ, & ineffabili pietate, in vaſis Sacramentorum reliquit; quibus fideles communicantes facilè ſalutem conſequerentur. Miſeri captivi,

Chriſtus quomodo ſalutem hominum curaverit.

Merita Chriſti continentur in Sacramentis Eccleſiæ.

Digitized by Google

Iſa. 55.

Peccator recurrat ad Sacraméta Eccleſiæ.

captivi, filii generis Adam, *Venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac. Quare appenditis argentum, non in panibus? Et laborem, non in ſaturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Inclinate aurem veſtram, & venite ad me, & vivet anima veſtra,* ait Dominus. Tantummodo auferte malum cogitationum veſtrarum, & quieſcite perverſè agere, deindè properate ad Iesvm, nomen ejus ſalutiferum invocantes pro venia culparum, pro redemptione animarum, pro gratia, & virtutum augmento, pro auxilio, & robore in quibuſcumque negotiis, periculis atque neceſſitatibus: Amen, amen dico vobis, experiemini, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus:

Iſa. 1.

Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Nam ille ipſius eſt de quo Angelus ad Ioſeph:

Matth. 1.

Vocabis nomen ejus Iesvm. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Ipſe item eſt, cui Baptiſta ſanctus acclamat:

Joan. 1.

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ipſe demùm eſt, de quo Pater cæleſtis voce delapsâ è cælo teſtimonium perhibet, dicens:

Luc. 9.

Hic eſt Filius meus dilectus; ipſum audite. Audiamus ergo illum fratres, & aſſeveranti credamus.

Joan. 10, Chriſtus janua ſalutis.

Ego, ait, *ſum oſtium: Per me ſi quis introierit, ſalvabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet. Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant?*

Chriſtus paſtor bonus.

Ego ſum paſtor bonus, & animam meam pono pro ovibus meis. Confidenter accedamus hujuſcemodi optimum paſtorem, ac Epiſcopum animarum noſtrarum, verbis dulciſſimis nos ad ſe invitantem:

Chriſtus ad ſe invitat peccatores.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matth. 11.

Non voluit piiſſimus Salvator Euangelium hoc in angulis Iudææ, Galilææ, aut circumjacentium regionum terminis detineri, ac ſupprimi, ſed ubique terrarum diſſeminari, & prædicari: ideoque diſcipulos ad univerſas mundi plagas miſit, & in omnem terram exivit ſonus eorum. Princeps Dominici gregis teſtificando clamat: 29.

Apoſtoli Chriſti gratiam mundo prædicarunt.

1. Pet. 2. fin.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis: qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum; ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus: cujus livore ſanati eſtis. Alter corda peccatorum, ad ſpem, & fiduciam excitans, annunciat:

Chriſtus advocatus. 1. Joan. 2.

Quod ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Iesvm *Chriſtum juſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Tertius noviter converſos in fide confimans, proteſtando obſecrat:

Hebr. 4. fin.

Vt habentes Pontificem magnum, qui penetravit cælos Iesvm *filium Dei, teneamus confeſſionem. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſe-*

Digitized by Google

conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Magdalena clementiam Chriſti experta.

Adivit olim thronum gratiæ Chriſti Magdalena, Ieroſolymis famoſa peccatrix, atque pœnitens audire meruit:

Luc. 7.

Remittuntur tibi peccata.

Item Zachæus.

Adivit quoque Zachæus, publicanorum Princeps, atque ſalutem cum tota familia conſecutus eſt, dicente Domino:

Luc. 19.

Hodie ſalus huic domui facta eſt.

Latro in Cruce.

Adivit etiam latro in Cruce, ac petiit Chriſtum, ut ſui recordaretur in gloria. Ipſe autem conſors regni, gaudiiq́ue mox futurus hiſce verbis declaratur:

Luc. 23.

Hodie mecum eris in Paradiſo.

Leproſi, publicani, meretrices, dæmoniaci.

Adiverunt denique thronum gratiæ Domini Redemptoris leproſi plurimi, publicani, & meretrices; adiverunt oppreſſi à diabolo, & languidi innumeri, qui omnes à faucibus hoſtis eruti, ſinu ampliſſimo excipiuntur paſtoris, atque in paſcuis chariſmatum ejus pinguibus, & ſaluberrimis admittuntur, ut in fide doctrinæ illius deinceps vivant, atque ſub protectionis ejus virtute ſecuri reddantur. *Qui vexabantur à ſpiritibus immundis,* ait Lucas c. 6. *curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.*

Matth. 15.

Compatiebatur ſuper turbam famelicam, & mirabiliter reficiebat eam: dilectis Apoſtolis gloriam magnificentiæ monſtrabat, atque ad cæli gaudium eorum animos rapiebat. Vnde extatici cujuſdam vox eſt:

Joan. 6.

Domine bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula. Luxuriantis alterius teſtimonium eſt:

2. Cor. 7.

Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. De Iudæis guſtantibus, & conteſtantibus, quoniam verè ſuavis eſt Dominus, Euangeliſtæ referunt, quòd

Luc. 7.

Magnificabant Deum, dicentes: quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitavit plebem ſuam. Vel etiam clamabant, dicentes:

Matth. 21.

Hoſanna filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis. Quid multa? D. Ioannes poſtquam plurima paſtoris hujus benigniſſimi beneficia erga cujuſvis generis morbis afflictos, tempore incolatus ejus impertita, in ſua ſacri Euangelii Hiſtoria litterarum monumentis mandâſſet; ita eamdem concludit:

Ioan. ult.

Sunt autem & alia multa, quæ fecit IESVS, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.* Quod ſi adjungamus tempora ipſius Reſurrectionem, & Aſcenſionem ſubſequentia, quibus per Apoſtolos eorumq́ue diſcipulos mirabilia operatus eſt, & uſque in finem mundi operari non deſinet: ſanè excreſcet multitudo, & magnitudo ſignorum ejus in immenſum, præſertim ſi promiſſum illud ſalutiferum ponderetur, Ioan. 14. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet: quia vado ad Patrem. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.*

Adeamus ergo, & nos peccatores 30
fide firma thronum gratiæ Chriſti, atque

atque in nomine ejus veniam, & gratiam poſtulemus, proculdubio ſtabit promiſſis, & miſerebitur noſtri Dominus Deus noſter, quia fidelis, & abſque ulla iniquitate, juſtus, & rectus: quemadmodum & filius ejus Mediator noſter Iesvs. Hinc Paulus Hebr. 1. *Conſiderate, ait, Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ* Iesvm, *qui fidelis eſt ei, qui fecit illum, ſicut & Moyſes in domo ejus. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id eſt, carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientiâ malâ, & abluti corpus aquâ mundâ, teneamus ſpei noſtræ confeſsionem indeclinabilem. Fidelis eſt enim qui repromiſit.*

Exhortatio ad fiduciam in Chriſto ponendam.

Ne minimum quidem de pietate Iesv, aut dubitandum, aut diffidendum, quamvis per totam vitam peccatores graviſſimi. *Venit enim filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat.* Luc. 19. *Dives, & miſericors in omnes; qui invocant eum.* Auſculta monentem Chryſoſtomum: *Peccaſti? pœnitere*, ait. *Millies peccaſti? millies pœnitere. Si lapſus es, poteris ſurgere: in utramvis partem habes liberum arbitrium. Si vulneratus es, adhibe tibi curam dum vivis, dum ſpiras, etiam in ipſo lecto poſitus, etiam ſi potes, animam efflans, ut jam de hoc mundo exeas. Non impeditur temporis anguſtiâ miſericordia Dei. Numquam,* ait D. Auguſt. *ſpernit Deus pœnitentiam, ſi ei ſincerè, & ſimpliciter offeratur.* Amplectere quoq; conſilium S. Ephrem, dicentis: *Chriſtianus inter diverſas tribulationes, & tentationes ſtet ſicut incus, quæ licèt ſemper verberetur, non tamen dat tergum, neque concavitatis formam recipit in ſe, ſed eadem ſemper manet. Pro munitione, & caſtro ſemper Chriſtum Dominum habeat, ad eumque belli tempore confugiat, dicatque: Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, ut ſalvum me facias.* Fiduciam item in meritis Chriſti Franciſci Coſteri, Sacerdotis æquè devotiſſimi, ac eruditiſſimi inſpecta, & ſectare. *In hora mortis,* inquit, *ſi mihi merita mea deſint, ſi jejuniis non expiaverim intemperantiam gulæ, ſi corporis pœnis non curaverim libidines, ſi aliis operibus non ſatisfecerim peccatis, in promptu ſunt merita Chriſti, pro ſingulis peccatis ſatisfactiones, & pœnæ, ut neque animum abjicere debeam, quantacumque peccatorum mole premar, neque de ſolutione deſperare, quotcumque debitis graver, neque de miſericordia Dei diffidere, quantumvis conſcientia divinam iram formidet. Ditiſsimus enim ſum divitiis ſponſi mei, qui mecum initis nuptiis, communi matrimonii lege, debita mea in ſe ſuſcepta ſuis operibus redimet.* Huc accedit quod habet conſulitque Bloſius, ſcilicèt: *Moriturus quiſque meritis Salvatoris noſtri* Iesv *Chriſti magis, quàm ſuis, innitetur. Ipſius amariſsimam paſſionem, mortemque ſibi proponet, & ineffabilem illam charitatem, quæ eum tam indigna ſuſtinere coëgit, memoria repetet, atque in patentia vulnera, &* in

De Chriſti clementia non diffidendum.

In hora mortis Chriſti meritis innitendum.

Digitized by Google

in profundiſſimum pelagus immenſæ miſericordiæ ejus, ſeſe cum univerſis peccatis, atque negligentiis ſuis demittet, immergetque. Ad ſummam Dei gloriam ſeipſum, velut hoſtiam vivam, offeret ipſi Domino ad perferendum pro acceptiſsima ejus voluntate patienter ex utro amore omnem languoris acerbitatem, ipſam etiam mortem, & quidquid ſibi Dominus in tempore, & in omni æternitate immittere voluerit. Hoc ſi revera facere potuerit; ſi, inquam, ſeſe ex pura dilectione cum perfecta ſui reſignatione ad omnem pœnam pro honore divinæ juſtitiæ tolerandam animo ſpontaneo obtulerit, ipſe neque infernum, neque purgatorium ſubibit, etiamſi ſolus omnia totius mundi peccata commiſiſſet. Ita Bloſius. Quocirca frater, acquieſce Sapientium conſiliis: *Spera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in divitiis ejus.* Pſal. 36.

LECTIO IV.

De modo conciliandi ſibi Mediatorem Chriſtum, ejuſque merita.

31. Omnimodè conandum ut Chriſtum amicum habeamus.

STudium cujuſque labor, ac animi conatus in hoc maximè tendere, ac impendi debent, ut ſibi benevolum reddat, amicitiaque devinciat Chriſtum, veri, æternique Dei filium, mundi Redemptorem, ac hominum apud Deum feliciſſimum Mediatorem. Iuſti ſua fide, ac charitate eumdem jam ſibi devinxerunt: videndum tantummodò, & adlaborandum, ut qui tenent, teneant, & qui ſtant non cadant; ſed potius in ſemita juſtitiæ, velut lux ſplendens, creſcant uſque ad perfectum diem. Peccatoribus autem extra gratiam exiſtentibus, omnino ad eum per pœnitentiam converti neceſſe eſt. Sive tamen juſti, ſive injuſti, nemo ſine illo quidpiam poteſt. Omnis converſio ad Deum, & pœnitentia vera, omnis remiſſio, & ſatisfactio, omnis facultas, & gratia, omnes profectus, & meritum, omnis complacentia, & oblectamentum, omne bonum, perfectum, atque beatum ab ipſo, in ipſo, & per ipſum eſt, fierique debet ſecundùm omnem dimenſionem infinitam. Latitudo quippe, longitudo, ſublimitas, atque profundum veri boni correſpondens immenſitati ac complacentiæ Dei in ipſo ſolo eſt; & ſola ipſius immenſa extenſio, ac intenſio bonitatis plenè complacet, plenè ſatisfacit, plenè oblectat, ſolum ipſius meritum redimit, placat, exoratque, ſola ipſius potentia, & virtus exigit, protegit, opitulatur, & conſervat: ſola ipſius ſapientia inſtruit, dirigit, & gubernat: ſola denique ipſius juſtitia, & bonitas remunerat, beat, ſatiat. Hinc Paulus Coloſſ. 1. *Omnia,* inquit, *per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ante omnes: & omnia in ipſo conſtant. In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in*

Peccator pœnitentiâ Chriſtum ſibi conciliet.

Chriſtus omnia, & in omnibus.

Digitized by Google

in cælis ſunt. Et quos vocavit, ait idem Rom. 8. *Hos, & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

32. Verumtamen nullus peccator eo ipſo, quo veniam culparum aſſequitur, & in gratiam redit, ſibi perſuadere debet, quod inſimul omnium pœnarum indulgentiam acquiſierit: nequaquam. Etenim juxta doctrinam Theologorum, remiſsâ omni culpâ, non ſemper pœna omnis remittitur: adeoque novi libelli ſupplices per devotam orationem formandi, & offerendi; quatenus, intercedentibus Chriſti meritis, peccatorum reliquiæ aboleantur. Tenor horum ſit oratio Dominica, ſigillo charitatis munita. Dico ergo tantum pœnitenti remitti, quantum amat, multum amet, & multum remittitur; plenè amet, & plenam indulgentiam conſequetur: *Cui ſiquidem minus dimittitur, minus diligit,* ait Dominus. Pari modo nec juſtus, eo ipſo, quo in gratia eſt, exiſtimet Mediatorem Chriſtum ipſius imperfectum ſupplere, communicando illi meritorum ſuorum, ac virtutum theſauros ſecundùm immenſum, & æternum: nullo modo. Quare, dico rurſus: tantum Chriſtus pro quolibet juſto ſupplet, quantum quotidie diligit: multum quotidie juſtus diligat, & multum quotidie Chriſtus ſupplebit, plenè ac æternum diligat, plenè ſimiliter, æternumque ad plenam divinæ Majeſtatis complacentiam, & oblectamentum ſupplebit. Supplebit, inquam, ſi tamen, ut ſupra inſinuavi, ad hoc requiſitus fuerit, quia ut monet D. Iacobus in Epiſt. c. 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, &c.* Vnde qui voluerit multa ſalutaria dona indies ſibi è ſupernis elargiri, juxtà præceptum Salvatoris: *Oportet ſemper orare, & numquam deficere.* Oratio habet ſeſe inſtar columbæ Noe, quæ ut fidelis nuncia, colligit de fluctibus mundi hujus viridem bonorum actuum ramum, atque ad juſtiſſimum Noë Chriſtum defert. Quare ſicut ſemper precandum, ut operi bono ſubminiſtrentur pennæ, quibus cælos penetret, ſic ſemper bonum charitate formatum operandum, ut habeat oratio, quod cum honore deferat, præſentetque, nec non idipſum, quod prætendit, conſequatur.

Remiſſâ culpâ non ſtatim pœna omnis remittitur.

Ad menſuram amoris pœna remittitur.

Luc. 7.

Chriſtus rogandus.

Oratio inſtar columbæ Noë.

§. II.

Signum dilectionis Dei.

NVnc ſi quis dignoſcere cupiat, an verè diligat Deum? Reſpondeo evidentiſſimum dilectionis ſignum eſſe, doctrinæ Euangelicæ obſervantiam Ioan. 14. *Si quis diligit me,* ait Dominus, *ſermonem meum ſervabit.* Illum videlicèt, quo in Euangelio unumquemque alloquitur, ac monet ſervare mandata, peccata fugere, humiliari, offenſas dimittere, reconciliari invicem, ſubvenire proximo, adverſa patienter ſuſtine- 33.

re;

Digitized by Google

re, &c. Si quis hæc, & ſimilia opera exequatur, certò credere poteſt ſe Chriſtum amare juxta illud Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Imo, & cum omni fiducia exſpectare poteſt mercedes juſtis repoſitas. Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram, &c. O magna bonitas Dei!* exclamat D. Auguſtinus, *cùm ei pro conditione reddere debeamus obſequia, utpote ſervi Domino, famuli Deo, ſubjecti potenti, mancipia redemptori, amicitiarum nobis præmia promittit, ut à nobis obſequia debita ſervitutis extorqueat, ut quos nolle ſervire conſpicit, ſponte ſuorum beneficiorum poßit promiſsionibus invitare.*

Euangelium Chriſti docet ſervare mandata, humiliari, offenſam remittere.

§. III.

Chriſtus Doctor, & adjutor.

34. NEmo ſe minus inſtructum, aut ſibi minus de remedio proviſum, aut etiam nimis ſe à cognitione legis divinæ remotum obmurmuret; quia ſcriptum eſt: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Conſidera, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum: ut diligas Dominum Deum tuum, ut ambules in viis ejus, & cuſtodias mandata illius.* In veteri Teſtamento Deus ſuſcitavit Moyſen aliosque Prophetas, qui populum erudirent: at in novo Teſtamento Filium unigenitum miſit, qui non tantum doceret, ſed & gratiam inſimul conferret: *Multifariam*, ait Paulus Hebr. 1. *multiſque modis olim loquens Deus patribus in Prophetis: noviſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Tam apertè, tam plenè locutus eſt nobis Chriſtus, proponens virtutes, & vitia, minitans gehennam, & regnum promittens; tam clementer abundeque imbecillitati noſtræ providit, ut nemo ſalutis conſequendæ excuſationem juſtè prætexere valeat. Etenim teſte Euangeliſta: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus: atque illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Paulus item: *Unicuique*, ait, *data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Quare, & *Gratias ago*, inquit, *Deo meo, quod in omnibus divites facti eſtis in Chriſto* Iesu, *ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia.* Meritò redarguuntur Phariſæi eiſque ſimiles Ioan. 15. *Si non veniſſem*, dicit Dominus, *& locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent.* Verùm converſus ad diſcipulos hortatur eoſdem, ne à ſe per incredulitatem, ſuperbiam vel odium diſcedant, ſed potius per jugem charitatem, fidemque firmam adhæreant. *Manete*, inquit Ioan. 15. *in dilectione mea. Quoniam ſi quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſe-*

Deut. 30.

Chriſtus docet, & juvat.

Ioan. 1.

Epheſ. 4.

Digitized by Google

manſerint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.

§. IV.

Chriſtus ſemper amandus.

35. Manere in dilectione, quid. NOtate verba, ſignate myſteria: *Manete*, ait, *in dilectione mea.* Quo vult innuere, diſcipulos ſuos, & ſequaces debere omni tempore alium quemvis amorem excludere, & ſe ſolum amare. Dicit enim D. Auguſt. *Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Dum ergo Chriſtus monet in ſua dilectione manere, tantumdem eſt ac ſi diceret, perſeveranter amate ſingulis vitæ veſtræ momentis, adeo ut nullum prætereat, quin mihi ſoli per ſincerum amorem adhæreatis, & inſerviatis. Hoc propter eos dixiſſe reor, qui tantùm ſoliciti ſunt, ut benè mori poſſint, ac finaliter non damnari: atque iſto intuitu eleëmoſynas faciunt, ſacrificium Miſſæ offerri curant, quandoque jejunant, Sanctos quoque Dei colunt, invocantque; ceterùm negligenter vivunt, ducunt in bonis dies ſuos, mundique vanitatem amplectuntur, quaſi verò tantum oporteret Dominum in morte, vitæque ultimo momento amare, vel ſervire; reliquum verò tempus ad placitum uſurpare, atque in cura carnis prodigere liceret.

Revera hujuſmodi homines longè à veritate deſciſcunt, vinculumque fidelitatis ſolvunt; diligunt magis tenebras quam lucem, carni, & ſanguine deſerviunt, ſemetipſos quærunt, paſcunt, amant, non Deum, neque Chriſtum, qui, ſive in vita, ſive in morte, ſive hodie, ſive cras, ſemper æquè ſummè propter ſe amandus: Amor divinus tertium non admittit, aut ſecundum, locorum anguſtiis non concluditur, mundi oblectamentis, carniſque illecebris non adquieſcit, aut frangitur, pericula quævis haud formidat, neque ſibi tam de futuro dilecti amplexu, & fruitione, quàm de præſenti continuo, ſtabilique gaudet, & gratulatur: *Verè diligimus*, inquit Gregor. *ſi mandata ejus ſervamus, verè diligimus, ſi à noſtris nos voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita deſideria defluit, profectò Deum non amat, quia ei ſuâ voluptate contradicit. Ille ergo verè amat, cujus videlicèt mentem delectatio prava ex conſenſu non ſuperat. Nam tanto quiſque à ſuperno amore disjungitur, quanto inferius delectatur.* Divus vero Auguſtinus: *Anima*, inquit, *quæ amat Deum, nihil aliud poteſt cogitare, nil loqui, cetera contemnit, omnia faſtidit, quidquid meditatur, quidquid loquitur, amorem ſapit, amorem redolet, ita amor Dei eam ſibi vendicavit.* D. item Bernard. *Divinus*, inquit, *amor, ubi venerit, ceteros in ſe omnes traducit, & captivat affectus.* Perfectus amator ille erat, qui dicebat: *Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo, Vivo ego, jam non ego, vivit*

Hom. 30. in Euang. Quis verè diligat.

In Cant. Hom. 83. Amor Dei ceteros in ſe traducit amores.

Digitized by Google

Paulus erat amator perfectus.

verò in me Chriſtus. Perfectus, inquam, erat, utpote in amore fortis & conſtans. Etenim calcatis terrenis omnibus, adhærebat dilecto, non tantùm in blanditiis, & extaſibus, ac per horam, ſed in paſſione cum illo transformari cupiebat uſque ad carceres, vincula, flagella, crucem. Vnde & ajebat: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Sicut ſcriptum eſt: Propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* Dignum omnino eſt, ut Chriſto ex amore omnem vitam noſtram tribuamus, atque in ejus obſequiis cum corporis, tum animæ vires, etiam cum vitæ diſpendio, impendamus, & ſuperimpendamus: quandoquidem ipſe propter nimiam charitatem ſuam dilectam animam, imò ſe totum nobis tradidit, pro[illegible]que noſtra ſalute, & glorificatione expendit, ſibi nullo tempore parcens, ſed in laboribus à juventute verſatus, tandem in doloribus, & tormentis conſummavit vitam. O quantum ab hoc illi (quorum jam ſtatim memini) degenerant, gloriæ quidem Salvatoris cupidos, laborum verò oſores! Redarguo ergo in ejuſmodi, non ſolicitudinem bene moriendi, ſed torporem, ſed negligentiam non faciendi ea, unde beatè mori queant: damno item, non eleëmoſynam, non ſacrificium, non jejunium, non orationem, neque cultum Sanctorum, ſed perverſum ſui amorem, ſed mundi ſervitutem, ſed minorem, vel etiam nullam ad Deum charitatem, ejuſque præceptorum obſervantiam. Scriptum eſt enim: *Carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Rom. 13. fin. Rurſus: *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* Joan. 12. Demùm: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* 1. Joan. 2. Sed, *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* Deuter. 6. & Luc. 10.

37. Deus quantum amandus.

Adverte autem non ſimpliciter dici: *Diliges Deum:* ſed cum adjunctis, *ex toto corde*, id eſt, ſecundùm magnitudinem cordis ſine diviſione ad alium: *Ex tota anima tua*, id eſt, ſecundùm omnem vitæ extenſionem, adeò ut nulla congrua ætas excipiatur: *Ex omnibus viribus tuis*, id eſt, ſummè; ſecundùm omnem facultatem, & conatum tam corporis, quam animi. Hinc Theodoretus in Deuter. c. 6. q. 3. *Docemur*, ait, *dilectionem non ſcindere in dilectionem Dei, & dilectionem auri, ſed totam dilectionis vim Creatori Deo reſervare.*

Amor Dei non excludit amorem proximi.

Ex hinc non benè inferes planè excludi proximum à dilectione; ſed tantum non ſummè, ac propter ſe proximum (ſicut nec quodvis aliud creatum, quantumcumque ſublime, ac pretioſum) diligendum, nec cor noſtrum in duos aut plures amores ſummos (quorum unus reſpiciat, & tendat in Creatorem, alter in creaturam, ceu idolum)

Digitized by Google

idolum) dividendum, quemadmodum faciebant illi, quos 3. Reg. 18. reprehendit Elias Propheta, dicens: *Vſquequò claudicatis in duas partes: Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum.* Similiter D. Auguſt. partitum quorumdam affectum damnans: *Væ,* inquit, *duplici corde, partem faciunt Deo, & partem faciunt diabolo: iratus Deus, quia ſit ibi pars diabolo, diſcedit, & totum diabolus poſſidet.* Verùm, *ſi vis,* ait idem, *templum eſſe veritatis, frange idolum falſitatis. Iam in cor tuum ſi placet intret arca Teſtamenti, & ruat Dagon.* Deus itaque vendicat ſibi cor noſtrum totum, quemadmodum Rex terræ palatium ſuum; quod licèt totum ſuum ſit, & poſſideat illud, non tamen excludit miniſtros Regis, ſed ſuſcipit; miniſtros tamen ut miniſtros intuitu Regis; Regem verò ut Regem, & Dominum propter ſe. Sic cor noſtrum totum Dei eſt, ideoque ejus famulos haud rejicit; ſed in amore admittit, Deum tamen, ut Deum, & Dominum colit, & ſuper omnia propter ſe diligit: famulos autem ejus, ut famulos, propter Deum. Quamobrem homo affectu ſubordinato, ſeu inferiori diligendo proximum, non contravenit præcepto de amando Deo ex toto corde, nec cor dividit, quin potius ſervat præceptum, atque cor totum tribuit Deo, in cujus obſequiis, & mandatis illud applicat fideliter exequendis.

D. Auguſt. in Joan.

§. V.

Chriſtus Iudex timendus.

Dilectionis Dei, & proximi merces, vita beata. Idcircò hujus ſpe, & exſpectatione quiſque præceptum amoris ſervare monetur, dum ſubjungitur: *Hoc fac, & vives.* Luc. 10. Quaſi dicere voluiſſet Dominus; Deum ſuper omnia, & propter ſe conſtanter dilige, ut Dominum tuum; proximum verò ſicut teipſum conſervum propter Deum; hoc ſi præſtiteris, ac opere impleveris, vitam beatam, ad quam tantoperè mortis tempore adſperas, & deprecaris, indubiè conſequeris: ſin minùs, gehennam, quam ſuper omnia execraris, & à te averti oras, time. Quoniam licèt forte charitatem non perdidiſti, multum tamen minuiſti, ideoque time, quia dicit Dominus: *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus; ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Si autem perdidiſti: attende ſeverum judicium ſuper innocentiſſimum Chriſtum Dei Filium ob aliena peccata latum, & executioni mandatum, atque contremiſce. Quia *ſi in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet.* Vel etiam conſidera, & pondera divinæ juſtitiæ rigorem circa apoſtatas Angelos, gentemque Iudæorum perfidam exercitum, & time: *Si enim Deus* (ut Apoſtolus loquitur) *naturalibus ramis non pepercit: ne fortè, nec tibi parcat.*

Apoc. 3.

Luc. 23.

Deus Angelos peccantes, & Iudæos incredulos condemnavit.

Rom. 11.

Digitized by Google

Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt. ſeveritatem, *in te autem bonitatem Dei, ſi tamen permanſeris in bonitate: alioquin, & tu excideris.* Scriptum eſt enim: *Si quis in me non permanſerit* (ſcilicèt per dilectionem) *mittetur foras ſicut palmes: & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* *Joan.* 15.

39. *Deus æquè juſtus, ac miſericors.* Itaque homines, qui in præſenti vita Deum miſericordem, & longanimem credunt, non minus judicem veracem, & ſeverum agnoſcant, & vereantur. *Miſericors Dominus, & juſtus*, ait Pſalmiſta, *patiens; & multæ miſericordiæ, & verax.* *Pſal.* 114. *Pſal.* 85.

Converſio ad Deum non differenda. Quamobrem vanè homo, tempeſtivè tibi, dum vives, proſpice: nec quæras velim, aut exſpectes pro ſincera tua ad Deum converſione, caliginoſam mortis horam, quæ improvidos plurimos abſque ſigno prævio, per tortores morbos apprehendens, lumine rationis, ſenſuumque uſu ocyus privat, deinde ſuffocans vermibus in eſcam tradit. Non etiam fidas incerto craſtino, quod nemini debetur, atque innumeris coram oculis noſtris ſurripitur. Nam *Promiſſio nequam*, ait Sapiens, *multos perdidit dirigentes, & commovit illos quaſi fluctus maris. Viros potentes gyrans migrare fecit.* *Eccleſ.* 29. *Ante obitum ergo operare juſtitiam, quoniam apud inferos non eſt invenire cibum.* *Eccleſ.* 14. *Operamini dum dies eſt*, monet Salvator, *veniet nox, quando nemo poteſt operari.* Filius enim hominis (quem Pater cæleſtis ad dexteram ſuam exaltavit, ac poteſtatem dedit judicium facere) ſicut fur in nocte, quando minus cogitamus, venit, atque quos veſte charitatis indutos reperit, introducit ad beatas nuptias: eos verò, quos nudos, ut quondam Luciferum, ad tartara cum eodem cruciandos ablegat. Sic plurimæ parabolæ ſacri Euangelii, nec non ſententiæ Domini veraciter docent. Fatuæ enim Virgines, dum lampades ſuas (animas ſcilicèt) lumine quidem fidei incenſas, dilectionis tamen oleo deſtitutas, replere differunt, à regno ſponſi excluduntur. Alius ad regis conſpectum, & epulas vocatus, dum immundus comparet, jubetur per miniſtros, ligatis manibus, & pedibus, mitti in tenebras exteriores, ubi non niſi fletus, & ſtridor dentium. Tertius, dum ſibi deliciarum annos promittit plurimos, mox nocte ſuperventâ Iudicis ſententia è vita evocatur, ſtultitiæ ſuæ pœnas luiturus. Sanè *ſicut factum eſt in diebus Noë, ita erit in diebus filii hominis*, ait veritas. *Edebant, & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias uſque in diem, quâ intravit Noë in arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes. Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth, edebant, & bibebant, emebant, & vendebant, plantabant, & ædificabant: quâ die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem, & ſulphur de cælo, & omnes perdidit: ſecundùm hæc erit, quâ die Filius hominis revelabitur.* *Luc.* 17. *v.* 26. *Adventus Chriſti erit ſicut Dei adventus in diebus Noë.* Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Beatus, qui inventus fuerit in opere

Domini

40. Domini ſui vigilare. Audiamus virum Dei prudentiſſimum Franciſcum, ejuſque ſequamur veſtigia. *Hactenus*, inquit ad fratres ſuos, *nihil fecimus; nunc prius incipiamus ſervire Deo.* Quaſi dicere vellet Pater verè Seraphicus, retroactis temporibus nil boni, Deoque dignum egimus, multum autem mali: hactenus non amavimus eum ſuper omnia, mandata ipſius negleximus, delitiosè viximus, de uno peccato in aliud ruimus, valdè nimis irritavimus iram Dei: nihilominus adhuc ſuſtinet, donans lapſis reſurgendi ſpatium; nunc tandem quæſo ſapiamus, hac die acceptabili revertamur ad Dominum in toto corde, in jejunio, & fletu, & planctu, ſcindentes præ dolore offenſarum corda noſtra, non veſtimenta. Hoc tempore ſaluberrimo redimamus annos, menſes, & dies in voluntate tranſactos, producendo fructus pœnitentiæ dignos, atque affectum ergà Deum quàm maximum eliciendo, & ſervando: quin etiam totos nos in ipſius obſequiis cum labore, & afflictione uſque ad mortem impendamus; quoniam dies venturi velocius, mali ſunt judicii, videlicèt, iræ, ac vindictæ. Prudens ille eſt, qui non minus tremendum hunc judicii diem, quam redemptionis, & indulgentiæ jucundum alto animi ſenſu ruminat, ponderatque: ut ubi miſericordia Salvatoris ſpem veniæ parit, ibi confeſtim ſeveritas Iudicis ad pœnitentiam, & lamenta provocet, ac compellat,

Dies judicii æquè ob oculos habendus ac gratiæ.

Nunc tempus gratiæ poſtea ultionis.

Etenim quàm facilis modo Chriſtus ad miſerendum, tam difficilis erit poſtea: & ſicut nemo eſt, qui modò reconciliari non poſſit, ita poſt paululum, nemo qui poſſit. Quoniam ſicut benignitas Dei apparuit ultra omnem ſpem, ultra omnem æſtimationem, ſimilem exſpectare poſſumus judicii diſtrictionem. Noli ergo contemnere Dei miſericordiam; ſi non ſentire vis juſtitiam, ſed iram, ſed indignationem. Ex magnitudine indulgentiæ magnitudinem ultionis attende. Immenſus eſt enim Deus, & infinitus in juſtitia, ſicut & in miſericordia. Multus ad ignoſcendum, multus ad ulciſcendum: ſed miſericordia quidem priora ſibi vendicat, ut ſi volueris, diſtrictio invenire non poſſit, in quem deſæviat. Propter hoc enim benignitatem prærogavit, ut per eam reconciliati ſeveritatem videamus ſecuri. Pœnitentiam ergo, ô peccator, age in hac die, quæ ad pacem tibi. *Quodcumque facere poteſt manus tua inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* (Eccleſ. 7.) *Labora ſicut bonus miles* IESV *Chriſti. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit. Nam & qui certat in agone non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* Regnum cælorum, vitaque immortalis, & glorioſa fidelium Regis Regum Chriſti pugilum ſtipendium eſt, & violenti rapiunt illud. Attende ad Petram unde exciſus es, ducem tuum

IESVM inclama, nec umquam deſere, ſed firmiter adhære, gnaviterque inſervi ad exemplum illius, qui dicebat: *Veni Domine IESV, aufer ſcandala de regno tuo, quod eſt anima mea, ut regnes tu, qui debes in ea. Venit enim avaritia, & vendicat in me ſibi ſedem: jactantia cupit dominari mihi: ſuperbia vult mihi eſſe Rex: luxuria dicit, ego regnabo: ambitio, detractio, invidia, & iracundia certant in meipſo de meipſo, cujus ego potiſſimum eſſe videar. Ego autem quantum valeo, reſiſto, renitor, quantum juvor: Dominum meum* IESVM *reclamo, ipſi me defendo, quia ipſius juris me agnoſco. Ipſum mihi Deum, ipſum mihi Dominum teneo, & dico, non habeo regem, niſi Dominum* IESVM. *Veni ergo Domine* IESV, *diſperge illos in virtute tua, & regnabis in me: quia tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob.* Currebat hic ad deſtinatum ſibi bravium ſupernæ vocationis, ducis ſui confidens meritis, & adjutorio, ſemperque ob oculos verſans ejuſdem promiſſum: *Si verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.*

D. Bernard.

§. VI.

Dilectionis Chriſti fructus.

41. Fructus 1. reconciliatio.

ECce quanti fructus obſervantiæ ſermonum Domini, ſimul, & dilectionis. *Quodcumque,* ait, *volueritis petetis, & fiet vobis,* Tantumdem enim importat, ac ſi diceret: Si petiveritis Deum placabilem, fiet vobis: *Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus: multo magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius.* (*Rom. 7.*) Si peccatorum remiſſionem? *Charitas operit multitudinem peccatorum.* (2. Remiſſio peccatorum. *1. Pet. 4.*) Vnde ad converſam dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* (*Luc. 7. v. 47.*) Si pœnarum Purgatorii indulgentiam poſtulaveritis? (3. Relaxatio à pœnis.) *Audivi,* ait Ioannes, *vocem de cælo dicentem mihi, ſcribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* (*Apoc. 3.*) Si adjutorium cæleſte imploraveritis? (4. Divinum auxilium.) *Dominus virtutem populo ſuo dabit. Dextera ſua teget eos, & in brachio ſancto ſuo defendet eos.* (*Pſalm. 28. Sap. 5.*) Si merita ingentia, & copioſa prætenderitis? (5. Copia meritorum.) *Diligentibus Deum omnia coöperantur in bonum.* (*Rom. 8.*) Et, id, quod in *præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* (*2. Cor. 4. v. 17.*) Si Chriſtum vobis præſentem volueritis? (6. Præſentia Chriſti.) *Vbi,* inquit, *ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* (*Matth. 18.*) Quod ſi non tantum adſtantem, verùm etiam Deum in vobis manentem: (7. Manſio divina.) *Si quis,* ait, *diliget me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* (*Joan. 14.*) Rurſus Ioannes dicit: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Adhæc ſi quoſcumque defectus veſtros ſuppleri, & virtutes veſtras imperfectas, v.g. amorem, humilitatem, (8. Suppletio defectuum.)

litatem, patientiam, laudem, &c.
perfici, Deoque dignas reddi ora-
Pſal. 30. veritis? Fiet juxta illud: *Perfeciſti*
Pſal. 8. *eis, qui ſperant in te.* Et, *Ex ore in-*
fantium, & lactentium perfeciſti lau-
Coloſſ. 3. *dem.* Rurſus: *Omnia, & in omnibus*
Chriſtus. Hinc D. Bernard. in Cant.
Serm. 61. *Ego verò fidenter, quod ex*
me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſce-
ribus Domini, quoniam miſericordia
affluunt, nec deſunt foramina per quæ
effluant. Patet arcanum cordis, per fo-
ramina corporis. Patet magnum illud
pietatis ſacramentum: patent viſcera
miſericordiæ Domini noſtri, in quibus
viſitavit nos oriens ex alto. Hactenus
9. Mors Bernard. Vultis iterum bonam,
bona. Deoque charam mortem: *Pretioſa,*
Pſal. 115. inquit Scriptura, *in conſpectu Domi-*
Sap. 3. *ni mors Sanctorum ejus. Viſi ſunt ocu-*
lis inſipientium mori, illi autem ſunt
in pace. Sed nondum ſaturi, vitam
quoque æternam poſſidere, ac
menſæ Chriſti aſſidere depreca-
mini: euge, euge, exaudiemini, etſi
Deum ipſum in æternum glorioſè
contemplari, atque in eum reſol-
vi poſtulaveritis, quoniam ſcrip-
tum eſt: *Voluntatem timentium ſe fa-* Pſal. 144.
ciet, & deprecationem eorum exau- 10. Vita
diet. De his ergo ne dubitetis, æterna, &
quamvis tanta rogetis, ut majora, Dei frui-
& beatiora nec appeti, nec dona- tio.
ri, nec poſſideri, aut frui queant.
Iuſti enim in perpetuum vivent, & a- Sap. 5.
pud Dominum eſt merces eorum. Acci-
pient regnum decoris, & diadema ſpe-
ciei de manu Domini. Et ego, ait Chri- Luc. 22.
ſtus, *diſpono vobis regnum, ſicut diſpo-*
ſuit mihi Pater meus regnum, ut eda-
tis, & bibatis ſuper menſam meam in
regno meo. Paulus verò: *Videmus* 1. Cor. 13.
nunc per ſpeculum, in ænigmate, tunc
autem facie ad faciem. Ioannes et-
iam: *Nondum,* ait, *apparuit, quid eri-* 1. Joan. 3.
mus. Scimus, quoniam cum apparue-
rit, ſimiles ei erimus, quoniam vide-
bimus eum ſicuti eſt. Quid plura?
Erit Deus omnia in omnibus. Itaque 1. Cor. 15.
Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, &
immobiles: abundantes in opere Do-
mini ſemper: ſcientes quòd labor veſter
non eſt inanis in Domino.

PARS

PARS II.

LECTIO I.

De neceſſario MARIAE *Deiparæ Patrocinio, quod eſt alter modus conciliandi ſibi merita Chriſti Mediatoris.*

SUprà docuimus Chriſtum Dominum humani generis Mediatorem eſſe apud Deum, ac glorificatorem. Verùm enim verò nolite errare chariſſimi, quâdam Phariſaicâ arrogantiâ, ſeu hæreticâ confidentiâ ſeducti, præſumentes per voſmetipſos accedere thronum gratiæ Chriſti, ſive patrono medio, etſi tali quali innocentiâ præditi; ne forſitan fruſtrà ejus pulſetis oſtium, aut etiam cum confuſione propulſemini. Praxis, quæ in humanis conſiſtoriis adhibetur, in divino quoque adhibenda. Quantumvis aliquis probatæ ſit vitæ, nihil tamen beneficii, aut privilegii obtinebit, niſi ſervatis placitis Principum. Hinc ſi velint, ut ſubditorum libelli ſupplices, ac vota favore, & ſuffragio præpoſitorum aulæ juventur, muniantur ve, nemo ſperet aliter exaudiri. Nunc autem etiam Principis Regum terræ Chriſti mos eſt, neminem ad ſuum conſpectum admittere, vel ullum beneficium gratiæ largiri, niſi mediante, ac patrocinante curiæ ſuæ, ſive inferioris, ſive ſuperioris magnate: ideoque in Actibus Apoſtolorum Cornelius mittitur ad Petrum; Paulus ad Ananiam, Eunuchus ad Philippum. Hinc etiam D. Leo de Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ergà Romanam Vrbem ſuffragio ita loquitur: *Sicut nos*, inquit, *experti ſumus, & noſtri probavêre majores, credimus atque confidimus inter omnes hujus vitæ labores ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adjuvandos, ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apoſtolicis meritis erigamur.* Divus item Ambroſius Luc. 5. *Primum omnium unuſquiſque æger petendæ precatores ſalutis debet adhibere, per quos vitæ noſtræ compago reſoluta, actuumque noſtrorum clauda veſtigia verbi cæleſtis remedio reformentur.* Inter cetera tamen ſalutis noſtræ adjumenta planè neceſſarium arbitror Patrocinium MARIÆ Deiparæ, ſine quo ordi- 43.

In curia terreni regis patronus neceſſarius, ſic & apud Deum.

Brev. Rom. 3. Julii Lect. 6.

Neceſſitas Patrocinii MARIÆ Deiparæ.

Digitized by Google

ordinariè, nec peccator veniam, nec juſtus gratiam conſequetur. Vnde D. Chryſoſtomus: *Tribularer nimium*, ait, *ſi* MARIAE *neſcirem patrocinium, quia nobis ipſis non eſt ſalus.* Divus item Bonaventura in Pſalt. B. V. M. *Quemadmodum*, inquit, *infans ſine nutrice non poteſt vivere, ita nec ſine Domina noſtra potes habere ſalutem.* Demum Conc. VII. generale, & Nic. II. definit. 15. *Si quis*, ait, *non confitetur ſanctam ſemper Virginem* MARIAM *propriè, & verè Deiparam, quâvis viſibili, & inviſibili creaturâ ſuperiorem, & cum ſincera fide ejus interceſſiones, tamquàm quæ libertatem apud eum, qui ex ſe genitus eſt, Deum habeat, non poſtulaverit, anathema ſit.*

Eliphaz, Baldath, &c. orante Iob veniam obtinent.

Olim noluit Deus ad Eliphaz, Baldath, & Sophar, amicos Iob, eorumque munera reſpicere, ſed pro reconciliatione unà ſecum miſit eos ad ipſum Prophetam Iob, dicens: *Ite ad ſervum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis; Iob autem ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam, ut non imputetur vobis ſtultitia.* (Job 42.) Quod ſi illi mandato Dei non obediſſent, procul dubio minimè in gratiam ejus rediiſſent. Sic nunc Chriſtus ad fideles: *Ite ad Matrem meam* MARIAM, *ipſa loquatur pro vobis ad me; quia os veſtrum eſt, ac conſtitui eam Dominam domûs meæ, & Principem omnis poſſeſſionis meæ. Faciem ejus ſuſcipiam, quia ipſa invenit gratiam apud Deum. Ex hoc ipſam honorificate, quia ſic placitum eſt ante me.* Solent quidam viri generoſi, & uxorum amantes, eiſdemve plurimum fidentes, pecuniæ claves, & tutelam illis committere, & quidquid domeſticarum expenſarum eſt, illis tradere: ipſi verò aliis gravioribus muneribus vacant. Ergo ad eumdem modum Deus Opt. Max. ſanctiſſimæ ſuæ ſponſæ MARIAE, ſimul & Matri chariſſimæ, tantumdem tribuit, ac fidit, ut ipſi temporalium, & ſpiritualium donorum tutelam, & claves conſignârit: ita ut quidquid horum bonorum in hac magna mundi domo expenditur, id per MARIÆ manus recenſitum tranſeat, & illius arbitrio diſtribuatur. Ita ut jure dicere poſſit illud Prov. 8. *Mecum ſunt divitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & juſtitia.* Id eſt, in mea poteſtate. Mihi enim tamquam Sponſæ, aut Matri chariſſimæ omnia ſubjecit Deus. Hujus ſententiæ eſt D. Damaſcenus: *Oportet*, inquit, *Dei Matrem, ea, quæ Filii erant, poſſidere. Quamquam enim ſemper ita comparatum eſt, ut hæreditas à parentibus ad filios devolvatur: nunc tamen ſurſum ſacrorum fluminum fontes fluunt: etenim Filius Matri res omnes conditas in ſervitutem adduxit.* Et quid mirum res conditas Virgini ſubjectas, ubi & rerum omnium Conditor eidem dignatus eſt ſubjici. Addo D. Bonavent. in Spec. B. V. Lect. 8. ſic loquentem ad illa verba Lucæ, *Dominus tecum. Domini hujus*, ait, *omnia ſunt propria, cælum, & terra, & corporalia, & ſpiritualia, & omnis creatura, omnis gratia, & omnis cæleſtis gloria, omnia ſunt Domini propria. Ecce* MA-

B. V. diſpenſat bona Dei.

Damaſc. Orat. de Aſſumpt.

Digitized by Google

RIA, *quantus Dominus eſt, quàm opulentiſſimus eſt, qui tecum eſt. Et quia Dominus opulentiſſimus opulentiſſimè tecum eſt, ideò tu es ditiſſima, & opulentiſſima ſecum in his omnibus, in quibus ille opulentiſſimus eſt.* Itaque poſtquam Angelus ad MARIAM dixit: *Dominus tecum*: licèt etiam ei dicere: *Mecum ſunt divitiæ, & gloria, &c. Mecum*, quia non ſolùm illas egomet mihi obtineo: ſed etiam ex arbitrio expendo. Vnde Symmachus præallegata verba ſic legit accommodatè: *A me ſunt divitiæ, & gloria.*

44. Sed inquiris: unde hoc conſtat? Reſpondeo ex uſu, doctrinaque S. Matris Eccleſiæ, quæ MARIAM exulum filiorum Hevæ Advocatam, mundi Dominam, Matrem gratiæ, vitam, dulcedinem, & ſpem noſtram deprædicat, quamquàm multum differenter à Chriſto, ut alibi explicabitur. Dico præterea hujuſmodi Redemptoris placitum ex doctrina quoque, & oraculis Sanctorum Patrum innoteſcere, atque poſteritati declaratum. Inprimis D. Hilarius: *Impoſſibile*, inquit, *eſt, aliquem ſalvari peccatorem, niſi per tuum auxilium, & favorem.* Quis autem caſtum ſe habere cor gloriabitur? Peccatores ergo quia gratia indigent, MARIAM, ab omni labe puriſſimam, ac ſolam ſine exemplo Chriſto placentem, accedant oportet. Quoniam ipſi donatum eſt plenitudinem gratiæque fontem poſſidere, ac mundo elargiri. Vnde D. Bernard. *Quia*, inquit, *indignus eras cui donaretur, datum eſt* MARIAE, *ut per illam acciperes, quidquid haberes: quæ per hoc, quod Mater eſt, genuit tibi Deum; per hoc quod Virgo eſt, exaudita eſt pro reverentia ſua in cauſa tua, & totius humani generis. Cùm ergo in prima ſit remedium; in ſecunda adjutorium eſt: quia nihil nos Deus habere voluit, quod per* MARIAE *manus non tranſiret.* Sic Bernardus. D. Bernardinus Senenſis Serm. de Exaltat. B. V. Mellifluì Doctoris, nec non D. Hieronymi ſententiam ſecutus, ita ſermocinatur: *A tempore, quo Virgo Mater concepit in utero Verbum Dei, quamdam, ut ſic dicam, juriſdictionem, ſeu auctoritatem obtinuit in omni Spiritus ſancti proceſſione temporali, ita quod nulla creatura aliquam à Deo obtinuit gratiam, vel virtutem, niſi ſecundùm ipſius piæ Matris diſpenſationem.* Hinc D. Bernard. devotiſſimus, ait: *Nulla gratia venit de cœlo ad terram, niſi tranſeat per manus* MARIAE. Hinc Hieron. Serm. de Aſſumpt. inquit: *In Chriſto fuit plenitudo gratiæ ſicut in capite influente: in* MARIA *verò ſicut in collo transfundente. Vnde de Virgine Salomon ait: Collum tuum ſicut turris eburnea. Nam ſicut per collum vitales ſpiritus à capite deſcendunt in corpus: ſic per Virginem à capite Chriſto vitales gratiæ in ejus corpus myſticum transfunduntur. Vnde iſte ordo divinarum gratiarum influxus, ut prius à Deo defluant in Chriſti animam benedictam, deinde in animam Virginis Matris, inde in Seraphim, & ſic ſucceſſivè in alios Ordines Angelorum, demùm in Eccleſiam mili-*

Serm. 3. in Vigil. Nat. Dom. fin.

Deum ejuſque dona per B.V. accipimus.

B.V. concipiens filium Dei juriſdictionem obtinuit in gratias Spiritus ſancti.

Plenitudo gratiæ qualiter in Chriſto, & in B.V.

B.V. cur collo comparetur.

militantem. Cùm enim tota natura divina, totum eſſe, poſſe, ſcire, & velle divinum intra Virginis uterum extiterit clauſum, non timeo dicere, quòd omnium gratiarum effluxus quamdam juriſdictionem habuerit hæc Virgo, de cujus utero, quaſi de quodam divinitatis Oceano, rivi & flumina emanabant omnium gratiarum, &c. Concordat D. Germanus de Concept. Deip. ita MARIAM affatus: *Nullus eſt qui ſalvus fiat, niſi per te, ô Virgo ſanctiſsima: nemo eſt, qui liberatur à malis, niſi per te, ô puriſsima: nemo eſt, cui donum concedatur, niſi per te, ô caſtiſsima: nemo eſt, cui miſereatur gratia, niſi per te, ô honeſtiſsima, &c.* Adſtipulatur S. Cyrillus Alexandrinus: cujus ad Virginem hujuſmodi dirigitur ſermo: *Sit etiam tibi, ô ſancta Dei Mater laus. Tu enim es pretioſiſsima margarita orbis terrarum.* Et poſt pauca: *Per te Trinitas ſanctificatur, per te crux pretioſa celebratur, & adoratur. Per te exultat cælum, lætantur Angeli, fugantur dæmones, & homo ipſe ad cælum revocatur. Per te omnis creatura, idolorum errore detenta, converſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad ſanctum baptiſma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum conſtructæ ſunt Eccleſiæ. Te adjutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid pluras? per te unigenitus Dei Filius vera illa lux effulſit ſedentibus in tenebris, & umbrâ mortis. Per te Prophetæ prænunciârunt: per te Apoſtoli ſalutem gentibus prædicârunt, &c.* Subſcribit præfatorum ſententiæ Rupertus, dicens in Cant. *Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cæleſtium mundus accepit, emiſsiones tuæ ſunt, ut ubi erat prius ſpina, & vepres, vepres & cardinis, lappa, & tribulus, urtica, & paliurus, univerſitas nequitiarum; ibi ſit cyprus cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cynnamomum, myrrha & aloë univerſitas gratiarum juxtà numeri hujus ſeptenarii Sacramentum.*

Nullus ſalvatur niſi per B. V.

Brev. Rom. in Oct. Nat. B. V.

B. V. Margarita mundi.

45. Divus item Auguſt. l. de S. Virginit. c. 6. aſſerit MARIAM ſpiritu, & corpore Chriſtum peperiſſe. *Fuit,* ait, *Mater ſpiritu, non capitis noſtri, quod eſt ipſe Salvator, à quo illa magis ſpiritualiter nata eſt, ſed planè Mater membrorum ejus, quod nos ſumus: quia coöperata eſt charitate, ut omnes fideles in Eccleſia naſcerentur, qui illius capitis membra ſunt, corpore verò Mater ipſius capitis.* Addit Auguſtinus Virginem nunc eniti Chriſti corpus myſticum, cum illud de cælo edit; ex quo fit, ut quamdiu in hac vita manet iſtud Chriſti corpus, quodammodò illud in ventre ſuo, ac viſceribus ſpiritualiter geſtet. Ergo ſicut fœtus, quamdiu eſt in matris vulvæ, & utero, eo ſolo alimento innutritur, quod Mater ore ſuo accepit, & ſtomacho decoxit, ſic etiam corpus iſtud Chriſti myſticum, quod ex fidelibus omnibus coaleſcit, nihil gratiæ aut alimenti ſpiritualis percipit, quod MARIA ore ſuo, id eſt, oratione, ac precibus non obtinuerit, & ſtomacho, id eſt, charitate ſuâ non decoxerit, & diſtribuerit. Itaque non ſolum ex eo, quod Mater Chriſti

B. V. Mater ſpiritualis fidelium.

eſt Maria, ſed etiam ex eo, quòd Mater, & parens noſtra exiſtit, (quæ nos tandem cælo ac beatitudini edit) non ineptè deducimus, omnia bona ab illâ in nos proficiſci.

46. Audiendus etiam hîc Georg. Venetus, vir Ordinis noſtri, pietatis, doctrinæque haud vulgaris, in Harmon. Cant. tom. 4. c. 38. qui ex illa lunæ similitudine, ex qua probavit nullum alicujus Sancti ſuffragium ad nos pervenire poſſe, niſi etiam Virginis meritum, & oratio accedat, deducit nihil doni, etiam à Chriſto, in nos defluere, quod Virgine intercedente non capiamus. Nam cùm præmiſiſſet ad hunc modum: *Omnia, quæ Sol vi maſculinâ generat, hæc* (Luna ſcilicèt) *ipſius, & aliorum planetarum fœtum ſuſcipiens, vi quaſi fœmineâ in terras mandat: ideòque ejus motus præ ceteris obſervatur, quaſi omnium conceptum parientis.* Abſolvit tandem his verbis: *Ideòque abs re Lunæ aſſimilatur* Maria, *quæ ea omnia, quæ à ſupernis fontibus per diverſos canales haurit, largitur quidem inferioribus pro recipientium diſpoſitione.* Itaque ſicut omnes Solis influxus, Luna moderante, ad terram decidunt, ſic etiam omnes Dei gratiæ, & dona, Maria impetrante, deſcendunt in homines. Eapropter ſicut Aſtrologi, etſi aliquam Solis, & aliorum aſtrorum rationem habeant, tamen motum, curſumque Lunæ, ad criſes potiſſimum, obſervant, atque indè mutationes temporum colligunt, medicamentorum tradendorum opportunas vel importunas occaſiones venantur; plantandi, ſerendi, ligna ſecandi, atque id genus plurimarum rerum opportunitates captant, & nihil horum, niſi Lunâ conſultâ, periti faciunt: ſic & nos, quamvis aliorum Sanctorum ſuffragia exſpectare debeamus: tamen audeo dicere; imperitiſſimorum hominum eſt, cùm noverimus omnem gratiæ, & auxilii defluxum mediâ Virgine, ceu Lunâ, ad nos deportari, aliquid vel ſuſcipere, vel aggredi, niſi prius illam, atque illius decreta obſervaverimus, eamdemque nobis propitiam obſequio aliquo præſtiterimus: Lunâ autem iſtâ benevolâ quidlibet agere, quidlibet audere poſſumus. Propterea enim plurimi adſcribunt Virgini illa verba Eccleſ. 43. *Et Luna in omnibus, in tempore ſuo oſtenſio temporis, & ſignum ævi:* id eſt, Luna docet in omnibus rebus, quomodo quælibet opportuno, & accommodato tempore gerenda ſint. Nec aliter in Mariam inſpectare debemus, quàm in Lunam, ut niſi Lunâ ſecundâ nihil umquàm agamus. Noli, quæſo, aggravare cor, ut Mariam calumnieris gratiæ diſpenſatricem, ubi conſpicis eamdem à Deo humanæ reparationis coadjutricem datam. *Evocatur*, ait B. Damianus Serm. de Annunc. *cæleſtis ille conventus, init Deus conſilium, facit Deus ſermonem cum Angelis de reſtauratione eorum, & de redemptione hominum, atque ſtatim de theſauro divinitatis*

B. V. Lunæ cur comparetur.

Mariæ

Mariæ *nomen evolvitur, ac per ipſam, cum ipſâ, & in ipſâ totum hoc faciendum decernitur, ut ſicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita ſine illa nil refectum ſit.*

§. II.

Fundamentum Patrocinii B. V.

47. FVndamentum hujus doctrinæ Patrum, eſt Euangelium ſacrum, præſertim ſecundùm Lucam c. 1. ubi Gabriël Angelus, primicerius gratiæ præco, à Deo ad Virginem noſtram miſſus, ita legationem exorditur: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Deinde quæ habebat in mandatis exponens, dixit: *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus* Iesvm. *Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur.* Demum de modo plenè informans, & confortans ait: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, &c.* Ex quo ſermone Angeli liquet Deum per Mariam, ut olim per arcam, ſalvare voluiſſe totum genus humanum, quod diluvio peccatorum penitùs interibat. Per Mariam diſpoſuerat Pater cæleſtis, cooperante Spiritu S. *Verbum* ſuum cum humana natura deſponſare, ut ſempiternum impleret pactum, quod feriit cum filio Ieſſe, miſericordias David fideles. Spiritus S. Mariam velut in ſponſam ſibi aſſumens, & fœcundans, per eamdem volebat donorum ſuorum theſauros nobis egenis communicare. Vnigenitus Dei, cui ſunt deliciæ eſſe cum filiis hominum, per Mariam ingenti tenebatur deſiderio fruendi humanis nuptiis, quo nimirum naturam noſtram depravatam ſuâ potentiâ, & pietate reſtaurare valeret. Tempore itaque à Patre præfinito, Angelus ad humilem deſtinatur Virginem, ut eidem verbum ſalutis, *Incarnationem* videlicèt filii ſui dilecti, cunctis deſideratam gentibus, annunciaret. Auditâ legatione ſummi Regis, annuit Virgo prudens, & dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Nec mora*, inquit D. Auguſt. *revertitur nuncius, & nuptialem thronum ingreditur Chriſtus, accepit ſtolam carnis in thalamo Virginis, divinitati ſponſatur homo.*

48. Pende, obſecro, vim iſtius *Fiat* à Virgine prolati, quo Virgo ſanctiſſima, teſte Auguſt. *Verbum* Dei in ſua transfudit viſcera. D. Chryſoſtom. ad verba illa Gen. quibus à Deo homo conditus eſt: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, &c.* inquirit, quid in cauſſa fuerit, quòd cùm Deus cælum, & terram, lucemque & reliquam mundi fabricam molitur, uſus eſt verbo *fiat*, de ſingulari; *fiat*, nimirum, *lux, fiat cælum, &c.* tum verò cùm hominem formare aggreſſus eſt, ait, *Faciamus hominem, &c.* de plurali: *Nobilitas*, inquit, *operis hoc effecit, quia animum ſpiritualem, Angelis ipſis haud imparem,* corpori

Deus in creatione hominis cur ait, faciamus, in aliorum, fiat.

corpori ſociare, & agglutinare, tanti opificii res erat, ut tres perſonæ Trinitatis ad id præſtandum, ſe quodammodò evocârint; & omnes etiam quodammodò in id conniti viderentur. Alias verò res deterioris notæ, cùm conderet Deus, velut aliud agens, ajebat, fiat lux, &c. Iam igitur nunc tecum cogita vim illius *fiat* Mariani. Cum Deus Opt. Max. ex proprio *fiat* hominis conditionem haud formare voluerit, quia nimirum ſpiritum carni agglutinare magni opificii res illi viſa eſt: nihilominùs præſtantiſſimum illud, ac diviniſſimum opus, quod arte ſuâ reliqua Dei opera infinito intervallo ſuperavit, ſcilicèt divinam, humanamque naturam in eadem hypoſtaſi ſociare, ex MARIÆ *fiat* pendere juſſit Deus, atque eo enunciato effectum ſortiri.

49. Rurſus aliter præfatæ interrogationi occurrit D. Bernard. *Propterea*, inquit, *in creatione aliarum rerum uſus eſt verbo illo, fiat, quia vox iſthæc imperantis eſt: oportebat autem per imperii quamdam inſinuationem fieri illa, quæ, hominis imperio ut ſubjacerent, producebantur, uti ex ipſa productione ſui omen caperent. At verò in formatione hominis adhibuit Deus verbum, faciamus, quod non imperantis, ſed operi ſuo intendentis eſt: ut ſignificaret hominem ad imperium natum, hoceſt, ut reliquis creaturis jura diceret. Ideò ſubdidit: faciamus hominem ad imaginem, &c. ut præſit piſcibus maris, &c.* Nam ſicut creaturas alias, imperante illo verbo producens, Deus homini parituras eſſe ſignificavit: ſic etiam ab eo verbo abſtinens, & quodammodò urbanum, & comem ergà hominem ſe præbens, eumdem Dominum, ac Principem fore demonſtravit. Quorſum hæc? Cùm filius Dei, ut ipſe de ſe teſtatus eſt, non venerit miniſtrari, ſed miniſtrare, ut ex ſua formatione hujus miniſterii, atque obſequii omen caperet, decuit ſanè uti non jam aliquo *fiat* imperantis (quale fuerat illud, quo res creaverat) ſed magis ex quodam *fiat obedientis* MARIÆ penderet: quod nimirùm illi, & cauſa aliqualis eo tempore exiſtendi, & obedientiæ exemplar foret. Itaque obedientia, quam Virgo eo verbo *fiat* oſtentavit, Chriſtum Dominum ad miniſtrandum naſci portendit, & miniſtrare quodammodò perdocuit. Ex hoc licèt etiam contemplari, quantum Deus tribuat obedientiæ: qui enim ad hominem condendum haud ſatis eſſe duxit ſuum *fiat*, opus omnium maximum, ſcilicèt *Incarnationem* Chriſti per *fiat* MARIÆ abſolvit, ita ut quodammodò ſuum *fiat*, MARIÆ *fiat* poſtpoſuerit. Si vero cauſſam roges, in promptu eſt. Quia ſcilicèt *fiat* Dei erat imperantis; *fiat* MARIÆ obedientis. Ideo Deus ut obedientiæ plurimum deferret, MARIÆ *fiat* prætulit quodammodò ſuo. Exinde verò tanti habitum eſt MARIAE *fiat* in cælo, ut nihil gratiæ, aut doni à Deo proficiſcatur in homines, ad quod expediendum non exſpectetur MARIAE *fiat*. Item hujus Reginæ *fiat* obtento,

Fiat obedientis MARIÆ quid portendat.

Digitized by Google

to, quæcumque dona à Deo Opt. Max. impetrantur.

50. Denique D. quoque Bernardinus vim, bonumque Mariani *fiat*, quod in univerſum redundavit Orbem, altius contemplatus, cum jubilo cordis exclamat: *O verbum omni jucunditate, & lætitiâ plenum, audire Virginem, dicentem: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Hoc eſt verbum, quod audire optabant ſuperi, id eſt, Angeli reſtaurandi: quod exſpectabant inferi, ſcilicèt ſancti Patres de inferno liberandi: quod deſiderabant poſteri, ſcilicèt per tuum filium redimendi: quod appetebant exteri, ſcilicèt appetitus creaturarum per te conſummandi. Dediſti Virgo benedicta verbum tui digniſſimi, & virtuoſiſſimi conſenſûs, & ſuſcepiſti Verbum de ſinu Patris tui digniſſimi, & Virginalis conceptûs.* Sic ille. Quis tam ineffabile divinæ pietatis ergà homines myſterium non feſtivet? Quis non immenſas jugeſque Deo gratiarum actiones lubentiſſimè perſolvat? Aut poterit quiſpiam ab hujus participatione Sacramenti exortem ſe putare? D. Bonavent. in I. Medit. vitæ Chriſti c. 4. agens de Chriſti *Incarnatione*, dicit hujus feſtivitatem ſpectare ad ſanctiſſimam Trinitatem, ipſam item Virginem, Angelos, & homines. *Hodie*, inquit, *eſt ſolemnitas Dei Patris, qui nuptias fecit Filio ſuo in deſponſatione humanæ naturæ, quam hodie filius ſibi univit inſeparabiliter: hodie eſt, & ſolemnitas nuptiarum filii, & dies natalis ejus in utero, ſed poſteà erit ex utero; hodie eſt ſolemnitas Spiritus S. propter hoc opus mirificum, & ſingulare ipſius Incarnationis, quod eidem attribuitur; & hodie incepit oſtendere benignitatem ſingularem humano generi: hodie eſt ſolemnitas glorioſæ Dominæ noſtræ, quæ à Patre in Filium, à Filio in Matrem, & à Spiritu S. in ſponſam eſt recognita, & aſſumpta: hodie eſt ſolemnitas totius curiæ cæleſtis, quia inchoatur eorum reparatio: hodie eſt multò magis ſolemnitas humanæ naturæ, quia ejus ſalus incœpta redemptio, & totius mundi reconciliatio ſublimata eſt, atque Deificata.* Sic Bonavent.

Fiat B. V. quantum bonum cauſaverit.

Incarnationis Verbi feſtum ſpectat ad SS. Trinit. ad B. V. Angelos, & homines. Ratio.

§. III.

Proſecutio fundamenti Patrocinii B. V.

NVptiis his ita celebratis, ſimul æterni filii deſideria complentur. Deſiderârat *Verbum* Patris noviſſimis temporibus utraque inter ſe diſtantia maximè, & pugnantia, facere unum, ſumma copulare imis, divina humanis, ac reconciliare hominem Deo. Ecce, ad conſenſum Virginis, Deus homo factus eſt, & homo Deus, inſuper pax hominibus bonæ voluntatis in natali prolis auguſtiſſimæ, edicto piiſſimi Patris, in multitudine coruſcantis, & exultantis militiæ cœleſtis promulgato, innotuit. Deſiderârat filius Dei Matrem humilem, pudicam, prudentem, ſuæque familiæ curam gerentem: MARIA neſcia viri, quanto 51.

Laudes B. V. Chriſtum qualem Matrem decebat.

Digitized by Google

to altior, tanto ſubmiſſior; Dei parens minimam famulam reputavit ſe, atque coràm minoribus prior ſe inclinavit: deinde, *quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum: facta eſt quaſi navis inſtitoris de longè portans panem ſuum.* De nocte ſurrexit, & nobilis in portis vir ejus, abierunt in Ægyptum, atque divinum penes ſe depoſitum ab internecione gladii impiorum præſervârunt. Deſiderârat Chriſtus Virginem gratioſam, benevolam, ſolertem, quæ ſe in carnis infirmitate colligeret, reficeret, foveret, atque ſolaretur; verùm ad hæc præſtanda nemo Maria aptior, nemo ſedulior, nemo gratioſior reperiri potuit, teſte Spiritu S: *Multæ*, inquit, *filiæ congregaverunt ſibi divitias, tu verò ſupergreſſa es univerſas. Favus diſtillans labia tua ſponſa: mel, & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Pulchriora ſunt ubera tua vino.* Horum omnium fragrantiâ, & blanditiis allectus infans Iesvs, in præſepii cunabulis, & medio duorum animalium cum fletu, & ejulatu clamat: *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Deinde: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Deſiderârat Chriſtus in laboribus, & vigiliis, in jejuniis, & orationibus, in obedientia, & miſericordia adjutorium ſimule ſibi. Maria de lege Domini, ne jota quidem præteriit, ad nutum divino beneplacito fideliter obtemperans. Maria etiam gravida montana tranſcendit, ſenem cognatam miniſterio juvit, Zachariæ domum benedictionibus cæli replevit, inopiam nuptiarum Canæ Galilææ filio commendavit, frequentiùs templum Hieroſolymitanum, Deum cum religione adoratura, viſitavit. Iesvm perditum triduo cum dolore, & lacrymis quæſivit, clamans per vicos, & plateas: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* In vigiliis multa, in oratione fervida, in contemplatione divinarum rerum aſſidua; quin-imo, ad exemplum Sponſi, corpore dormiens, corde vigilabat. Deſiderârat Chriſtus mulierem in tribulatione ſociam; magnanimem tamen atque conſtantem, uſque ad crucis opprobria ſecum fideliter toleranda. Quod huc ſpectat, Maria nullis filii perſecutionibus, nullis injuriarum generibus, nullis tormentorum acerbitatibus ab eodem unquam avelli potuit. *Stabat*, inquit Euangeliſta, *juxta crucem* Iesv *Mater ejus.* Stetit autem non tantum pedibus, ſed magis animo, utpote juxta cujus fortitudinem aut infirmitatem corpus plerumque jacere, erigive ſolet. Vnde nec ipſa ut ceteri incredula, ſeu de reſurrectione illius dubia in ſepulchro quæſivit mortuum; ſed inconcuſſâ fide, & certâ ſpe exſpectabat in cubili ſuo adventum gloriæ magni Dei, & Sal-

Prov. 31.

Ibid.

Cant. 4.

Digitized by Google

Salvatoris noſtri Iesv Chriſti; ut non immeritò dictum illud Sapientis ei tribuendum videatur: Eccleſ. 26. *Fundamenta æterna ſupra petram ſolidam, & mandata Dei in corde mulieris ſanctæ.* Et, *Sicut Sol oriens in mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ejus,* quæ eſt Eccleſia.

52. Spiritus S. qualem ſponſam optabat. Denique deſiderabat Spiritus S. ſponſam ſpecioſam, immaculatam, nec non in amore perfectam, rerum cæleſtium avidiſſimam, quæ obtutus ſuos ad divinitatem æternitatemque omni tempore, terrenis conculcatis, ardentiſſimè collimaret. Quod hæc attinet, Maria nec primam ſimilem ſui habere viſa eſt, aut ſequentem, ipſo eodem Spiritu teſtimonium perhibente: Cant. 5. *Tota,* inquit, *pulchra es, & macula non eſt in te. Vna eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Cant. 6. *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum: aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Ego,* inquiens, Cant. 7. *dilecto meo, & ad me converſio ejus.* Hujus tantæ dilectionis amplitudine ac firmitate, hujus tam columbini oculi continuò ſe verſus intuitu, quaſi ſagittis electis tactus corde intrinſecus Spiritus S. ipſum ad Mariam advolare, eidemque quaſi maritare fecerunt; quod & ipſe Cant. 4. inſinuare videtur: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum.* Et, *quæſivi*, ait Sap. 8. *eam mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.* Hujus veritatis teſtimonium certius habemus in Euang. Luc. 1. ubi Angelus ita Virginem affatur: *Inveniſti gratiam apud Deum: Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Ad Ioſeph autem de eadem Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt.*

§. IV.

Confirmatio Prioris.

Avctor Imperfecti in 1. cap. Matth. Maria, inquit, *ſpecioſior facta fuit, & dignior, quàm totus mundus. Quia quem totus mundus capere non poterat, nec merebatur accipere, in cubiculo uteri ſui meruit ſola ipſa ſuſcipere.* Latet aliquid in his verbis, quod reſerare neceſſe eſt. Reverà ad excipiendum *Verbum* Dei, è cælo ad terras adventantem, neceſſe erat, ut tota ſe componeret atque expediret creatura ad tantum hoſpitem lautius excipiendum. Oportebat ſanè, ut totus geſtiret mundus, totuſque ſe advenienti gratus jucunduſque offerret. Ceterùm longè aliter cum *Verbo* Dei actum eſt: tantum enim abfuit, ut totus mundus ad illud excipiendum ſeſe ornaret, ut numquam deornatior, & turpior fuerit: *Numquam enim,* ait Auguſt. *mundus immundior fuit, quàm cùm Verbum* 53.

caro factum eſt. Et Ioannes in Euangel. c. 1. ſcribit: *In mundo erat, & mundus eum non cognovit: in propria venit, & ſui eum non receperunt*. Itaque vel hi, qui illi cognatione conjuncti erant hoſpitem recuſàrunt. Quid ergo Dei *Verbum*, ad quod excipiendum haud ſatis erat totius mundi obſequium plenum, adducere potuit, ut in mundum veniret tunc, cùm mundus imparatior, & ad illud recipiendum ineptior erat? Illa profectò induxit fœmina, in qua totius mundi atque aliarum creaturarum omnium coactas perfectiones contemplans Dei *Verbum* ad ſe recipiendum paratas, & expeditas, nullum ſanè mundi atque aliarum creaturarum obſequium deſideravit, imo quodammodo ſprevit. Id volunt ſibi verba præmiſſa: MARIA *ſpecioſior facta fuit, & dignior quàm totus mundus; quia quem mundus non merebatur accipere, in cubiculo uteri ſui ſola ipſa ſuſcipere meruit*.

In B. V. fuerunt perfectiones omnium creaturarum.

Eapropter nemo mulierum MARIÆ invideat, nemo virorum illi moleſtus ſit: *Inveni*, ait, *quem diligit anima mea. Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum; ut ibi paſcatur in hortis, & lilia colligat*. Quia enim dilectus, *Nazarenus* vocandus, thalamus alius ei non conveniebat niſi *floridus*, cujuſmodi fuit MARIAE corpus, & anima ſecundùm quod dicitur in Canticis: *Lectus noſter floridus*. Sed quibus putas floribus conſperſus, & adornatus? *Flores*, inquit, *mei, fructus honoris, & honeſtatis*. Florebat quippe in ea cyprus fidei, nardus humilitatis, crocus obedientiæ, myrrhæ mortificationis, aloës patientiæ, ligna Libani fortitudinis, & prudentiæ, fiſtula laudis Dei, unguenta ſalutis: item aquæ gratiæ, & benedictionis inter arbores integritatis, & fœcunditatis ſcaturiebant in tanta copia, ut operirent faciem univerſæ terræ, nec tantùm in futuras, verùm etiam in præteritas ſeſe transfuderint ætates. Adhæc, quia Sponſus candidus ſanctuſque in S. Scriptura deſcribitur, ideò ſapore uberum impollutorum lactari in corpore, candore verò liliorum virginitatis, & ſimplicitatis paſci ſecundùm animam oportebat, juxta illud: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia*. Demùm, quia etiam rubicundus notatur, non niſi vernantibus, & vermiculatis charitatis roſis ad Deum, & proximum cum ſponſa copulari, & detineri poterat, quibus ornatiſſima, & fragrantiſſima extitit B. V. MARIA.

Cant. 3. *Cant. 6.*

Sponſus Nazarenus candidus, rubicundus.

Eccleſ. 24.

54. Ecce quid pulchritudinis, quid oblectamenti, quid abundantiæ, quid gloriæ amplioris Marianus hortus præ omnibus hominibus habuerit, ut cæleſtem Paradiſum verius dixeris, quàm terreſtrem; licèt alioqui à Sponſo, & Patribus non incongruè terreſtri horto ob ſimilitudinem comparetur: *Hortus concluſus*, ait Sponſus, *ſoror mea ſponſa; hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*.

Cant. 4. B. V. horto comparatur.

Cyprus

Digitized by Google

Cyprus cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cynamomum, cum univerſis lignis Libani, myrrha, & aloë cum omnibus primis unguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Super quæ D. Hieron. *Canitur*, inquit, *de ea in Canticis: Hortus concluſus, fons ſignatus, emiſsiones tuæ paradiſus. Verè hortus delitiarum in quo conſita ſunt univerſa florum genera, & odoramenta virtutum, ſic concluſus ut neſciat violari, neque corrumpi ullis inſidiarum fraudibus. Fons itaque ſignatus ſigillo totius Trinitatis.* D. Auguſt. *Expandat nunc*, ait, *fides ſplendentis uteri pulchra tentoria, virtus obumbret, ſpiritus ſibilet, naturali calore depulſo tenuis Virginem aura refoveat, & fluente refrigerio ſpiramentis cæleſtibus ventiletur, alvus Virginis ſertis verecundiæ coronetur, flammeüs ibi roſâ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei ſpargantur flores, & vario nitore depictus Chriſti thalamus exornetur.* Ceterum D. Bernard. ad illa verba Cant. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Curemus*, inquit, *habere lilia, fratres, extirpare ſpinas, & tribulos, & inſerere lilia feſtinemus, ſi quando & apud nos paſcendus dignetur dilectus deſcendere: Apud* MARIAM *utique paſcebatur, idque copioſius pro multitudine liliorum. An nõn lilia virginitatis decus, humilitatis inſigne, ſupereminentia charitatis? Erunt tamen & nobis lilia, quamvis inferiora valdè, ſed ne inter hæc quidem dedignabitur paſci ſponſus, ſi quidem eas, quas prædiximus, actiones gratiarum, devotionis hilaritas illuſtrârit, orationem intentionis puritas candidaverit; confeſsionem indulgentia dealbaverit.* Sic ille.

Brev. Rom. in Offic. Min.

Serm. 17. Nat. Dom.

Serm. Nat. B. V.

55\. Merito proindè de MARIA canit Eccleſia, Religioſorum cætus perſonant, Virginum chori concinunt, Canonicorum collegia intonant, ac unanimiter clerus cum plebe ejus implorantes auxilium proclamant: *Beata Dei genitrix, Virgo perpetua, templum Domini, ſacrarium Spiritûs S. ſola ſine exemplo placuiſti Domino noſtro* IESV *Chriſto, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo ſexu, ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem.* D. Auguſt. deſiderio noſcendi flagrans, quæ præcipuè virtus Virginem in tantum elevârit, ut Vnigeniti Dei Mater fieret; ſic eamdem piâ oratione demulcet: *Dic mihi, quæſo, jam Sancti Sanctorum Mater, quemadmodum myrtini odoris, & nivei coloris lilium convallium ſine ſucco humanæ propaginis, & ſine imbre carnalis ſeminis in ſinu Eccleſiæ germinâſti?* Et poſt pauca: *Dic, obſecro te per eum, qui te fecit, ut ipſe fieret in te, dic, inquam, mihi, quid boni egiſti, aut quantum præmium obtuliſti? per quas poteſtates ambiſti? quos patronos adhibuiſti? quæ ſuffragia præmiſiſti? &c. Et illa: Quæris à me, quod obtulerim munus, & unde Mater effecta ſim Creatoris? Oblatio mea fuit humilitas mea, & ideò Magnificat anima mea Dominum, quia reſpexit non auro elevatam tunicam meam, non* pom-

D. Auguſt. inquirit cauſam evectionis B. V.

Humilitas cauſa exultationis B. V.

Digitized by Google

pompoſo cultu radiantis auri ornamentum cervicis meæ, &c. ſed reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Venit enim ad me manſuetus requieſcens ſuper maternum ſpiritum humilem ac manſuetum, ac trementem verba ſua, &c.

Eja agedum nunc, ô prudentes Virgines, amotâ invidiâ, ſine æmulatione, aptatis lampadibus, charitatis oleo plenis, fideique Orthodoxæ lumine incenſis Reginæ Virginum occurrite, eique congratulamini, quoniam ſponſus, cunctis deſideratus gentibus, apud illam non tantum divertere, & manere, verùm etiam ſimilitudinem carnis peccati ex ea aſſumere dignatus eſt, ut patientia gratiæ ſuæ formam Dei, originali culpâ in omnibus nobis labefactatam, priſtino nitori reſtauraret, ampliuſque munere caſtitatis perficeret. Regina veſtra & Domina ſic reverenter ſalutata:
Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Egredimini, inquam, animæ fideles, egredimini de medio Babylonis, & cætu impiorum, excutite mundanum pulverem, ſanctimoniâ ſuccinctæ lumbos veſtros accurrite, in ſilentio contemplationis accedite, atque in fervore ſpiritus, & devotionis adorate Regem Salomonem, Davidis filium, pacis Principem, Sacerdotem magnum, in diademate regali, in veſte carnis noſtræ nuptiali, magnificum, & glorioſum, in ſolio Patris ſui reſidentem. Non illum dico quem in peccatis concepit ac genuit Betſabea, cujus oculos cordis concupiſcentia carnis tandem faſcinavit, pervertitque, ac imperium ſicut & homo temporaneum extitit, ſed æternam Patris æterni Sapientiam, candorem lucis perpetuæ, ſpeculum ſine macula, imaginem bonitatis illius, Angelum Teſtamenti, Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, Verbum vitæ, Chriſtum Domini in lege promiſſum, quem MARIA Virgo indumento carnis noſtræ, veſtivit, atque orbi terrarum feliciſſimè introduxit, & habitavit in nobis, cujus regni ac Sacerdotii non erit finis. Etenim de hoc atque matre illius prænuntiârat Propheta, quod jam impletum gaudemus. *Et concupiſcet Rex* Pſal. 44. *decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Adducentur Regi Virgines poſt eam.*

§. V.

Patrocinium B. V. implorandum.

QVandoquidem ergo ſanctiſſima Trinitas Deus Opt. Max. in MARIÆ humilitate moribuſque probatiſſimis ſibi complacens, eam ab æterno præelegerit, atque in tempore uſa fuerit in adjutorium liberationis captivi generis humani, quandoquidem etiam Eccleſia Catholica, & Apoſtolica; *Columna & firmamentum veritatis,* ſanctique Patres, ejuſdem Eccleſiæ pars ſanior, MARIAM nobis 56.

Digitized by Google

nobis proponant ut Matrem miſericordiæ, ac diſpenſatricem gratiæ Chriſti, caveat quiſquis ex plebe Dei eſſe, vel filiorum ejus adoptionem conſequi vult, caveat, inquam, aliter velle ſalvari niſi glorioſo, & millies benedicto fructu ventris MARIÆ propitio; aliter velle eſſe particeps theſauri chariſmatum Chriſti Redemptoris niſi digniſſimâ Matre ejus patrocinante. Pater quidem cæleſtis cupit omnes homines ſalvos fieri, & regnum ſuum dare, ſed per filium, ejuſque merita: filius ſimiliter nil magis optat, quàm gratiæ munera meritaque elargiri; ſic tamen, ut non niſi Matre ſua, vel interpellante, vel diſpenſante. In hunc finem arbitror Chriſtum in pluribus ſingularum regionum orbis Catholici locis, Virginis MARIÆ imploratis meritis & precibus, uti olim, ita & nunc, innumera patrâſſe, & patrare miracula, ut mundus exinde colligeret, tam ſpiritualia dona mediante Matris illius ſuffragio petenda eſſe ac largienda, quàm corporalia. Ipſa enim ſalutaris feneſtra, & porta pellucida per quam communiter Sol juſtitiæ Chriſtus pietatis ſuæ radios evibrare ad homines ſolet, eoſque illuminare. Hinc illud Eccleſiæ:

Miracula innuunt B. V. patrocinium implorandum.

O glorioſa Domina, &c.
Quòd Heva triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine,
Intrent ut aſtra flebiles
Cæli feneſtra facta es.
Tu Regis alti janua,
Et porta lucis fulgida, &c.

Hinc etiam Auguſt. Serm. 11. Nat. Dom. *Facta eſt* MARIA, inquit, *feneſtra cæli, quia per ipſam Deus Verbum fudit ſæculi lumen: facta eſt* MARIA *ſcala cæleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, ut per ipſam homines ad cælos mereantur aſcendere, &c.* Sânctus item Antoninus: *Quoniam,* inquit, *per eam exivit de cælis ad nos, quidquid umquam gratiæ creatum venit in mundum, unde dicitur Mater gratiæ, & Mater miſericordiæ; & de ea poteſt illud intelligi Sap. 7. Omnium bonorum Mater eſt, & venerunt mihi omnia bona pariter cum illa (ſcilicèt Virgine) poteſt dicere mundus. Secundò, quidquid boni, id eſt, omnis qui de terris intravit ad cælum, ut Sancti omnes, per ipſam, ut portam ſeu medium intravit, nimirum per benedictum fructum filium ſuum. Quod ſi Apoſtoli Apoc. 21. dicuntur duodecim portæ Hieruſalem, quoniam præ cæteris, & meritis & exemplis nos important in cælum: multò magis poteſt dici B. Virgo porta cæli, propter majus ejus, & perfectius ſuffragium, & vitæ exemplum: & præterea, quia omnes per Chriſtum Mediatorem natum de Virgine in cælum introducuntur.* Ita Anton.

B. V. feneſtra, quâ à Chriſto illuminamur.

B. V. Mater gratiæ.

Ipſa rurſus Deipara eſt arca in qua Pater cæleſtis omnes ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ theſauros, univerſas quoque gratiæ ac gloriæ ſuæ divitias deliciaſque recondidit. Quamobrem pauperes, qui de his participare deſiderant, MARIÆ fores pulſare; ejuſque ſubſidium implorare neceſſe habent. In veteri Teſtamento filii Iſraël, ſi 57.

B. V. arca theſaurorum cæleſtium.

Digitized by Google

quando Deum offenderant, per arcam fœderis iracundiam ejus mitigabant, ſi quando bellum ingruebat, cum hoſtibus pugnaturi, arcam in prælium conferebant, atque per eam os Domini conſulebant. Demùm, ſi quando gratiam, & beneficium deſuper poſtulabant, ut facilius impetrarent, preceſque efficaciores eſſent, has coràm arca ingenti cum religione profundebant: & hæc omnia plerumque feliciter. An non poterat aliter placari Deus, dona ſua erogare, atque voluntatis ſuæ arcanum reſerare? Poterat quidem, ſed noluit: ſic & modo. Hujus rationem, & congruitatem aſſignant Patres, inprimis S. Chryſologus:

Serm. 142. Homo per fœminam lapſus, per fœminam erigendus.

Audiſtis, inquit, *agi ut homo curſibus eiſdem, quibus delapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit cum* MARIA *Angelus, quia cum Heva Angelus egerat de ruina, ut noſtræ perditioni conveniens noſtræ reparationis principium reſponderet.* Non abſimiliter D. Bernard. Serm. 2. Miſſ. *Ecce,* ait, *ſi vir cecidit per fœminam, jam non erigitur, niſi per fœminam.* Item Serm. de Aquæd. MARIAM comparans canali ad aquæ proviſionem ſubſervienti, aſſerit, quòd *non impotens erat Deus ſine hoc Aquæductu infundere gratiam prout vellet, ſed tibi vehiculum voluit providere. Fortè enim manus tuæ, aut ſanguine plenæ, aut infectæ muneribus.* Vnde devotionem ac fiduciam quam Iſraëlitæ ad arcam legalem, & umbraticam habuêre, oportet Chriſtianus ad Dei Genitricem ampliorem habere. Quod enim illis arca, hoc nobis eminentiori modo eſt Virgo Deipara: *Omnia in figuris contingebant illis: gratia autem, & veritas* (quam MARIÆ ſinui Deus concredidit) *per* IESVM *Chriſtum facta eſt.* *1. Cor. 10* *Joan. 1. v. 17.*

B. V. arca novi Teſtamenti continens legiſlatorem, & panem vitæ.

Vera itaque atque viva, & gratioſa novi Teſtamenti arca eſt Virgo MARIA, quæ non leges mandatorum in petra exaratas, ſed ipſum legiſlatorem intra beata concluſit viſcera: non etiam virgam Aaron, vel manna temporale, quo qui uſi ſunt mortui ſunt, ſed brachium Domini, *Verbum* Dei æternum, panem de cælo verum in ventre portavit, atque mundo mirabiliter effudit, quem qui manducaverit, mortem non guſtabit in perpetuum. Præterea arcam noſtram, non Bezeleël ſervus, ſed fundavit eam Altiſſimus, atque ab intus, & à foris non argento vel auro corruptibili ſed cæleſtium ac immortalium gratiarum pignoribus illuſtravit. Audi D. Ambroſium: *Arcam*, inquit, *quid niſi ſanctam* MARIAM *dixerimus? Siquidem arca intrinſecus portabat Teſtamenti tabulas;* MARIA *autem ipſius Teſtamenti hæredem: illa intra ſemet legem, hæc Euangelium retinebat: illa Dei vocem habebat, hæc Verbum. Verumtamen arca intus foriſque auri nitore radiabat, ſed & ſancta* MARIA *intus foriſque Virginitatis ſplendore fulgebat: illa terreno ornabatur auro, iſta cæleſti.* Addo Bernardum ſic fantem: *Arca Teſtamenti typum tenet S. Dei Genitricis. Illam fecit Bezeleël, iſtam condidit Emmanuël: Bezeleël Ooliab in opere ſocium*

Digitized by Google

cium habuit, & Virgo quoque Virginum condita, præelecta, præſervata, præparata, & ornata per Spiritum S. & ejus omnipotentem Filium fuit. Poſt pauca: *Pater in conſecratione Virginis exhibuit claritatem, filius humilitatem: Spiritus S. charitatem: Pater lumen rationis, filius cinerem humilitatis, Spiritus S. oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, filius ſapientiam, Spiritus S. omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus S. charitatem erga Deum, & proximum: Filius carnis mortificationem, Spiritus S. compunctionem, Pater cæleſtium contemplationem: Filius eam docuit divina operari: Spiritus ſanctus amare, & amari. Pater cæleſtia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus S. eam provehit, Pater eam perficit; Filius eam purificat, Spiritus S. eam pacificat, Pater eam honorificat.* Hæc Bernard. Divus tandem Hieron. *Talibus*, ait, *decebat Virginem oppignorari muneribus, ut eſſet gratiâ plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Et benè plena, quia ceteris per partes præſtatur:* MARIAE *verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ. Verè plena, quia etſi in ſanctis Patribus, & Prophetis gratia fuiſſe creditur, non tamen eatenus plena: in* MARIA *verò totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quamquàm aliter. Et ideo, inquit, benedicta tu in mulieribus, id eſt, plus benedicta quàm omnes mulieres. Ac per hoc, quidquid maledictionis infuſum eſt per Hevam, totum abſtulit benedictio* MARIAE.

Singulæ perſonæ Trinitatis quid B. V. contulerint ad ornatum.

§. VI.
In Patrocinio B. V. elucet mira bonitas Dei.

DEmùm circa electionem ac ordinationem B^mæ^ Virginis MARIÆ in patronam, ſeu generis humani advocatam apud Deum, ejuſque gratiæ diſpenſationem, attendas velim clementiſſimam Domini providentiam, quâ per omnia fragilitati noſtræ occurrens, peccatorum trepidationem ſolatur, roboratque: ut ſi quos fortè divinæ juſtitiæ rigor ſeu fulgor Majeſtatis à ſalute curanda retardaret, patrocinium meritumque Virginis Matris fiduciam præſtans eamdem promoveret, atque à Mediatore ſummo humiliter poſtulatam feliciter exoraret: *Tu enim*, ait Chryſoſtomus Deiparam alloquens, *fuiſti electa ab omni æternitate Mater Dei, ut ille, quem Deus ex mera juſtitia ſalvare non poſſet, tuâ piâ interceſſione ſalvus fieret.* Bernardus verò: *Ad Patrem*, inquit, *verebaris accedere, ſolo auditu territus ad folia fugiebas.* IESVM *dedit tibi Mediatorem. Quid, non apud talem Patrem, Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia ſua. Pater enim diligit Filium. An vero trepidas, & ad ipſum? Frater tuus eſt, caro tua, tentatus per omnia ut miſericors fieret. Hunc tibi fratrem* MARIA *dedit. Sed forſitan & in ipſo Majeſtatem vereare divinam, quod licèt factus ſit homo, manſerit tamen* 58.

D. Chryſoſt. B. V. cur electa Mater Dei.

D. Bernard.

Digitized by Google

Homo per B.V. habet ſecurum acceſſum ad Deum.

tamen Deus. Advocatum habere vis, & ad ipſum? Ad Mariam *recurre. Pura ſiquidem humanitas in* Maria *non modo pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro reverentia ſua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet, Filium Pater. Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim? Poteſtne filius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? non audire, aut non audiri Filius poteſt? Neutrum planè. Inveniſti, ait, Angelus, gratiam apud Deum. Feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, & ſola eſt gratia, quâ egemus. Prudens Virgo non ſapientiam ſicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, ſed gratiam requirebat. Nimirum ſola eſt gratia, quâ ſalvamur. Quid nos alia concupiſcimus, fratres? Quæramus gratiam, & per* Mariam *quæramus, quia quod quærit invenit, & fruſtrari non poteſt.* Hactenus D. Bernard.

Gratia per B. V. quærenda.

S. Bonavent. in Spec. B.V. Lect. 6. ad illud Iſaiæ 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Pulchrè docet quomodo ad Deiparam per Chriſtum, & ad Spiritus S. dona perveniri poſſit. *Quicumque,* ait, *ſeptiformem Spiritus S. gratiam adipiſci deſiderat, ipſe florem Spiritus in virga quærat. Per virgam enim ad florem, per florem ad Spiritum in ipſo requieſcentem pervenimus. Per* Mariam *ad Chriſtum accedimus, & per Chriſtum gratiam Spiritus Sancti invenimus.* Idem Lect. 12. ſupr. *Spiritus S.* inquit, *qui in magna ſilva humani generis requiem non invenerat, tandem ſuper hunc florem requievit, ita quod abſque Chriſto, nec ſapiens quis eſſe poteſt, nec intelligens, nec conſiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Domini. Hic flos quaſi tot habet folia, quot ſunt miniſteria, & exempla. Si hunc florem habere deſideras, virgam floris precibus flectas. Si flos eſt nimis altus divinitate, virga tamen eſt flexibilis pietate. Et ſi flos eſt rariſſimus, quia in cælo, & in terra non invenitur niſi unicus, eſt tamen communiſſimus tamquam flos non horto clauſus, ſed in campo omnibus tranſeuntibus expoſitus. Et ideo benè dicere poteſt Chriſtus illud: Ego flos campi.* Sic Bonaventura.

Chriſtus via ad Deum, B. V. ad Chriſtum.

Franciſcus Coſterus Soc. Iesv: 59.
Duo, inquit, *planè ſunt, quæ ad hominem peccatorem de ſalute anxium, & pondere numeroque flagitiorum ſuorum preſſum, relevandum, permaximam vim habent. Primum eſt in Chriſti Dei noſtri meritis infinitis, quæ nobis communia fecit, confidere.* De quo ſupra. *Alterum eſt interceſſio Virginis Matris: licèt enim mea ſint merita Chriſti, quæ pro peccatis meis offeram Deo Patri, poteſt tamen illa pro me juſtis de cauſis recuſare Deus, nec illa pro me admittere, vel quod impuris manibus offerantur, vel quod indignus ſim, cui applicentur; tametſi enim peccatorum omnium perſolutum ſit pretium, non tamen pro quolibet ſimul atque vel fide apprehendit, vel voce precatur, vel opere quid agit, à Deo ſuſcipitur. Sunt enim varii nobis ejus applicandi modi, ad varios effectus atque*

Anxium de ſalute ſolantur merita Chriſti & interceſſio B.V.

Mediis ordinariis ad ſalutem utendum.

que

Digitized by Google

quæ neceſſitates, ſunt adeunda Sacramenta, virtutum officiis eſt inſiſtendum, orationibus eſt invigilandum, ſed præ ceteris magnam ad impetrandum vim habet interceſſio Matris Dei MARIÆ. *Quando igitur in ultimo illo cum morte certamine mihi videro & merita deeſſe, & vires corporis non ſufficere illa comparandi, ad Chriſti Sponſi mei merita confugiam, quæ ut pro me à Filio ſuſcipiantur, Matris auctoritatem interponam; Filius Matri nihil negabit.*

In agone mortis B. V. patrona adhibenda.

His duobus ſecurus non timebo gehennam, ſed in ſpem erigar vitæ æternæ. Sicut enim Filius Dei datus eſt mihi in pretium, ita Mater Dei data eſt mihi in ſolatium; cujus munus planè ſit Filium mihi dare, ejus merita impetrare, ejus ſatisfactionem, & pœnas meis vulneribus atque peccatis applicare. Faxit Deus ut talem Dominam mihi propitiam habeam, per eam preces meæ Deo præſententur, à malignis poteſtatibus, & omni peccato defendar, eamque tam in vita, quàm in morte conſolatricem & auxiliatricem mihi ſemper experiar. Poſt pauca: *Cum magna ergo fiducia adeamus & rogemus* MARIAM, *cum enim mitiſſima ſit, repulſam non patiemur, & quia tota amabilis ac ſuavis, nihil antiquorum peccatorum exprobrabit. Scit nempe Filium ſuum, quem Petrus Apoſtolus tam fœdè negaverat, ſic prorſus omne illud peccatum diſcipuli pœnitentiam aboleviſſe, ut nunquam ejus mentionem fecerit; ipſa eſt Filio in omnibus conformis, miſericordis Filii miſericors Mater. Serviamus illi in juſtitia & ſanctitate, ploremus coram ipſa, & clamemus fortiter ad eam, ipſa moram non ſuſtinens, nos ſuſcipiet, & Filio offeret, ipſa nos proteget in omnibus, & diriget, ipſa peccatorum remiſſionem virtuteſque cunctas nobis obtinebit, ipſa ad felicem de hoc mundo exitum, vitamque tandem in cælis perennem perducet, Amen.* Hactenus Coſterus.

Chriſtus pretium noſtrum, B.V.M. ſolatium.

Munus B. V. dare nobis Chriſtum, &c.

LECTIO VI.

De Materno Patrocinio B.V.

MARIA *Mater cunctorum viventium.*

INfantes, quamdiu infantes ſunt, ſub cura & tutela matris relinqui ſolent: nos quamdiu in hoc mundo labili vivimus, velut parvuli in ſordibus volutamur, non ſcientes inter bonum & malum diſcernere, proprio nos excæcante amore. Quinimò plerique bonum ducunt malum, & malum bonum, res terrenas noxiaſque diligunt & ſectantur, cæleſtes verò & ſalutares repudiant, negliguntque. Ah miſeri! Iram & indignationem ſibi congregant, nec non deſolationes, infernique pœnas in caput ſuam fabricant, & ne quidem ſemel recogitant corde: O quàm bonus Iſraël Deus, qui non vult perire quemquam, ſed omnes ad agnitionem veritatis venire, ac ſalvos fieri. Quapropter piiſſimus Salvator prudenter hujuſmodi imbecilles & languidos viris Apoſtolicis, atque Eccleſiæ ſanctiſſimis Doctoribus erudiendos tradidit:

Amor proprius excæcat.

Digitized by Google

B. V. M. Mater & magiſtra noſtra eſt.

quodque ſummoperè conſolatorium eſt, MARIAE parenti optimæ ac magiſtræ ſapientiſſimæ educandos commiſit, & unicè illi commendatos voluit. Legimus in vita S. Elzearii, Comitis Ariani pudiciſſimi, Garſendam nobilem piamque matronam pro Elzeario, quem maternè educârat, valdè ſolicitam, adeoque ſæpè pro ipſius ſalute orantem, quandoque corporeis auribus audiviſſe Chriſtum dicentem: *Iuveni huic, pro quo tam multum precaris, noveris me matrem meam dediſſe in magiſtram; nihil igitur de illo dubites.* Similiter B. Gertrudis cum ex humana fragilitate nimium ad imminentes tribulationes paveret, atque trepidaret, Dominus ancillam conſolari volens, dicit ſe illi in Matrem conſignare MARIAM, inclytam cœlorum Reginam, ac toties in adverſis confortandam fore, quoties cum reverentia, & devotione ad ſinum mitiſſimæ Reginæ confugeret. Hoc nuncio alacrior facta, fortiter deinceps, & gratanti animo quamcumque tulit Domini ſuper ſe diſpoſitionem, confiſa ſemper atque adjuta præſidio maternali. Non minorem olim favorem B. Mechtildis adepta eſt, quem & nos, ſi velimus, conſequemur. Cùm enim præfata Virgo, quandoque legeret Euangelium: *Stabat juxta Crucem* IESV *Mater ejus, &c.* atque ad illa verba, quibus Chriſtus Ioannem Matri tradit & commendat, perveniret, ipſa rogavit Dominum quatenus ſe quoque Genitricis ſuæ protectioni, & curæ committere dignaretur. Illicò ergo Chriſtus eam MARIAE conſignat his verbis, amorem ſuum tenerrimum inſinuantibus. *Mater mea, hanc ego tibi commendo ut plagas meas, & quaſi ſaucius ante te jacerem, conante te interim vulneribus meis mederi. Ad eumdem planè modum opto te curam ejus ſuſcipere, eamque ſolari, ubi uſus fieret. Iterum illam tibi commendo tamquam pretium mei, meminiſſeque te velim, quanti illam feci, cujus amore captus pro ejus ſalute mortem Crucis obierim. Denique eam commendo tamquam cordis mei delicias, & amores; cùm non ignores delicias meas eſſe cum filiis hominum.* Tum ad Chriſtum B. Mechtildis. *Nonne idem, ô bone Domine, præſtare velles quibuſcumque, qui id exoptant?* Annuit Chriſtus: *Neque enim apud me eſt*, ait, *acceptio perſonarum.*

Chriſtus Elzeario donat B. V. in Magiſtram.

Chriſtus Gertrudi donat B. V. in Matrem.

Lib. 5. vitæ ejus c. 20. apud Franc. Poiré de B. V. tract. 4. c. 4. num. 15.

Chriſtus Mechtildem tradit tutelæ B. V.

61. Veriſſimè à Sapiente dictum eſt: *Vbi non eſt mulier, ingemiſcit egens.* Adam primus noſter parens, etſi ad imaginem Dei creatus, etſi in voluptatis Paradiſo poſitus, etſi Dominus terræ, & maris, non tamen benè fuit ei ſine conſorte fœmina. Hinc non ita diu poſt illius formationem, *Dixit Dominus Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Quâ perſpectâ in gaudio ſpiritus exclamavit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, &c.* Abraham, Pater credentium, Deique amicus, de terra ſua

Eccleſ. 36. v. 27.

Ubi deeſt mulier, ibi miſer gemit.

Gen. 2.

Adæ ſine muliere non bene eſt.

Digitized by Google

ſua, & cognatione egreſſus, atque in Ægypto ignotus peregrinans, graviter ingemuit. Timebat enim vir ſanctus, ne infidelium concupiſcentiâ laſcivâ, & ſævitiâ opibus ſpoliaretur, & vitâ: at recordatus conjugis ſuæ Saræ, haud parum ſpei, & ſolaminis concepit, unde converſus ad eam: *Dic, obſecro te,* ait, *quod ſoror mea ſis, ut ſit bene mihi propter te.* Subjungitur: *Sublata eſt mulier in domum Pharaonis. Abraham verò bene uſi ſunt propter illam.* Eliezer, domus Abrahæ œconomus, poſt longi itineris ſpatium gravi laborans ſiti, adventu Rebeccæ exhilaratus expoſtulat: *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.* Quæ reſpondit: *Bibe Domine mi, quin & camelis tuis hauriam aquam: donec cuncti bibant.* Iacob ad paternam benedictionem adſpirans, illam non niſi conſilio, & interventu Rebeccæ matris acquirit. Moyſes infans in flumen projectus, tamdiu periclitatur, donec illius filia Pharaonis miſerta, eripi jubet, ac quaſi regiam prolem educat, inſtruique curat. Abſalon mœrore nimio in exilio perditus mulieris Thecuitæ ſolertiâ, in patriam revocatur. Filii Iſrael à Iaben, Rege Chanaan, ſupra modum oppreſſi, ductrice Debora, atque Iail matronâ tyranni caput perfringente, liberantur. Hebræi per totum Aſſueri regnum, mortis ſententiâ animadverſi, provincias ejulatibus, & clamoribus complebant, donec tandem patrocinante Eſther funeſtum internecionis decretum contra illos abolitum in hoſtium caput redundavit.

Abraham in periculo ad uxorem recurrit. *Gen. 12. Gen. 24.*

Adventus Rebeccæ ſolatur Eliezer.

Jacob agente matre benedicitur. *Gen. 27. Exod. 2.* Moyſes ſalvatur per filiam Pharaonis.

Abſalon per mulierem ab exilio revocetur. *2. Reg. 14. Jud. 4.* Filii Iſraël. *Eſther. 8.* Hebræi.

62. Prædictæ mulieres magnæ, & generalis libertatis per ſuum ſexum egeno humano generi aliquando donandæ figuræ fuêre, non veritas. Hinc licèt viros, ſeu etiam patriam à temporali corporis afflictione, vel ſervitute relevârint, nulla tamen harum potuit aliquo pacto gementem univerſum captivum orbem à diaboli tyrannide, atque gehennæ vinculis ſolvere, ac in priſtinum innocentiæ ac libertatis ſtatum reſtituere, utpote privilegium digniori ac fortiori mulieri à Deo reſervatum. Sed *mulierem fortem quis inveniet*, ait Sapiens. Super quod D. Bernard. *Noverat*, inquit, *vir ſapiens, hujus ſexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem: quia tamen & Deum legerat promiſiſſe, & videbat congruere, ut qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipſam, vehementer admirans ajebat: Mulierem fortem quis inveniet? Quod eſt dicere, ſi ita de manu fœminæ pendet, & noſtra omnium ſalus, & innocentiæ reſtitutio, & de hoſte victoria; fortis omnino neceſſe eſt ut provideatur, quæ ad tantum opus poſſit eſſe idonea. Sed mulierem fortem quis inveniet? At ne hoc quæſiſſe putetur deſperando, ſubdit prophetando. Procul, & de ultimis finibus pretium ejus: hoc eſt, non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra, nec de cœlo proximo terris pretium fortis hujus mulieris, ſed à ſummo cœlo egreſſio ejus.* Sic Bernard. Circui ergo terram, percur-

Sara. Rebecca, Eſther, &c. figuræ B. V.

Serm. 2. Miſſ.

B. V. mulier fortis à Salomone præcognita.

Digitized by Google

re cuncta temporum ſæcula, abyſſum penetra, ſuprà aſtra conſcende, imo & cœlorum amplitudinem perluſtra, neminem, quæ Hevæ luctum in lætitiam tranſmutare, atque genus noſtrum depravatum reſtaurare queat, reperies, quàm Virginem MARIAM. Ex fructu cognoſce veritatem. In cujus ſinu deprehenderis fructum terræ ſublimem quieſcere, & ubera ſugere, ipſa eſt mulier fortis; utpote quæ fortem Deum vinculis carnis innexuerit, pannis circumvolverit, ac deinde iſto ipſo partu ter benedicto cœleſtem Patrem, prius inexorabilem, tandem ad miſericordiam flexerit tantæ hoſtiæ oblatione. At hæc ſolius MARIAE gloria eſt, hoc ſolius Virginis privilegium, teſte Angelo ad eam dicente: *Benedicta tu in mulieribus. Inveniſti gratiam apud Deum. Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Eccleſia verò Romana eidem accinit: *Vagit infans inter arcta conditus præſepia, membra pannis involuta Virgo Mater alligat, & Dei manus pedeſque ſtrictâ cingit faſciâ.* De hoc partu verius quàm olim de Noë dixeris: *Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Numquid miſeri nos, & maledicti conſolatione indigemus? Vel forſitan ex eodem miſeriarum luto, quo ceteri, formati non ſumus? Vide quid dicat Scriptura, quidve experientia clamet. Iob 33. *Ecce & me, ſicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque for-*

B. V. ſola genus humanum captivum ſolatur.

B. V. Deum captivum protulit, & propitium.

Luc. 1.

matus ſum. Rurſus Sap. 5. *Sum quidem & ego,* ait Rex Salomon, *mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro. Et ego natus primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Auſculta quoque ſermocinantem Bernard. *Nemo,* inquit, *reperitur in nobis, qui non interim & conſilii, & auxilii, & præſidii indigus videatur. Nimirum generalis eſt humano generi miſeria triplex, & quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, ſi diligenter advertemus, triplici hoc incommodo miſerabiliter laboramus. Nam & faciles ſumus ad ſeducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad reſiſtendum. Si diſcernere volumus inter bonum, & malum, decipimur: ſi tentamus facere bonum, deficimus; ſi conamur reſiſtere malo, dejicimur & ſuperamur. Neceſſarius proinde Salvatoris adventus, neceſſaria ſic præoccupatis hominibus præſentia Chriſti.* Hactenus Bernard. Benedictus Deus, qui Virgine mediante viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Quiſque ergo hanc ſibi conciliet Virginem, in cujus poteſtate IESVS, vita, & ſalus omnium ponitur. Vbi mulier hæc non fuerit, ingemiſcit egens: quia nec vita, nec ſalus, nec conſilium, nec auxilium, nec præſidium ibi.

Serm. 7. Advent. Dom.

Omnes homines naſcuntur miſeri & ſalvatore indigent.

Salvator datus per B. V.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Probatio tituli ſupra ſignati.

63. ADdo, quod miſeris mortalibus ingentem confidentiam parit, & declaro, quòd MARIA non ſimpliciter mulier, ſed *mulier mater* omnium noſtrum ſit. *Mulier* antonomaſticè dicitur, ob virtutum & gratiarum præ ceteris excellentiam. *Mater* verò non tam corporalis, quàm ſpiritualis. MARIA, inquit D. Auguſt. *Mater eſt ſpiritu membrorum Chriſti, qua nos ſumus, quia cooperata eſt charitate, ut fideles in Eccleſia naſcerentur.* Eo enim ipſo, quo ad divinæ Incarnationis myſterium ſupernæ legationi conſenſum præbuit, atque deinde Chriſtum Salvatorem concepit, pepericque, etiam genus humanum ſpiritualiter concepiſſe, ac parturiſſe cenſenda eſt. Chriſtum tamen ſine dolore, illæſo clauſtro ſicut ſidus radium, cum gaudio animæ, omniumque membrorum exultatione, collætantibus Angelis, in Bethlehem genuit: nos verò, quos in amore mentis lætabunda conceperat in Nazareth, eoſdem poſtea cum ſummis dolorum acerbitatibus, Angelis pacis amarè flentibus, omnique creaturâ ingemiſcente, Deo Patri parturiit in Ieruſalem ad montem Calvariæ, ubi cum Filio quodammodo faciens, etiam ipſum Deo Patri pro hominum ſalute coobtulit. Hæc ſola præcipua ratio eſt, cur D. Auguſt. MARIAM velit ſpiritualem fidelium Matrem, quia nempe his modis excellenter cooperata eſt charitate ut fideles in Eccleſia naſcerentur.

Tom. 6. l. de S. Virgin. c. 6.

B. V. Mater ſpiritualis fidelium.

Conceptionem noſtram in utero Virgineo memorat D. Bernardinus Senenſis. *Per hanc*, ait, *conſenſum* (nempe Dei nuncio præſtitum) *omnium electorum ſalutem viſceroſiſſime expetiit & procuravit, & omnium ſaluti, & eorum ſalvationi per hunc conſenſum ſe ſingulariſſimè dedicavit: ita ut ex tunc omnes in ſuis viſceribus bajularet, tamquam veriſſima mater filios ſuos.* Parturitionem autem inſinuat Vtinus: *Cùm ipſa*, inquit, *eſſet Advocata mundi, tantum dolorem Spiritus ſanctus ſuis infudit viſceribus, quantum ſufficiebat omnium electorum Genitrici ad excuſandam ingratitudinem mundi, quia ſic durâ morte de ſuâ fabricâ ſuum expellebat Auctorem, qui ad ipſos eruendos de faucibus mortis, de ſinu Patris advenerat, ſervilem aſſumendo naturam, unde illa pro ſe, & pro toto mundo dignum Deo morienti, & de ſe genito exhibebat lamentum.* Eamdem quoque parturitionem apertè agnoſcit Rupertus Abbas ſuper Ioannem commentans, *Quia verè*, inquit, *ibi dolores ut parturientis in paſſione Vnigeniti planè omnium noſtrum Mater eſt.* Nec multum diſſimiliter Albertus Magnus illud Iſaiæ ultimum exponit: *Parturivit Sion filios ſuos, id eſt*, ait, *B. Virgo* MARIA, *quæ ſpeculabatur myſterium paſſionis (interpretatur enim Sion ſpeculatio), parturivit ſummè condolendo in paſſione filii.* Hoc ipſum ut palàm univerſo

Serm. de conſ. Virg. a 2. c. 2.

B. V. quando homines ſpiritualiter concepit.

64\.

Lib. 4. c. 14.

B. V. ad crucem Chriſti homines parturiit.

Digitized by Google

ſo orbi fieret, Chriſtus in Cruce pendens intuitus Matrem cum diſcipulo, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: *Mulier ecce filius tuus.* Deinde converſus ad Ioannem omnium noſtrum perſonam, ſuſtinentem, ait: *Ecce, Mater tua.* Non enim pro ſolo Ioanne verba illa pronunciata ſunt, ſed in Ioanne omnes fideles MARIÆ filii initiati & inaugurati ſumus: *Intelligimus,* ait S. Bernardinus Senenſis, *in Ioanne omnes animas electorum, quorum per dilectionem B. Virgo facta eſt mater.* Richard. à S. Laurentio de laud. B. V. l. 6. MARIA, inquit, *etſi carnaliter genuit unicum Filium, in eo tamen ſpiritualiter mater effecta eſt magna multitudinis filiorum, quorum primogenitus Chriſtus; unde ſignanter dictum eſt Luc. 2. Peperit Filium ſuum primogenitum.* Pergit idem auctor, & rem exemplis confirmat: *Sicut enim Heva dicta eſt mater omnium viventium vita naturæ,* Geneſ. 3. *Sic* MARIA *Mater omnium viventium vita gratiæ. Ipſa etiam propter hoc figurata eſt per Saram, quæ licèt non niſi unicum filium carnaliter pepererit Abrahæ, tamen mater dicta eſt totius populi Iſraëlitici. Vnde* Iſa. 55. *dicitur Iudæis: Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Sic ille. Ob eam fortè rationem Chriſtus MARIAM, etſi matrem ſuam, tamen quo inſinuet ſe relationem maternitatis transferre ad fideles eam *mulierem* appellavit. Mulier enim nomen eſt matronæ plures jam numerantis filios, ut docuit Alexander. Nam virgo ſtatim atque nupſit, puella vel adoleſcentula nuncupatur; quamdiu autem unum tantum filium enixa eſt, puerpera; cum verò plures ediderit, matrona vel mulier vocatur. Itaque quaſi dicere voluiſſet Salvator: Vſque nunc, ô MARIA, equidem fui tuus primogenitus, & ſummè dilectus filius, ſed quoniam in adjutorium regenerationis hominum tamquam ſecunda Heva à Patre ſocia data es; atque nunc una mecum pro eadem cauſſa vehementes dolores, & anguſtias inſtar parturientis toleras; ex hoc omnium fidelium Matrem te eſſe coram ſole hoc pronuncio, teſtorque. Vel aliter: Quoniam ego, ô MARIA, Filius tuus relinquo mundum, & vado ad Patrem, ſcire te velim, quod Ioannes, & omnes verbum Euangelii corde pleno ſuſcipientes, quos in fratres meos adopto, jure propinquitatis æqualis, æqualiter in bona mea ſuccedere debent. Ne ergò per obitum meum putetur te viduatam prole, coram toto mundo, in lecto Crucis, mortiſque meæ certiſſimè imminentis declaro, me tibi Ioannem doctrinæque meæ ſequaces teſtamento legare ac donare in Filios, nec non te illis in Matrem. Vſque modo à Iudæis ob ſcandalum crucis deſpiceris, ecce ut reverearis ab Eccleſia Sanctorum, quam ſingulari Euangelii gratia formavi, ſanguine meo conſecravi, ac in perpetuum manſuram virtute mea ſtabilivi, fœcundo ac multiplico in

65. Chriſtus in Joanne fideles matri commendavit.

Tom. 1. *Serm.* 55.

Vide Richard. à S. Laurent. l. 6. de laud. B. V.

Digitized by Google

in dolore tuo, & paſſione mea partus tuos, ut impleatur illud Scrip-
Pſal. 112. turæ: *Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* De cetero ergo, ut communis Materfamilias, horum curam gere, ac refove. Vos verò, novellum germen, MARIAM honorate, út veram parentem, nec umquam innumerabilium, & acerborum ejus gemituum ac lacrymarum obliviſcamini. Diſcipulus tam amplo, & favorabili audito legato ocyus illud acceptavit, tabuliſque conſignavit, quo teſtamentum in perpetuum valiturum innoteſceret.
66. *Et ex illa hora, inquit, accepit eam diſcipulus in ſua.* Ex hinc provenit, quod nos eamdem cum Domino matrem habentes, ipſe diſcipulos poſt reſurrectionem fratres ſuos nominat: *Nuntiate,* ait Matth. 28. *fratribus meis, ut eant in Galilæam, &c.* Hinc & Apoſtolus Rom. 8. Chriſtum vocat, *Primogenitum in multis fratribus.* Quinimo nec Euangeliſta Lucas c. 2. ſine myſterii hujus cognitione dixit: *Et peperit filium ſuum Primogenitum.* Aliàs cur *Primogenitum,* & non potius Vnigenitum? quandoquidem exploratum ſit MARIAM de carnis ſuæ ſubſtantia unicum tantum genuiſſe Chriſtum, vocabulum autem *Primogenitus* dicitur in ordine ad unum, vel plures homines poſtea genitos, aut ſaltem adhuc gignendos. Quod ergo ponant *Primogenitus* eſt reſpectu noſtri ex eadem matre ſpiritualiter renatorum. Hoc idem Sacramentum longè ante in ſuo Epithalamio reſeraſſe videtur Sponſus, quando aſſerit Cant. 7. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus, & erunt ubera tua ſicut botri vineæ.* Quid per *palmam* intelligit, niſi trabem Crucis? Quid per *aſcendam,* niſi exaltationem Chriſti in ea? Quid per *apprehendam fructus ejus,* niſi converſionem gentium. Adeoque hæc Scriptura coincidit cum illa Ioan. 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Hoc autem dicebat, ſignificans quâ morte eſſet moriturus.* Verùm cur in priori annectitur: *Et erunt ubera tua ſicut botri vineæ,* niſi quod Sponſus ſignificare voluit præſentiam matris ſuæ, ejuſque novam juxta Crucem, cui adſtabat proxima, paſſionis ſuæ virtute parturitionem. Quarum enim plena ubera, ut botri autumni niſi mulierum jam matrum factarum. Per botros autem vineæ innumeram poſterioris Eccleſiæ fœcunditatem innuit.

Chriſtus in Scriptura cur Primogenitus vocetur.

Rurſus ibidem c. 8. Sic Chriſtus ad Eccleſiam, & quamlibet 67. Cant. 8.
animam juſti loquitur (ſequor autem lectionem LXX. & Theodoreti interpretationem amplector, *Sub arbore mali excitavi te, ibi peperit te mater tua, ibi parturivit te genitrix tua.* In eo verò tantum à Theodoreto diſcedam, quod ipſe *matris* nomine *gratiam*, ego verò *gratia plenam* interpretor. Ait ergo Chriſtus: *Sub arbore mali,* id eſt, ſub ſalutifero Crucis ligno *excitavi te,* id eſt, levavi atque erexi à ruina, & ſordibus in quibus decubueras:

Digitized by Google

bueras: *Ibi peperit te Mater tua*, ſcilicet, MARIA: *Ibi parturivit te Genitrix tua*, id eſt, magno dolorum nixu edidit te. Id enim intereſt inter parturio, & pario: quod *pario* ſignificat communem partum, at verò *parturio* eum ſolum, qui cum ingenti dolore peragitur. Vel partiamur (ſi ita libet) hæc verba inter Hevam, & MARIAM ad hunc modum: *Peperit te Mater tua*, id eſt, Heva primus peccatis ſordidum te edidit: & ibidem *Parturivit te Genitrix tua*, id eſt, Heva ſecunda regeneravit te, & ſordibus elutis ac deterſis enixa eſt.

Demum Pſalm. 86. *Mater Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea.* Sic legunt Ambroſius & Auguſtinus, & uterque Virgini adſcribit. Homo verò iterum atque iterum dicitur, quia ex MARIA non ſolùm unus homo, id eſt, Chriſtus, ſed etiam alter homo, id eſt, totum genus humanum feliciter natum. Vel aliter: *Homo*, & *homo*, quia Chriſtum iterum atque iterum peperit, ſemel quidem in ſe, iterum in nobis ipſius membris. De qua re eleganter Guaricus Abb. Serm. de Nat. *Hoc ipſum, ait, & MARIA ſapere videtur, quæ dilectum votorum ſuorum inſinuare cupiens affectibus hominum, cupit formare iterum Vnigenitum ſuum in omnibus filiis adoptivis. Qui etſi geniti ſunt verbo veritatis, nihilominus parturit illos quotidie deſiderio, & cura pietatis, donec formetur in illis Chriſtus, donec occurrant in virum perfectum, in menſuram plenitudinis ætatis filii ſui, quem ſemel parturivit, & peperit.* Imò, ut ait Iſaias, *antequam parturiret, peperit, quia ſine dolore peperit.* D. Bonavent. in Spec. B. V. Lect. 10. hanc tantam Dei circa nos gratiam, & dignationem piè contemplatus, cum gratiarum actione exclamat: *Benedictus frater, per quem MARIA eſt noſtra Mater, & benedicta Mater, per quam Chriſtus eſt noſter frater.*

B. V. deſiderio & cura pietatis quotidie fideles parturit.

§. III.

Confirmatio Vlterior.

PRofectò hæc præclara elogia: *Ego Mater pulchræ dilectionis.* Et, *in me omnis ſpes vitæ*; ſola Virgo MARIA ſecundùm rei veritatem ſibi attribuere poteſt, atque de his in Domino gloriari, utpote de qua ſola verificatur id Matth. c. 1. *De qua natus eſt IESVS, qui vocatur Chriſtus.* Quam etiam in ſpiritu vidit Ioannes amictam ſole; ſole videlicet juſtitiæ, illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum. Notum quidem eſt Adamum uxorem ſuam poſt peccatum appellâſſe Hevam, *eo quod*, ut dicit Scriptura, *mater eſſet cunctorum viventium*: ubi tamen ante prævaricationem in ſtatu innocentiæ eamdem, mox ut à Deo formata, ſibique in adjutricem tradita fuit, vocaverat *Viraginem*, dicens: *Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt.* Aſt, quia hoc vocabulo minus expreſſiſſe ſibi viſum eſt conjugis dignitatem & poten- 68.

Gen. 3.

Heva an verè mater cunctorum viventium.

& potentiam, poſtea ſe corrigens, eamdem inſignivit nomine Heva. Grande & honorificum nomen *Heva*; ſignificat enim vitam: grandis atque magnificus valde titulus, *Mater cunctorum viventium*. Nam innuit vitæ primævæ originem in Heva reſidere, nec non ab ea in poſteros dimanare. Quando tamen ſtatum Hevæ; illiuſque generationem accuratius perpendo atque diſcutio; comperio nec nomen ejuſmodi; nec titulum de jure & juſtitia ei competere. *Inimicitias*, inquit Dominus ad ſerpentem, *ponam inter te, & mulierem; ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum*. Diabolum conculcâſſe minimè poteſt appropriari Hevæ, quia ipſa per ſerpentem ante omnem progeniem turpiter victa, & contrita eſt, ut vel ex ipſius confeſſione ſatis conſtat. *Serpens*, ait, *decepit me*, nimirum ſuggerendo eſum ligni ſcientiæ boni & mali, nobis vetiti, atque affirmando, *Nequaquam moriemini*. Comedi enim, atque juxta comminationem Domini, dum me nudam reſpicio, mortuam me ſentio, licèt nomen geram, quod vivam. Experientià etiam probatum manet ambos cum ſua ſobole à Deo exoſos, è voluptatis paradiſo ejectos, & ad beſtiarum pabulum fuiſſe condemnatos, ibique tandem in pulverem converſos à regno cœlorum extorres manſiſſe. Quamobrem Adamus vel figuraticè tantum, & in ænigmate nuncupavit uxorem ſuam Hevam; ſin minus, dico, cæco amore ſeductum, ut aliàs, citra veritatem, & meritum honorâſſe conjugem. Accipe hac de re ſententiam D. Epiphanii: *Beata Mater Dei*, ait, *per Hevam ſignificatur, quæ per ænigma accepit, ut mater viventium vocetur. Illa etenim mater viventium vocata eſt, poſtquam audivit: Terra es, & in terram reverteris, poſt transgreſſionem. Et mirum eſt quod poſt transgreſſionem hoc magnum cognomen habuit*. Vide Brev. Rom. 13. Septemb.

Heva, id eſt, vita.

Heva à diabolo victa.

Adam ænigmaticè vocavit uxorem Hevam.

§. IV.

Elucidatio amplior tituli, Mater cunctorum viventium.

PRo clariori hujus noſtræ aſſertionis intellectu, obſervãdum, Adami conjugem ſimul cum eo donatam eſſe à Deo duplici vitâ, duplicique paradiſo alternatim, ſi voluiſſent, frui potuiſſe. Vna Virginis vita eſt corporis, & illa immortalis, ex beneficio ſpeciali, atque jucunda ex toto. Altera eſt ſpiritus ſeu animæ, juſtitiâ Deique gratiâ præditæ, ac illuſtratæ. Hæ ambæ ſolæ, vitæ nomen merentur, quia ſolæ à creatore procedunt, atque ſolæ illæ poſſeſſorem ſuum beatum faciunt. Neutram verò harum Heva in poſteros propagavit: ſed è contra, vitam corporalem, laborioſam, faſtidioſam, calamitoſam, caducam, quæ potius mors continua eſt, quàm vita. Hinc Eccleſ. 25. dicitur: *A muliere initium peccati, & per illam omnes* mori-

69\. Adam & Heva duplicem à Deo vitam in paradiſo habuerunt.

Vita corporalis & vita gratiæ.

Heva neutram vitam felicem à Deo acceptam tranſtulit in poſteros ſed calamitoſam & pollutam.

Digitized by Google

morimur. Morimur, ait, in præſenti; non autem *moriemur*, in futuro: ne videlicèt quis falsò longius mortem ſtatuat, quàm revera ſit. Nam à primo die, quo naſcimur, corruptio hominem inhabitat, & tamdiu corrodit, donec tandem prævaleat, totumque conſumat. Vnde ſcitè Hippocrates dixit: *Naſcendo morimur.* Divus etiam Gregor. *Quotidianus*; inquit, *defectus corruptionis; quid eſt aliud, quàm quædam prolixitas mortis.* Sed forſitan, quia non ſtatim mors totum ſimul hominem à principio nativitatis deſtruit, credis te habere vitam, atque in eâ, veluti eximio bono, exultas, & gloriaris. Hanc inſipientem gloriam; & mendacium Spiritus S. redarguit, quando docet, malum mortis, quod refugis, melius eſſe bono vitæ, quod poſſides,

Eccleſ. 30. Mors melior quàm vita ab Heva accepta.

& in quo lætaris. *Melior eſt*, inquit, *mors, quàm vita amara, & requies æterna, quàm languor perſeverans.* Rurſus: *Melior eſt dies mortis, quàm nativitatis.* Hoc veritatis paradoxum confirmat inprimis S. Iob, dum mortem præ vitâ exoptans, maledicit diei nativitatis. *Pereat*, inquit, *dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo. Quare non in vulva mortuus ſum, egreſſuſque ex utero non ſtatim perii. Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem cum regibus, & conſulibus terræ.* D. Ambroſius ita hunc locum interpretatur: *Conqueritur*, ait, *de illa hora inſperata, unde in tantam lapſus eſt miſeriam. Nam cognoverat naſci, malorum omnium eſſe principium, & ideò diem, in qua natus eſt, perire optavit, ut tolleretur origo incommodorum, & optavit perire diem generationis ſuæ, ut diem reſurrectionis acciperet.*

Eccleſ. 7. SS. viri mortem præ vita præſenti optàrunt.

Job 3. Job optat periiſſe in ventre matris.

Non minus Ieremias Propheta, quamquam ſanctificatus in utero, ortum tamen vitæ ſuæ execratus eſt. *Maledicta*, inquit, *dies, in qua natus ſum; dies, in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta.* Quid ita vir Dei? *Quia*, inquit, *non me interfecit in vulva, ut fieret mihi mater mea ſepulchrum.* Ecce & hic mortem præfert vitæ huic caducæ, quia ſcilicèt melius eſt omninò non eſſe, quàm taliter eſſe, aut vivere. Vnde quoque ſubjunxit: *Quare de vulva egreſſus ſum, ut viderem laborem, & dolorem, & conſumerentur in confuſione dies mei?* Demum idem paradoxum adſtruit gentium Doctor, quando calamitoſum filiorum Hevæ expertus jugum cum gemitu diſſolvi exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Corpus, quod circumgeſtamus, appellat corpus mortis, quoniam ut centrum ſuum terram adſequatur, continuo declinat ad mortem, animamque gravat.

Jerem. 20. Jeremias maledicit diei nativitatis.

B. Paulus infelicem ſe nominat.

§. V.

Progreſſus elucidationis tituli.

QVod jam vitam animæ ſpectat, longè abeſt, ut ab Heva 70.
eam recipiamus; quin-imò anima noſtra

Anima ubi carni infunditur mox labem originis contrahit.

noſtra ſine nævo à Deo pulcherrima formata, mox ubi carni peccati infunditur, eidemque counitur, ipſa, ſicut tangens picem, coinquinatur; labe originali contractâ; deinde, quaſi letifero circumfuſa eſſet veneno, moritur, Deo inimica redditur, atque filiorum hæreditate privatur. De hac morte loquens Apoſtolus 2. Cor. 5. *Si unus,* aſſerit, *pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Rurſus Epheſ. 2. *Eramus naturâ filii iræ.* Ex hinc infert D. Auguſt. *Si filii iræ; filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ.*

Tract. 44. *in Joan. c.* 9.

Infantes vix nati deplorant uſuram vitæ præſentis.

Infantes hujus utriuſque mortis, corporis ſcilicèt & animæ, vim ſuſtinentes, vix nati dolent, plorant, ejulant, atque miſeram vitæ hujus ſortem, quam verbis exprimere nequeunt, in primorum parentum opprobrium triſtitiâ vultûs declarant, & lamentis. Imò teſte Apoſtolo Rom. 8. *Omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus.* Aliàs ſi protoplaſti noſtri Adam, & Heva fideles Deo manſiſſent, unicum illius & facillimum ſervantes mandatum, tum ultra vitam corporalem, immortalem, jucundamque Paradiſi terreſtris, tandem aliquando vivi ad cœlos tranſlati fuiſſent, atque cum Angelis vitâ beatiori & glorioſâ donati. Haud diſſimilis ſors eveniſſet poſteris. At nunc (pro dolor!) Heva ſuperbiâ ſuâ, & contumaciâ quidquid boni, aut jucundi, quidquid felicitatis, & honoris in vita noſtra exſtitit, vel exſtitiſſet, miſera ſuſtulit, evertitque, nec non ærumnas, penuriam, morbos, bella, mortem, infernumque per totum terrarum orbem invexit.

Hevæ peccatum quanta mala invexerit.

71\. O calamitas! ô mors! ô infernus! calamitas; quia *homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis.* Mors; *quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra.* Infernus, quoniam, qui apoſtatis Angelis paratus erat, nunc poſt primorum parentum ſcelus *dilatavit animam ſuam*; teſte Propheta, *& aperuit os ſuum abſque ullo termino*, ut homines, impiorum dæmonum ſequaces, diglutiat, æternumque torqueat. *Væ, væ Civitas illa magna, quæ amicta erat byſſo & purpura, & cocco, & deaurato erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis, quoniam unâ horâ deſtitutæ ſunt tantæ divitiæ.* Atque illorum loco, *Orientur in domibus ejus ſpinæ, & urticæ, & erit cubile draconum, & occurrent dæmonia.* Nempe ut in ignem projiciant eas, flammâque comburant ſempiternâ, de qua nos interrogat Propheta: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Sempiternos inferni dicit ardores; quia licèt initium, finem tamen non habent, nec medium.

Job 14. *Iſa.* 5. *Apoc.* 14. *Iſa.* 34. *Iſa.* 33.

Duratio æternitatis.

O æternitas! ô ardoris inferni æternitas! Cogito mille annos, cogito millies mille annos, cogito centena millia myriadum annorum, & nil niſi pœnarum princi-

pium ac prægustus. Cogito præterea tot annorum millia, tot millium myriades annorum, quot ſunt ſtellæ in cælo, quot gramina ſuper terram, quot guttæ, quot arenulæ, quot lapilli in mari, in fluminibus, in fontibus, in collibus, in montibus, de æternitate tamen adhuc parum habeo. Hoc ſolum exploratum eſt: quamdiu Deus erit Deus, tamdiu durabit æternitas, tamdiu torquebuntur reprobi. Quamdiu hoc erit? Non eſt effari, non eſt concipere: diſcent nihilominus impii experimento continuo, quid ſit in inferno æternum ardere. O æternitas! æternitas! ô miſera, & millies miſera ardoris infernalis æternitas! *Væ, væ habitantibus in terra*, hominibus *de immundo conceptis ſemine*, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet, & uſque adeo perſequitur, ut vel ſeminarium ſalutis noſtræ extinguere queat. Verumtamen væ magis illis, qui amodo gehennæ tenebras, & flammarum caminum immenſum incolunt, à quibus nulla eſt redemptio, nulla exſpectanda refrigeratio, neque conſumptio: *Triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Damnati in inferno tamdiu ardent quamdiu Deus durabit.

1. Reg. 15.

Iſa. ult.

Ecce quantam ſilvam modica ſcintilla incendit & comburit. Vna ſuggeſtio, una tranſgreſſio univerſum genus humanum inficit, necatque. Vbi ſunt jam Adamitæ noſtri, qui in carne peccati gloriantes, Hevam ſuam vitam nominant, ac titulo *Matris cunctorum viventium* perornant? Confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos. Heva veræ vitæ utriuſque hominis interemptrix eſt, unde ergo aliis vitam donat, quam ne ipſa quidem habet in ſemetipſa? *Neque enim*, adſtruente Salvatore, *de ſpinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo de theſauro malo profert malum.* Heva mala erat, & ut talis proſcripta de paradiſo voluptatis; quare malum proferre, vel generare neceſſe habuit. Ipſa ergo cùm Deo mortua eſſet, Deo mortuos genuit, adeoque non laude, non honore, non præmio, ſed irâ, ſed confuſione, ſed maledictione, ſed gehennâ digna exſtitit, quam etiam incurriſſet, niſi in abyſſo immenſæ ſapientiæ ac pietatis ſuæ Deus humanæ liberationis adinveniſſet remedium.

72. Si his non obſtantibus adverſarii noſtri Matri ſuæ velint laudis titulum competere, ob talem qualem vitam, quam præ ſe fert, ac propagini communicat, haud multum refragabor. Laudent ergo eam, ut vivam, ſed vivam planè ærumnoſam; laudent eam ut Matrem cunctorum viventium, ſed ærumnosè ſemper viventium: ſic mendacii pater diabolus laudem habebit, qui non minus quam Heva vivit, ſuæque calamitatis indies conſortes parit. Denique conciliando differentiam noſtram concludo,

Heva qualem laudem mereatur à vita poſteris communicata.

cludo, atque utrumque vivum-mortuum verius pronuncio. Etenim vivunt ut torqueantur: mortui ſunt, quia Deum vitam veram in ſe manentem non habent. Qui ſtatus vivi-mortui centuplo deterior, quàm mortui tantùm, cenſendus.

Adam vocans uxorem Hevam ſtultitiæ arguendus.

Ex hinc collige Adamum inſipientiæ redarguendum, qui poſt culpam crediderit, vitam primævam, illibatam & felicem ab uxore in progeniei latitudinem derivandam, iſtoque intuitu tam inſigni Hevæ nomine honorari debuiſſe. *Etenim quid inſanius*, ait Rupertus, *quàm in illo talis cauſſæ judicio illam nuncupare Hevam, id eſt, vitam, quæ vitam in ſe non habebat, eamque dicere, matrem cunctorum viventium?. Omnes in peccato ejus moriuntur, & nemo filiorum ejus vivit, niſi per hominem Chriſtum viviſicentur. Mirabile itaque eſt, quòd ubi mortis corporeæ ſententia ferebatur, jam ſpirituali morte mortuus, & poſtea corporali etiam moriturus, uxorem Hevam, id eſt, vitam appellavit.*

§. VI.

Confirmatio tituli ex SS. Patribus.

73. PErieramus; & quaſi apoſtatæ Angeli in æternum perieramus, niſi tandem circa fragile plaſma miſericordia prævaluiſſet judicio, cujus patrocinio, & virtute Virgo fœcundaretur, Deique filium Chriſtum (qui eſt panis vivus de cœlo deſcendens, & dans vitam mundo) conciperet, pareretque. De his intellige problema Sampſonis, *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Problema denodârunt Prophetæ, diſſolverunt Euangeliſtæ, hi Chriſti nati generationem texentes, illi eumdem de Virgine naſciturum prænunciantes. Alioqui teſte Iſa. c. 1. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Semen ergo ex Heva miſericorditer ſuſcitatum ac relictum, ne planè conſumeremur; quinimò felicius regeneraremur, eſt Maria, cujus Dominus humilitatem probavit, pulchritudinem concupivit, ac obedientiam præ omni victima ſuſcepit, & magnificavit. Ipſa ſolâ ſuâ obeditione ſerpentem devicit, ejuſque nequam caput contrivit juxta illud: *Obediens loquetur victorias.* Ipſa ſola ſuo partu divino delevit, quod adverſum nos erat chyrographum decreti, inſuper gratiam; & benedictionem pro genere noſtro protulit copioſam. Neque enim putandum eſt, aut credendum, Mariæ conſenſum minoris efficaciæ ac virtutis fuiſſe ad bonum, quàm Hevæ, ad malum. Conſenſus Hevæ pravus univerſam infecit progeniem, quidni cum S. Bernardino aſſeramus virtuoſum glorioſæ Virginis conſenſum eamdem cum ſua propagine beatius refeciſſe. *Non tantum potuit*, ait ille, *Heva in pomi concupiſcentia.*

B. V. reſtituit quod Heva perdidit.

piſcentia deformare, quantum B. Virgo in divinæ obedientiæ deſiderio reformare. Vel ſaltem cum D. Hieronym. dicamus: *Poſtquam Virgo concepit in utero, & peperit nobis puerum, cujus principatus in humeros ejus; Deum, fortem, Patrem futuri ſæculi; ſoluta maledictio eſt, mors per Hevam, vita per* MARIAM. Item D. Leo: *Salutiferæ*, inquit, *Virginis partus non extremi tantum temporis generationibus profuit, verùm etiam ſe in præteritas refudit ætates.*

Epiſt. 22. ad Euſtoch.

74\. Axioma Philoſophorum eſt: *Oppoſita, juxta ſe poſita, magis eluceſcere.* Hinc SS. Patres, MARIAM Hevæ opponentes, amplius, quæ aſſerimus confirmant. Inprimis D. Epiphanius: *Vt omnis humanum*, ait, *generatio ex prima illa, quæ primævam nobilitatem vitiavit; inobedientia, infeliciter exorta eſt: ſic vera vita, quâ Deo ſecundùm ſpiritum vivimus, per alteram Matrem* MARIAM, *verè obedientem, nobis perditis, quaſi reſtituitur; dum hæc ipſum vitæ fontem & auctorem Chriſtum nobis exhibet. Vetus Heva fœtus ſuos, priuſquàm pareret extinxit, noverca potius, quàm mater appellanda: ſed nova hæc Heva non morientium, ſed reviviſcentium mater extitit.* D. Chryſoſtom. *Hevam*, inquit, *ſerpens ſeduxit,* MARIA *Gabriël conſenſit: ſed ſeductio Hevæ attulit mortem, conſenſus* MARIÆ *ſæculo Salvatorem: reſtauratur per* MARIAM, *quod per Hevam perierat.* D. Auguſt: *Heva*, inquit, *mater generis noſtri pœnam intulit mundo; genitrix Domini noſtri ſalutem intulit mundo. Auctrix peccati Heva, auctrix meriti* MARIA. *Heva occidendo obfuit;* MARIA *vivificando profuit: illa percuſſit, iſta ſanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compenſatur.* D. Bernard. Hom. 2. Miſſ. ſic ſermocinatur: *Lætare pater Adam, ſed magis tu, ô Heva, mater exulta: qui ſicut omnium parentes, ita omnium fuiſtis peremptores: & quod infelicius eſt, priùs peremptores, quàm parentes. Ambo, inquam, conſolamini ſuper filia, & tali filia; ſed illa amplius, de qua malum ortum eſt prius, cujus opprobrium in omnes pertranſiit mulieres. Inſtat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quod cauſſetur adverſus fœminam: qui utique dum ſe imprudenter excuſare conaretur, crudeliter illam accuſare non cunctatus eſt, dicens: Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Propterea curre Heva ad* MARIAM, *curre mater ad filiam: filia pro Matre reſpondeat, ipſa matris opprobrium auferat: ipſa patri pro matre ſatisfaciat, quia, ecce, ſi vir cecidit per fœminam, jam non erigitur, niſi per fœminam. Quid dicebas, ô Adam? Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Verba malitiæ ſunt hæc, quibus magis augeas, quàm deleas culpam. Veruntamen ſapientia vicit malitiam, cùm occaſionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentavit, ſed non potuit; in theſauro indeficientis pietatis ſuæ invenit. Redditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro ſuperba, quæ pro ligno mortis, guſtum tibi porrigat vitæ, & pro venenoſo cibo illo ama-*

Lib. contra hær. c. 3.

Heva noverca hominum potius quàm mater.

Breviar. Rom. 8. Septemb.

Adam & Heva prius peremptores quàm parentes.

amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniqua excuſationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic; Domine, mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum eſt ſuper mel ori meo, quia in ipſo vivificaſti me. Ecce enim ad hoc miſſus eſt Angelus ad Virginem. O admirandam, & omni honore digniſſimam Virginem! O fœminam ſingulariter venerandam, ſuper omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, poſterorum vivificatricem! Huc uſque Bernard. Denique S. Mater Eccleſia Virgini congratulando accinit: *O glorioſa Domina, excelſa ſuper ſidera, &c. Quod Heva triſtis abſtulit, tu reddis almo germine; &c. Vitam datam per Virginem gentes redemptæ plaudite.*

B. V. parentum reparatrix & poſterorum vivificatrix.

§. VII.

B. V. MARIÆ *poteſtas & auctoritas apud Filium.*

75. OMnes, qui concupiſcitis vitam, tranſite ad MARIAM, & à generationibus ipſius adimplemini. Quoniam ipſa eſt *Mater cunctorum viventium. Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei, Spiritus ejus ſuper mel dulcis, & hæreditas illius ſuper mel & favum.* Quid hallucinamini fratres mei? Quid moras nectitis? Scio, IESVM quæritis Nazarenum. Vnicornis eſt, non capitur, non poſſidetur, niſi à manibus ſinuque puriſſimæ Virginis, dicente Prophetâ: *Ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum in terra.* Sancta autem illa terra fuerit, in qua Sanctus Sanctorum Dei Filius tabernaculum figat, & de qua veritas oriatur, oportuit. Nam teſte Scriptura: *In malevolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Hinc ad MARIÆ Virginis gratiſſimam puritatem convertés oculos, ex ea naturæ noſtræ communicare voluit. Quia ut ratiocinatur S. Andreas Apoſtolus: *Quomodo de immaculatâ terrâ factus fuerat homo primus, neceſſarium fuit ut de immaculatâ Virgine natus Chriſtus, vitam æternam, quam omnes perdiderant, repararet.* Itaque ſi divinam illam prædam conſequi cupimus, prudentis venatoris conſilium ſequamur. *Via*, inquit, *veniendi ad Chriſtum eſt appropinquare ad matrem. Qui autem fugerit eam, non inveniet viam pacis.* Siquidem fecit illi magna qui potens eſt, gratiâ effluente replevit eam, ut deriventur fontes ejus foras, poteſtate item magnâ donavit eam Deus, ut etiam IESVS, cui flectitur omne genu, obediat illi, & ad ubera pendeat.

Pſal. 77. v. 69.

B. V. via ad Chriſtum.

D. Bonav. in Pſalt. B. V.

Nolite, quæſo, locum dare diabolo, iniquis ejus ſuggeſtionibus occludite aures, atque in doctrina virorum Dei confirmamini. B. Petrus Damianus Virginem ſanctiſſimam alloquens ita ſermocinatur: *Fecit in te magna qui potens eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in cælo, & in terra, & nihil tibi impoſſibile, cui non impoſſibile eſt deſperatos in ſpem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa poteſtas potentiæ tuæ poterit*

Serm. 1. de Nat. Virg.

B. V. nil impoſſibile.

B. V. Filio imperat.

Digitized by Google

poterit obviare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem? Accedis enim ad illud aureum humanæ reconciliationis altare, non ſolùm rogans, ſed etiam imperans, Domina, non ancilla. D. Bernardus in hunc modum ratiocinatur: Mariam *ſalutat Angelus gratiâ plenam, neque hoc ſolùm, ſed adhuc quoque in eam ſuperventurum Spiritum S. Ad quid putas, niſi ut ſuperimpleat eam? Ad quid niſi adveniente jam Spiritu plena ſibi, eodem ſuperveniente nobis quoque ſuperplena, & ſupereffluens fiat. Vt de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionem, cæcus illuminationem, æger curationem, triſtis conſolationem; peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, Filius Dei humanæ carnis ſubſtantiam, & tota Trinitas gloriam; ita ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus.* Sic Bernardus. Quis audivit umquam tale? Aut quis vidit huic ſimile? *Magnum eſt in quolibet Sancto,* inquit D. Thomas opuſc. 8. *quando habet tantum de gratia, quod ſufficit ad ſalutem multorum: ſed quando haberet tantum, quod ſufficeret ad ſalutem omnium de mundo, hoc eſſet maximum; & hoc eſt in Chriſto, & in B. Virgine. Nam in omni periculo potes habere ſalutem ab ipsâ Virgine glorioſâ. Vnde Cant. 4. Mille clypei, id eſt, remedia, pendent ex ea. Item; in opere virtutis potes eam habere in adjutorium, & ideo dicit ipſa Eccleſ. 24. In me omnis ſpes vitæ, & veritatis.* Cur aliò, Chriſtiane, vias tuas dirigis? Crede mihi non invenies alibi tam forte propugnaculum, neque ſubſidium adeo promptum, & efficax. *Quis enim poſt filium tuum* (autor verbis D. Germani Virginem alloquentis) *curam gerit generis humani ſicut tu? Quis ita nos defendit in noſtris afflictionibus? Quis in ſupplicationibus adeo pugnat pro peccatoribus? Tu enim cum habeas maternam fiduciam, & potentiam nos tuis interpellationibus, & efficis familiares, & das ſalutem, & ab æterno liberas ſupplicio.* Sic D. Germanus. Divus item Auguſtin. *Nullum,* ait Serm. 29. de SS. *Sanctorum potiorem meritis invenimus ad placandam iram æterni Iudicis, quàm eam, quæ meruit fieri mater ejuſdem redemptoris, & Iudicis. Ipſa quoque,* inquit D. Bonav. *non ſolùm in plenitudine Sanctorum detinetur, ſed etiam in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur: detinet nimirum virtutes ne fugiant; detinet merita, ne pereant; detinet dæmones, ne noceant; detinet Filium, ne peccatores percutiat: ante* Mariam *non fuit, qui ſic Dominum detinere auderet, teſtante Iſaiâ: Non eſt qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te.* Addo ex Revel. S. Birgit. ubi Angelus, cùm de promptitudine cœleſtium Spirituum in obſequium ſanctiſſimæ Virginis ſermonem habuiſſet, adjecit: Super omnes etiam malignos ſpiritus ipſam ſic Deus potentem effecit, quòd quotieſcumque ipſi aliquem hominem, Virginis auxilium ex charitate implorantem, impugnaverint, ad ipſius Virginis nutum illicò pavidi procul diffugiunt, volentes potius pœnas ſuas, & miſerias,

Serm. 2. Aſſumpt.

Serm. Sign. Magn.

B. V. pro toto genere humano gratiam accepit.

B. V. præ ceteris SS. curam gerit noſtri.

Ad placandum Deum nemo aptior B. V.

In Spec. V. lect. 7.

Serm. Angel. c. 20.

rias,

Digitized by Google

tias ſibi multiplicari, quàm ejuſdem Virginis potentiam ſuper ſe taliter dominari. Sic ibi.

David Propheta in ſpiritu prævidens de domo ſua hujuſmodi fortem mulierem ſuſcitandam exultabundus cecinit: *Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Ad quæ verba D. Bernard. Serm. 2. Pentec. *Operabatur*, inquit, *ſalutem in medio terræ, in utero videlicet Virginis* MARIAE, *quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſſam, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi, qui ſunt in cælo, ut reſarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur; qui ſequuntur, ut glorificentur.* Et poſt pauca: *Ergo Beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cæli, quæ omnibus generationibus vitam, & gloriam genuiſti. In te Angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis, quidquid creaverat, recreavit.* Hactenus Bernard. Amplectamur ergo MARIAE veſtigia, dilectiſſimi fratres, & velut parvuli maternis uberibus adhæreamus, nec dimittamus donec per ipſam in gratiam Dei venire mereamur, qui per eam ad noſtram venit miſeriam, nec non per eam aſcendere in cœlum faciat Chriſtus, qui per ipſam ad nos de ſinu Patris deſcendit in mundum.

Pſal. 73.

B. V. uterus medium terræ.

LECTIO VII.

De reali Patrocinio B. V. M. &c. ſive de Dei ad amicos ſuos dignatione, B. V. M. & Sanctorum pro nobis ſuffragio, &c.

OLim quidam, teſte David in Pſalm. *Malè locuti ſunt de Deo: & dixerunt; non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Deinde nondum ſaturi, ſacrilegum os converterunt, ut maledicerent creaturis illius. *Poſuerunt*, ait, *in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra.* Non minus retro actis ſæculis hæretici poſtquam divinam Chriſti Majeſtatem blaſphemiis ſuis laceſſiverint, exinde ſponſam ejus Eccleſiam, & præſertim Domini Matrem digniſſimam, MARIAM Virg. optimum, nobiliſſimum, ſanctiſſimum, electum ex millibus univerſalis Eccleſiæ membrum, hoſtiliter invadunt; & obtrectant, nec quidpiam ſcire, aut poſſe ſatanica furia effutiunt, adeoque fruſtra Catholicos ejus opem implorare, imò Sanctorum cultum & invocationem idololatriam cenſent; ubi ne Michaël quidem Archangelus cum diabolo diſputans, non eſt auſus judicium infer-

Pſal. 77.
Pſal. 93.

76.

Baron. in Annal. ad ann. 74. 88. 741. 754.

Conſtantinus Copronymus Imp. hæret. cum Pſeudoſyn. an. 754. Vide Bar. ad eum an. n. 6. & an. 767. n. 4. & an. 741. an. 68. & 74.

Digitized by Google

re blaſphemiæ. Verùm ſicut priorum inſipientiam firmiſſimis argumentis vates Regius redarguit, & convincit, ita Orthodoxa Romana Eccleſia temerarium poſteriorum auſum ſolidiſſimè retundit, ac confundit inſaniam. Nimirum, ut quos hæreſis, velut cancer ſerpens & labefactans, infecerat, ſalutaris fidei Catholicæ doctrina reficiat & reſtauret, vel ſaltem in ſinu ſuo eos, quos dudum cibo alimoniæ ſpiritualis fovit, impinguavitque, maternâ pietate retineat.

Pſal. 93. v. 9. & ſeq.

Beati in cœlo Angelis æquales, & filii Dei.

Noli, quæſo frater, *æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*. Audi magis vocem Chriſti, ejuſque ſectatorum ſanam doctrinam attende. De regni ſui hæredibus ac poſſeſſoribus affirmat Chriſtus Luc. 20. *Æquales Angelis ſunt, & filii ſunt Dei*. Æquales Angelis: ſcilicet ut quemadmodum Angeli immortalitatis, gloriæ, ſapientiæ, ſcientiæ, ac potentiæ Dei copiosè participant, haud ſecùs omnes Beati in cœlo, utpote Angelis æquales. *Et filii ſunt Dei*; adeoque omnia illa, quæ ſtatus ille ſublimis, ſeu filiorum gloria exigit, paternè, atque liberaliſſimè communicantur. De Angelis D. Auguſt. doctrina eſt: *Sancti Angeli ſicut habent permanendi æternitatem, ita cognoſcendi facilitatem; ſine difficultate quippe nos adjuvant*. Idem tene de Beatis in cœlo, quia, ut loquitur D. Gregorius de animabus ſanctis: *Quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident; nullo modo credendum, quia foris ſit aliquid, quod ignorent. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt, quod ibi neſciant, ubi ſcientem omnia ſciunt*. Sic Gregor. D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 4. ad 2. *Beatis*, ait, *in Verbo manifeſtatur illud, quod decet eos cognoſcere de iis, quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis. Maximè autem eorum excellentiam decet, ut cognoſcant petitiones ad eos factas vel voce, vel corde*. Sic D. Thom. Luc. 16. Abraham adhuc in limbo detentus cognovit qualiter dives Epulo in mundo vixiſſet; vidit inſuper eumdem vitâ functum graviter torqueri in inferno. Quinimo dives ipſe gehennæ flammis immerſus, ac elevans oculos, vidit quantum in ſinu Abrahæ Lazarus, quem deſpexerat, conſolaretur; non obſtante, quòd inter utroſque chaos magnum firmaretur. Quanto ampliora credenda ſunt de Beatis in cœlo cum Chriſto regnantibus, videlicèt: *Æquales Angelis ſunt, & filii ſunt Dei*.

11. Civit. 31. fin. Angeli ſciunt quid hîc agatur, nos juvant, ita & Beati.

Beati in Verbo vident, quod eos videre decet.

Abrahæ in limbo nota fuit vita epulonis, ac epulo in flammis ſcivit conſolationem Lazari.

77. Quod Deiparam attinet, accipe oracula Sanctorum ac eruditorum Patrum. Inprimis D. Germanus: *Spiritus tuus, ô* MARIA, inquit, *vivit in æternum, & caro tua in ſepulchro corruptionem non ſuſtinuit, omnia obſervas ac intueris, & inſpectio tua ad omnes ſe porrigit*. Divus Bernardus: *Oportet*, ait, *ut nobis præſentem eſſe dicamus, quam præſentem ſalutamus, & ut totam animæ noſtræ trinitatem in eam dirigamus, quam tam devotis precibus exoramus: agnoſcit certè, & diligit diligentes ſe, & prope eſt in veri-*

Serm. 11. Aſſumpt. B. V. cognoſcit ſtatum noſtrum.

Serm. 1. Salve Regina.

Digitized by Google

veritate invocantibus ſe, præſertim his, quos videt ſibi conformes factos in caſtitate, & humilitate. S. Bonavent. in Spec. B. V. *Ruth*, ait, *interpretatur videns & feſtinans, & ſignat B. Virginem; quæ verè videns in contemplatione, & benè feſtinans fuit in actione. Videns enim noſtram miſeriam eſt, & feſtinans ad impendendam ſuam miſericordiam.*

78. B. V. cognitio quouſque ſeſe extendat.

Pater Franc. Suarez Soc. Iesv Doctor Theologus, in 3. p. D. Thom. diſput. 20. ſect. 4. docet primò Beatam Virginem omnes & ſingulas res in Verbo videre, quas reliqui ſimul Beati in illo contemplantur. 2ò addit hoc: *Piè quidem & probabiliter colligo B. Virginem videre in Verbo quidquid Deus videt ſcientia viſionis, iis ſolum exceptis, quæ ſingulariter ad Chriſtum, & ad interiores animi cogitationes ſpectant: quia cùm B. Virgo ſit longe inferior Filio, tam beatitudine, quàm dignitate, non decet ut ſine manifeſtatione, & conſenſu ejus omnes illius interiores actus cognoſcat.* Confirmat autem hoc teſtimonio D. Bernard. Serm. Sign. magn. ubi ait: *Iure ſole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam divinæ ſapientiæ, ultra quàm dici poteſt, penetravit abyſſum, ut quantum creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa.* Quæ verba non de abſoluta capacitate intelligenda ſunt, ſed juxta legem ordinatam. Quamvis enim ad majorem gloriam aſſumi poſſet ipſamet Virgo, vel alia creatura, de abſoluta Dei potentia: tamen conſideratâ tantæ perſonæ dignitate ac decentiâ, ſanè minimè congruum foret, aliam puram creaturam majori gloriâ beari, quàm Virginem, cùm exploratum ſit, nullam puram creaturam ad majorem dignitatem evehi poſſe, quàm Virginem, & ſecundùm eum ſenſum tantam gloriam; quantum creaturæ conditio patitur, adepta dicitur: Deus enim gloriam cum perſonæ dignitate congruentem donat: certum verò eſt, nullam altiorem dignitatem puræ creaturæ evenire poſſe, quàm Matris Dei. Cùm ergo ex ſententia hujus eximii Doctoris, quo perfectior eſt viſio Dei, eo plures creaturæ in Verbo videantur; quis in tam perfecta, & numeris omnibus abſoluta Dei contemplatione Virginem aliquid fugere dicat ex his, quæ Deus umquam, vel fecit, vel facere decrevit.

Sed licèt hoc in univerſum certum non eſſet, neque Virginis cognitio in patria omnia illa attingeret, quæ Deus ſcientia viſionis amplectitur: nihilominus pro certo haberi debet, Deiparam omnes homines, & omnia illorum opera, & cogitationes liberas, omnes eorum neceſſitates & pericula è cœlo contemplari. Quod mihi hæc ſuadet ratio. Quia, ut communis tenet Scholaſticorum ſententia cum ſuo Anteſignano S. Thoma, Beati omnes actiones & conſilia eorum, quæ aliqua ratione ad ipſos pertinent, in patria cognoſcunt: parentes nimirum filiorum ſuorum, & capita communitatum ſuorum ſubditorum, & fundatores religio- 79.

Digitized by Google

num; & alii ejuſdem generis. Et ſanè D. Thomas 3. p. q. 10. a. 10. ex hoc capite deducit (etſi alia ratio non ſubeſſet) Chriſto Domino, omnes homines, omnia illorum opera, & cogitationes notas fuiſſe, quia caput extitit omnium, atque adeo illi de omnibus cura fuit. Subjicio verba D. Thomæ: *Nulli intellectui beato deeſt, quin cognoſcat in Verbo omnia, quæ ad ipſum ſpectant. Ad Chriſtum autem, & ad ejus dignitatem ſpectant omnia, in quantum ei ſubjecta ſunt: omnia ergo, &c.* Sed ad Virginem ſpectant omnes homines, quia omnes illi tamquam ſupremæ Reginæ ſubditi ſunt; &, quia illorum amantiſſima mater eſt, ita ut nulla ſit tam vehemens filiorum amatrix parens, quæ ad amorem illum pertingat, quo Virgo deſpectiſſimum quemlibet complectitur.

Omnes homines ad B. V. ſpectant.

Virgo igitur ſanctiſſima omnium hominum opera, conſilia, cogitationes videt in patria. Quod verò omnes homines ad Virginem ſpectent, atque eorum univerſalem curam ſuſceperit, ex eo quod Regina omnium ſit, deduxit Idiota his verbis: *Virgo,* inquit, MARIA, *ſicut eſt omnium Regina, ſic omnium Advocata & Patrona eſt, & cura eſt illi de omnibus.* Si enim cuſtodes Angeli, quorum ratio & cura illis commiſſa eſt, ſingula opera, cogitationes, pericula & neceſſitates vident: quis hoc Virgini denegare auſit, cùm exploratum ſit omnium ac ſingulorum hominum majorem ac ſolicitam magis curam Virginem gerere, quàm Angeli eorum, qui ipſorum fidei addicti ſunt. Ob hanc tam latè patentem tamque ſingularem Deiparæ cognitionem meritò fert nomen illud, quo illam D. Epiphanius inſignivit Serm. de laud. Virg. ubi eam vocat πολυόφθαλμον, id eſt, *multoculam,* vel innumeris præditam oculis, quibus omnia & ſingula noſtra intuetur, omnibus atque ſingulis proſpicit.

B. V. eſt multocula.

Accedit etiam D. Ephrem in orat. ad Deip. ubi πολυόμματον quoque nominat, id eſt, multis oculis inſignitam. Unde & meritò comparatur animalibus Ezechiëlis. *Sancta animalia,* inquit S. Amadeus (*de quibus legitur in Ezechiële, quod ante & retro, intus & foris, atque in circuitu plena ſunt oculis*) *labores hominum & dolores; caſus, defectus, cæcitates, invaletudines, extremæ pericula, incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis non æquè ut Dei Genitrix valent examinare, examinando cœleſti auxilio diluere, & propulſare. Quo enim ſublimius immenſi Regis cor aſpicit, eo profundius divinæ gratia pietatis afflictorum & miſereri, & miſeris ſuccurrere novit.* Item Guilielm. in 3. Cant. *De quatuor,* inquit, *pennatis animalibus, quæ Sanctorum typum tenent, legitur, in circuitu & intus plena oculis eſſe, hoc eſt piarum ſolicitudine curarum, quibus non tantum ſibi, ſed etiam aliis invigilant. Quid fruſtra malignus expandit rete ante oculos eorum? Undique ſunt eorum oculi aperti. Ideo fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. Quis tam plenus oculis, quàm Mater luminis?*

Hom. 8. de laud. V.

B. V. comparatur animalibus Ezechiël.

B. V. quantam curam gerat fidelium.

Digitized by Google

Quis pari ſolicitudine ſibi & aliis invigilavit ac mater pietatis? Sic ille. Exhinc capeſſendæ ſalutis ſpe erectus B. Petrus Damian. fidenter alloquitur, & deprecatur Virginem his verbis, Serm. 1. Nat. V. *Numquid*, ait, *quia Deificata, ideo noſtræ ſalutis oblita es? Nequaquam Domina. Scis in quo diſcrimine nos reliqueris; ubi jaceam, quantum deliquerint ſervi tui. Non enim ita memoraris miſericordiæ Dei ſolius, ut miſericordiam in nos non habens, neque ita es impoſſibilis, ut ſis incompaſſibilis, &c.*

§. II.

Dei erga amicos dignatio.

80. VEniant hæretici, aperiant oculos, videantque quàm differenter à cogitationibus ipſorum & viis agat benigniſſimus Deus. *Sicut*, ait, *exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Deus amicos ſuos glorificat, illi autem inglorios reddunt: Deus inclytos duces ſuos potentiâ & juriſdictione ſuper dominia ſua juxta cujuſque meritum donat, magnificatque; illi autem impiè deprimunt. Deus fideles ſervos cœli divitiis, & delitiis abundare facit, & illi divinas manus coarctant & contrahunt. Deus Beatos in charitate ad proximum ampliſſima confirmat, illi eoſdem ab omni pietate, & ſolicitudine denudant. Deus vult Sanctos apud Majeſtatem ſuam in Patronos, ſeu Advocatos adhiberi, verùm illi clientum religionem praximque damnant. Diſcutiamus ſemel ex S. Scriptura ingenium, & mores Dei, ibi ad oculum patebant adverſariorum calumniæ & blaſphemiæ.

Deus agit differenter à cogitationibus hominum.

Deus quantum honoret amicos ſuos.

Gen. 12. Promittit Deus Abrahæ proſapiæ amplitudinem, omnemque favorem. *Faciam te*, inquit, *in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Imò, quod amplius eſt, ſpondet Deus ſe fore benevolum, & propitium illi benevolis & gratioſis; è contra ſeverum vindicem illi infeſtis. *Benedicam*, inquit, *benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.* Neque adimplere cunctatus; modò victoriam & ſpolia de hoſtibus illi donat, modò raptam uxorem, latrunculos caſtigando, reſtitui curat: modò reſipiſcenti reo precibus illius vitam largitur. Demum revelans Abrahæ judiciorum ſuorum arcana, aſſeverat ſe ad ejuſdem precum inſtantiam flagitioſiſſimos, omnique clementia indignos Sodomitas, etiam propter decem juſtos inibi inventos, haud deleturum; denario autem deficiente, omnes divinam ultionem cum adjacentibus locis ſubivêre, præter Loth cum familia, quem gratia Abrahæ ab incendio eruit. *Cùm enim*, teſte Scriptura, *ſubverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Loth de ſubverſione urbium, in quibus habitaverat.*

Deus quantum Abraham magnificaverit.

Gen. 14.

Gen. 12.

Gen. 20.

Gen. 18.

Loth gratia Abrahæ ſervatus.

Digitized by Google

Gen.19. Deprecante Loth pro urbe Segor, flammis deſtinata, is eam obtinet in tutum ſalutis ſuæ ſuorumque refugium, dicente Angelo: *Non ſubvertam urbem hanc pro qua locutus es. Feſtina, & ſalvare ibi. Quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.*

Urbs Segor ſervatur ob preces Loth.

81. Exod.3. Vnus Moyſes ſexcentis millibus impetrat à Deo veniam. Sap.18. De ejuſdem fratre Aarone refertur, qualiter *Properans homo ſine querela deprecari pro populis, proferens ſervitutis ſuæ ſcutum, orationem, & per incenſum deprecationem allegans reſtitit iræ*, videlicet Dei. Iac.5. *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.* 4. Reg. 1. Idem Propheta non ſemel vindicavit ſe oratione de hoſtibus, animam ejus quærentibus: Deo nimirum illum exaudiente, atque de cœlo mittente ignem, ei infeſtos devorantem. Taceo de Samuële, Iob, Danièle, aliiſque pluribus veteris Teſtamenti viris probatis coràm Domino. Clarum nimium eſt multum valere apud Deum juſtorum orationem. *Quomodo*, inquit Iſaiæ 65. *ſi inveniatur granum in botro, & dicatur, ne diſſipes illud, quoniam benedictio eſt: ſic faciam propter ſervos meos, ut non diſperdam totum. Conſuetudo eſt*, ait Chryſoſtomus, *miſericordis Dei, honorem hunc dare ſervis ſuis, ut propter eos ſalventur & alii.* Divus item Ambroſius: *Magnus*, inquit, *Dominus, qui aliorum meritis ignoſcit aliis.* Act. 27. Propter Apoſtolum Paulum ſervavit Deus cum illo ſimul navigantes: *Ne timeas, Paule*, ait Angelus, *ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.* Marc. 2. & Matth. 9. IESVS propter fidem portitorum ſanavit infirmum. *Videns* IESVS *fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Luc.4. Chriſto domum Petri ingreſſo, quidam eum rogabant, ut ſocrui febricitanti ſanitatem impertiretur; annuit Dominus eorum precibus: *Imperavit enim febri, & dimiſit illam.* Omitto hîc proferre virtutem patrandi miracula, quâ Deus affecit, & magnificavit Moyſem, Eliam, Elizæum, Apoſtolus, &c. credo enim hanc tam patentem eſſe, ut nemo niſi temerarius, & hæreticus inficias ibit.

Moyſes & Aaron placant Deum.

Elias oratione claudit & aperit cœlum.

Deus ob amicos parcit peccatoribus.

In Luc. l. 5.

Gratiâ Pauli ſervantur periclitantes in mari.

Chriſtus quoſdam curavit aliorum precibus.

Exhinc deduco Deum, qui juſtos adeo magnificavit in terra, ut votis eorum obſequeretur, Virginem MARIAM æquè aut amplius magnificâſſe. Nam ſi non MARIA juſta, quis vocandus juſtus, ignoro. Nonne Luc. 1. Angelus his verbis Virgini ſalutem adprecatur? *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Putatis ergo Deum populo minorem favorem MARIAE fauſta acclamanti præſtiturum, quàm vel olim Abraham benedicenti præſtitit? Rurſus putatis Dominum minus propitium fore peccatoribus, MARIA matre interpellante, quàm vel quondam Loth pro Segor conflagrandâ 82.

B. V. apud Deum pluſquàm Abraham Loth.

grandâ

grandâ deprecante, & impunitatem impetrante? Vbi illud Angeli? *Inveniſti gratiam apud Deum. Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus* IESVM. Quod tantumdem eſt ac ſi dixiſſet: Oraſti, ô Virgo humilis, & prudens, pro mundi totius ſalute; annuncio tibi: aſcenderunt ardentia vota tua & continuæ preces cum gemitu, & lacrymis uſque ad thronum Dei, atque in tantum placuêre preces, ut immenſa illius Majeſtas per te orbem perditum ſalvare reſolverit. Fiet ergo quod petiiſti, & per te fiet, & inpræſentiarum fiet. Scripturæ hac de re manifeſtæ ſunt. Divina itaque clementia, quæ MARIAM pro univerſo genere humano, diris devôto, interpellantem exaudivit, indubiè etiam pro his & illis ſuffragantem exaudiet. Audi hac de re ſententiam Bernardi: *Nec dubius dixerim*, ait, *exaudietur & ipſa pro reverentia ſua. Exaudiet utique matrem filius, & exaudiet filium Pater. Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim poteſtne filius, aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? non audire, aut non audiri filius poteſt? Neutrum planè. Inveniſti, ait Angelus, gratiam apud Deum: feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, & ſola eſt gratia quâ egemus, &c.* Sic Bernard. Revera Deus, qui magna & ſtupenda illi pro ſalute hominum fecit, minora non negabit.

B. V. toti mundo ſalutem obtinuit.

B. V. ſcala peccatorum.

B. V. orans non patitur repulſam.

§. III.

Patrocinii amicorum Dei Confirmatio.

HIs præmiſſis, Dico 1° Deum, avarum ac inexorabilem haud futurum Beatis ſecum in cœlis regnantibus, qui juſtis in terra degentibus, atque auxilium & gratiam pro aliis implorantibus benignus & præſtabilis fuit. Imo, quanto ſecum conjunctiores, tanto ſe eis munificentiorem exhibebit. 83.

Deus ſervis ſuis tanto liberalior quanto ſecum conjunctiores.

3. Reg. 11. Salomon tandem perverſus, Deo exoſus, ac indignus in cujus ſemine regnum perduraret, nihilominus ob defuncti parentis meritum non toto privatur, aſt ob ſuam impietatem decem acciditur partibus, una ſolummodò illius ſemini relicta. *Vna tribus*, inquit Dominus Deus ad Ahiam Proph. *remanebit ei propter ſervum meum David.* 4. Reg. 19. Iudæi flagella potius, quàm beneficia, meriti, ob ejuſdem Regii vatis intuitum divinum ſubſidium conſequuntur. *Protegam urbem hanc*, aſſeverat Deus, *& ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* David Rex Iſraël & Iuda, jam diu mundo defunctus erat, ſed non Deo. *Iuſtorum enim animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Propter manſuetudinem tamen, & ſanctitatem ſervi ſui, Dominus tribulatis oppreſſiſque ſubvenit. Miſſo quippe Angelo, qui exercitum Sennacherib, Hebræis

Deus ob David benefacit aliis.

Digitized by Google

Hebræis infeſtum, diſſiparet, atque ad internecionem uſque centum octoginta quinq; millia hominum percuteret, populum ſuum, ſimul & Civitatem Ieruſalem à dirâ & violentâ Regis Aſſyriorum ſervitute liberavit. Plura item beneficia olim Deus propter Abraham, Iſaac, & Iacob, alioſque ſanctos Patres in limbo quieſcentes convinci poteſt viventibus contuliſſe. Quanto magis nunc in lege gratiæ propter Beatos ſecum in gloria ſua triumphantes mortalibus impertietur. Dicit enim Dominus: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* Rurſus: *Qui mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cælis,* dicit Chriſtus. Norunt reges terræ his veniam, illis gratiam præſtare, cauſa, & intuitu fidelium ſuorum miniſtrorum, beneque de ſe meritorum: quanto magis Deus (cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere) totum ſe amicis ſuis communicabit? Neſcio quale idolum hæretici pro Deo colunt, nobiſque colendum impiè obtrudere volunt. Sinamus illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. *Multa Dei bonitas eſt,* inquit D. Chryſoſtomus, *& ſæpe ſolet propter paucos juſtos multis dare ſalutem. Et quid dico propter paucos juſtos, ſæpe quando non inventus eſt in præſenti vita juſtus, propter defunctorum virtutem viventium miseretur, & curam habet. Vnde clamat, dicens: Protegam civitatem hanc propter me, & propter David puerum meum. Quaſi diceret, licèt ipſi indigni ſint, & nullam ſalutis habeant occaſionem, tamen quia ſolitus ſum miſericorditer agere, & ad miſericordiam promptus ſum, propter meipſum faciam, & propter puerum meum David: & qui ante tot annos è vita migravit, hic auctor erit ſalutis, his qui ſua ſeſe perdiderunt deſidia. Vidiſti miſericordiam Domini, quomodo eos, qui virtute pollent toti multitudini opponit, & rependit.* Huc uſque Chryſoſt. Confirmant ſententiam noſtram Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ac Sanctorum vitæ, in quibus innumeræ gratiæ referuntur, quas Deus omni temporum ætate de ſæculo in ſæculum mundi exulibus intuitu, & meritis Beatorum erogavit, nec quamdiu orbis ſtabit erogare deſinet. Qui voluerit, has conſulat, proculdubio inde colliget, certiſſimum eſſe, quod aſſerimus. Aut ſi placet, de beneficentia B. Virginis Dei Genitricis MARIÆ, legat infra Lect. 9. & 10. item ſcintillas noſtras.

1. Reg. 2.

Joan. 12.

Deus ob defunctorum virtutem miſeretur viventium.

Dico 2°. Sanctos utiliter à nobis invocari, non quidem ut primarios gratiæ, & gloriæ collatores ceu fontes, ſed tamquam chariſſimos & conſummatiſſimos Dei amicos, adeoque velut canales per quos chariſmata divina ad nos defluant. Hoc enim aliud non eſt, quàm in negotiis noſtris Advocatorum patrocinio uti apud Deum, quem fontem & omnis boni auctorem agnoſcimus; ad quem etiam, utpote finem noſtrum, opera noſtra, & petitiones finaliter dirigimus. Verùm quia multorum criminum ſæpe rei, vel ſaltem immenſæ 84.

Sanctos veneramur ut procuratores gratiæ.

Digitized by Google

menſæ Majeſtatis fulgore ac rigore perterriti, ideo veniam, & gratiam mediatrice manu, & ſuffragio ſolicitamus.

Praxis utriuſque Teſtamenti, patrocinio uti apud Deum.

Hæc praxis ſub utroque Teſtamento in Eccleſia militante continuò viguit. Moyſes enim pro prævaricante populo deprecans, quo facilius divinam mitigaret iram, Patronos, quorum fidem & vitam, Superis placitam nôrat, adhibuit. *Recordare*, ait, *Abraham, Iſaac, & Iſraël ſervorum tuorum, &c.* Mox ſubditur: *Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* Obſerva verò quod taliter in precibus Deo nomen alicujus proponere, eſt allegare meritum illius, cujus nomen exprimimus, & interponimus, atque illius reſpectu potius, quàm noſtro, gratiam, & favorem prætendere. Hinc Theodoretus q. 67. in Exodum commentans aſſerit Moyſen ubi ſe minus putavit idoneum ad placandum Deum, addidiſſe interceſſionem Patriarcharum, ſimul & juramentum ipſis præſtitum. Item Sanctus Auguſtinus in eumdem Exodum ſcribens quæſt. 149. *Admonemur*, inquit, *quum merita noſtra nos gravant, ne diligamur à Deo, relevari nos illorum meritis poſſe, quos Deus diligit.* Iacob Patriarcha ſummis anguſtiis, vitæque periculis preſſus, parentum ſuorum pietatem feliciter objecit. Sic quippe oravit Gen. 32. *Deus Patris mei Abraham, & Deus Patris mei Iſaac, minor ſum cunctis miſerationibus tuis, erue me de manu fratris mei Eſau, &c.* Mox reſponſum accepit: *Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis.* Similiter Salomon poſt longas preces, patris ſui David benignitatem attendi poſtulavit, dicens: *Domine Deus, ne averteris faciem Chriſti tui. Memento miſericordiarum David ſervi tui.* Azarias cum ſociis in medio flammarum ignis ſtans, in hunc modum oravit: *Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum, ne quæſo tradas nos in perpetuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſraël ſanctum tuum, &c.* Machabæus cum multis aliis imploravit auxilium Angeli. Baruch Propheta ſic precatus eſt: *Domine omnipotens, Deus Iſraël, audi nunc orationem mortuorum Iſrael.* Obſerva mihi verba, *Orationem mortuorum.* Ergo etiam mortui orant? Vtique, ſed ii, qui mortui mundo, ſed non Deo. Progrediamur jam ad viros novi Teſtamenti.

Moyſes orans adhibuit patronos Abraham, Iſaac, &c.

Iacob Moyſem imitatus eſt.

Salomon adhibuit David in Patr. 2. *Paral.* 6.

Dan. 13. Tres pueri adhibent Abraham, Iſaac, &c.

Machabæus vocat Angelum.

Baruch. 3.

85. S. Gregor. invocat Athanaſium.

Sanctus Gregorius Nazianzenus (quem præceptorem ſe habuiſſe gloriatur D. Hieronymus) invocavit ſanctum Athanaſium, alioſque jam vita functos. *Tu autem è ſupernis*, ait, *nos reſpice propitius, & populum hunc ſanctum dirige.* S. Hieronymus (quem Eccleſia Doctorem maximum ſibi à Deo proviſum confitetur) commendavit ſe Paulæ viduæ Romanæ, jam nuper defunctæ. *Vale*, inquit, *ô Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus*

S. Hieron. Paulam.

Digitized by Google

tionibus juva. Fides & opera tua Chriſto te ſociant, præſens facilius, quod poſtulas, impetrabis. S. Cornelius Papa uſurpavit, & ſuaſit patrocinium Apoſtolorum: *Orantes*, ait, *Deum & Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, quatenus interceſſione Sanctorum Apoſtolorum purificet maculas peccatorum noſtrorum, &c.* Sanctus Baſilius orari jubet 40. Martyres his verbis: *Qui aliquâ premitur anguſtiâ, ad hos confugiat: qui rurſus lætatur, hos oret: ille ut à malis liberetur, hic ut duret in rebus lætis. Sæpe laboraſtis, ut unum pro nobis orantem inveniretis; quadraginta ſunt hi, unam emittentes orationis vocem.* In Concilio Chalcedonenſi Act. 11. invocatur S. Flavianus Martyr. Refert Ruffinus de magno Theodoſio, cùm ſe ad bellum contra Eugenium Tyrannum pararet, quod *Circumibat eum ſacerdotibus, & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apoſtolorum thecas cilicio proſtratus, & auxilium ſibi fidâ Sanctorum interceſſione paſcebat.* S. Greg. Nyſſenus D. Theodori Martyris ſuffragium imploravit. *Egemus*, ait, *pluribus benefactis. Intercede & ora communem Regem, & Dominum pro patriâ tuâ.* Et poſt pauca: *Vt miles certa pro nobis, ut Martyr utere libertate loquendi.* D. Bernard. converſus ad S. Victorem ita ſupplicat: *O Victor inclyte, reſpice ad vinctos terræ, &c.* Et quod plus eſt, ipſe Bernardus Sanctorum invocationem miraculis confirmavit. Ridebantur ſuo tempore implorationes opis Sanctorum; accidit quòd apud Toloſam prædicaret contra hanc peſtem, dum autem illi plurimi panes ad benedicendum offerrentur, quos cum elevatâ manu, & crucis ſigno edito benedixiſſet, ait: *In hoc ſcietes vera eſſe, quæ à nobis, falſa autem, quæ ab hæreticis ſuadentur: ſi infirmi veſtri guſtatis panibus iſtis adepti fuerint ſanitatem.* Timens autem venerabilis Epiſcopus Carnot. qui illi proximus erat, obicem ab aliquibus ponendam, aſſerto Sancti adjungi volebat, *ſi bona fide ſumpſerint.* Cui Bernardus, de virtute Domini nihil hæſitans, *Non hoc ego dixerim*, ait, *ſed verè qui guſtaverint ſanabuntur, ut veros & veraces Dei nuncios nos eſſe cognoſcant.* Tum ingens multitudo languentium guſtato pane iſto convaluit; adeo ut per totam Provinciam verbum hoc divulgaretur. Sic conſequenter omnes Orthodoxæ fidei profeſſores ſæculi cujuſq; unanimiter Sanctorum cultum docent, eorumque opem implorant, & implorandum fore ſalubriter prædicant. Pro Virgine glorioſa per ſingulas temporum ætates vide Scintillas noſtras.

S. Cornelius Apoſtolos.

S. Baſilius jubet orari 40. Martyres.

Concil. Chald. Gen. 4 invocat Flavianum Mart.

Gregor. Nyſſen. D. Theodorum invocat.

S. Bernard. Victorem Mart.

Annal. Baronii in Compendio Spondani an. 1117. §. 10.

D. Bern. miraculis firmat Sanctorum invocationem.

86\. Perperàm itaque hæretici nobis vitio vertunt invocationem Sanctorum, quandoquidem viri probatiſſimi, & ſapientiſſimi utriuſque Teſtamenti, & verbis & factis id poſteris tradidêre, nec non felix ſucceſſus perſuâdeat imitandum. Imo adverſarii acrius redarguendi, quorum doctrina ab Eccleſiæ Catholicæ ſacroſanctis, & univerſalibus Cõciliis damnata cognoſcitur;

Conc. Nic. II. Conc. Trid.

Digitized by Google

tur; utpote qui facilem ac uſitatam omni temporum ætate iræ Dei placandæ ſeu gratiæ conſequendæ viam negligunt, eamque impiè avertere ſtudent. Vnde & merita hujuſmodi divinis maledictionibus ſubjacent. *Væ*, ait Ezech. c. 13. *prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident, &c. Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum.* Rurſus ibid. c. 22. *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam: & non inveni.* D. Hieronym. ad primum Ezech. locum: *Legimus*, inquit, *Aaron adverſus ignem Iſraelis populum devorantem, occurriſſe & ſtetiſſe medium, & oppoſuiſſe murum pro ſalute populi. Sicut enim murus hoſti opponitur, ita Dei ſententia Sanctorum precibus frangitur.* Haud ſecùs D. Ambroſius: *Propter paucorum*, ait, *juſtitiam, Deus immunitatem toti populo promittit. Vnde diſcimus, quantus murus ſit patriæ, vir juſtus: illorum etenim fides nos ſervat, illorum juſtitia ab excidio defendit, &c.*

Deus vult iræ ſuæ opponi murum, ſcilicèt juſtum qui eum placet.

§. VI.

Beati gerunt curam viatorum.

87. Beati in cœlo gerunt curam noſtrûm.

NEque timendum ex parte Beatorum, quaſi omnem terreſtrium curam abjecerint. Vt membra enim corporis unius Eccleſiæ Dei glorioſa, & conſervi ejuſdem Regis Regum Chriſti ad felicius palatium tranſlati, minuſque honorificati de nobis infirmis & afflictis in hoc mundi exilio recogitant. *Iam de ſua immortalitate ſecuri, & adhuc de noſtra incolumitate ſoliciti*, ait D. Cyprianus. Profectò cœlites multum pincernæ Pharaonis abſimiles, cui cùm Patriarcha Ioſeph prædixiſſet, quòd Pharao Ægypti Rex, eum in gradum priſtinũ reſtituturus eſſet, ipſe Ioſeph ſquallido detentus carcere ſe illi commendavit, dicens: *Memento mei cùm tibi bene fuerit, ut facias mecum miſericordiam, ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de carcere iſto, quia innocens hîc in lacum miſſus ſum.* Audite, obſecro, quid acciderit ſuccedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum, inquit Moyſes, oblitus eſt interpretis ſui. *Abſit*, ait Bernard. *ut putetis animas Sanctorum ſimiles pincernæ Pharaonis, qui cùm in priſtinum gradum reſtitutus eſt, ſtatim oblitus eſt Ioſeph ſancti, qui in carcere tenebatur. Sunt enim membra Eccleſiæ per charitatem nobis conjuncta, expertæ ſunt noſtras miſerias & pericula, unde non obliviſcuntur noſtri, quamvis ex carcere hujus corporis liberatæ ſunt. Paulus Apoſtolus* (utor verbis D. Hieron.) *ducentas ſexaginta ſex animas ſibi dicit in navi condonatas, & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, nunc ora clauſurus eſt, & pro iis qui in toto orbe ad Euangelium ſuum crediderunt, mutire non poterit? Apoſtoli, Martyres*, inquit idem Doctor, *adhuc in corpore conſtituti orant pro ceteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti,*

Serm. de omnium Sanct.

Epiſt. contra Vigilant.

Digitized by Google

ſoliciti, quantò magis poſt victorias & triumphos? Imò tanto magis, inquit Bernard. *quanto veriùs agnoſcunt miſerias noſtras: quia beata illa patria charitatem eorum non immutavit, ſed augmentavit.* Addo equidem, dives Epulo, ſepultus in inferno, Abrahæ, in limbo quieſcenti, fratres ſuos, adhuc in mundo degentes, commendatos voluit, quanto magis credendum Sanctos cauſam noſtram agere apud Deum. Hinc D. Ioannes Apoc. 5. *Vidit quod viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno habentes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt* (eodem Prophetâ interprete) *orationes Sanctorum.*

Beatorum charitas aucta, non minorata.

Vidit Joannes 24. ſeniores orare pro fidelibus.

88. Accipe demum irrefragabilem Conc. Trid. doctrinam. *Mandat ſancta Synodus omnibus Epiſcopis, &c. ut juxta Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum, à primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, &c. fideles diligenter inſtruant, docentes eos; Sanctos unà cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus* Iesvm *Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere. Illos verò qui negant Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos eſſe, aut qui aſſerunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, invocationem eſſe idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adverſarique honori unius Mediatoris Dei, & hominum* Iesv *Chriſti, vel ſtultum eſſe. in cœlo regnantibus voce, vel mente ſupplicare, impiè ſentire.* Sic Trid. ſeſſ. 25. circa initium.

Conc. Trident. damnat cultum Sanctorum negantes.

Refert Euangeliſta Lucas quandoque veniſſe Chriſtum in domum Simonis, ubi ſocrus ejus tenebatur magnis febribus, & adſtantes rogaverunt illum pro ea. Ideo juxta ſenſum Tridentini moneo, atque cum Ambroſio dico: *Et tu habes proximos, qui Deum pro te ſupplicent, habes Apoſtolos proximos, habes Martyres proximos, ſi ipſe Martyribus devotionis ſocietate, miſericordiæ quoque muneribus appropinques.* Triplici verò genere argumenti ad hoc probandum utitur Ambroſius: *Quoniam*, inquit, *ſi potuerunt aliquid efficere dum viverent nobiſcum, ipſi mortales, magis ergo nunc.* Deinde, *ægri niſi ad eos aliorum precibus medicus fuerit invitatus, pro ſe rogare non poſſunt. Infirma eſt caro, mens ægra eſt, & peccatorum vinculis impedita, ad medici illius ſedem debile non poteſt explicare veſtigium. Obſecrandi igitur ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad ſubſidium dati ſunt, Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Poſſunt pro peccatis noſtris rogare, qui proprio ſanguine etiam, ſi quæ habuerunt, peccata laverunt. Iſti enim ſunt Dei Martyres, noſtri Præſules, ſpeculatores vitæ actuumque noſtrorum.* Tertiò; *Non erubeſcamus;* inquit, *eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere, quia ipſi infirmitatem corporis, etiam cùm viverent, cognoverunt.*

Lib. de Vid. ultra med.

Rationes ob quas Sancti invocandi.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

B. V. erga viatores excellens pietas.

89. CVm ſit de fide Sanctos pro nobis in cœlo orare, hoc multo diligentius, ultra omne dubium, à Reginâ Sanctorum, & miſericordiæ Matre MARIA Deiparâ fieri fatendum eſt. De Ieremiâ dudum defuncto, apertum teſtimonium habemus 2. Machab. 15. ubi dicitur: *Hic eſt, qui multum orat pro populo, & universâ ſanctâ Civitate, Ieremias Propheta Dei. Extendiſſe autem Ieremiam dextram, & dediſſe Iudæ gladium aureum, dicentem: accipe ſanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicias adverſarios populi mei Iſraël.* Petrus Apoſtolus, dum adhuc viveret, diſcipulis ſuis promittebat, ſcilicèt: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Ecce D. Petrus ſpondet ſe poſt mortem geſturum curam fidelium. Ecce Ieremias ſervus Dei adhuc in ſinu Abrahæ detentus ſuffragatur, & opitulatur Hebræis: quodque maximè ſtupendum, umbra Petri viventis, & vincula defuncti, ſudaria Pauli, fimbria veſtimenti Domini Salvatoris, &c. virtutem medendi habuerunt. MARIA Genitrix Dei, & in qua ipſe infans novem menſibus requievit, nunc verò aſſumpta in corpore & anima ad cœlos, & ſupra omnes Angelorum choros exaltata, quamque Deus dilexit, ac honoravit ut Matrem amantiſſimam, nihilne poterit, vel non curabit fideles ſibi (ut communi omnium parenti) concreditos? Nefas eſt hoc ſentire, hæreticum id ipſum aſſerere, præſertim ubi contradicit Eccleſia, refragantur ſacri Doctores, reclamat miraculorum experimentum. Iudicium Eccleſiæ eſt MARIAM idcircò *de præſenti ſæculo tranſlatam, ut pro peccatis noſtris apud Deum fiducialiter intercedat.* Adhæc indies B. Virginis patrocinium implorat, preces horarias & quotidianas laudes ordinavit, & concinit, monetque fideles voce præconum publica ad eam in periculis vitæque labentis neceſſitatibus confugere. In vanum autem omnia fierent, ſi vel nihil apud Deum valere, vel non cognoſceret, quæ circa nos aguntur, neque mortalium negotia ſua oratione & meritis in cœlis promoveret.

Miſſ. Rom. in Vigil. Aſſumpt. B. V. Brev. Rom.

§. VI.

Confirmatio priorum ex Patribus.

ACcipe demum & cordis ſinui repone parabolas Seniorum; ſine cauſa enim non proferuntur. D. Baſilius Seleuciæ Epiſc. *Si Chriſtus, ait, ſervis ſuis tantam gratiam contulit, ut ſolo contactu, imò verò ſolâ corporis umbrâ, ægris præſidium adferre poſſent. (Nam ut Actorum liber exponit, infirmi in plateas ejecti, umbrâ tamen Petri contacti, liberati à morbis evadebant. Non deerant quoque, qui linteo, quo Apoſtolus Paulus ſudorem exterſerat,* 90.

Ex doctrina Patrum oſtenditur B. V. pietas & poteſtas.

accepto, infeſtos dæmones profligarent:) qualem vim adverſus omne morborum genus, Virgini Matri oblatum fuiſſe putandum eſt? An non multò majorem, quàm cæteris Chriſti imperio ſubjectis?

D. Bern. Serm. 1. Aſſumpt.

Doctor Mellifluus: *Aſcendens in altum Virgo beata dabit ipſa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina cœlorum eſt, miſericors eſt. Denique Mater eſt unigeniti Filii Dei. Nihil enim ſic poteſtatis ejus ſeu pietatis magnitudinem commendare poteſt. Niſi fortè aut non creditur Dei filius honorare Matrem: aut dubitare quis poteſt omnino in affectum charitatis tranſiſſe* Mariæ *viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt, charitas, novem menſibus requievit.*

D. Bernard. ex titulo, Regina cœlorum eximiam B. V. poteſtatem elicit, & ex tit. Mater Dei, mirandam ejus clementiam.

S. Bonav. in Spec. V. l. 8.

B. V. poſt filium ac in filio potentiſſima.

Doctor Seraphicus alloquens Deiparam: *Quia*, inquit, *Dominus potentiſſimus potentiſſimè tecum eſt, ideo & tu es potentiſſima ſecum: potentiſſima es per ipſum, potentiſſima apud ipſum, ita ut verè poſſis dicere illud Eccleſ. 24. In Ieruſalem poteſtas mea. Nam in Ieruſalem, id eſt, in Eccleſia triumphante & militante poteſtatem habet mater potentiſſima Creatoris.* Idem lect. 10. in Specul. V. *Magna*, inquit, *fuit erga miſeros miſericordia ejus jam regnantis in cœlo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc oſtendit hominibus miſericordiam, quia magis nunc videt immonerabilem hominum miſeriam. Quis eſt ſuper quem Sol non reluceat? Quis eſt ſuper quem miſericordia* Mariæ *non reſplendeat?*

B. V. ob latè patentem clementiam Soli comparatur.

Cardinalis Damianus: *Quantumlibet aliæ ſtellæ reluceant, Luna tamen & magnitudine præeminet, & ſplendore; ſic utramque naturam Virgo ſingularis exſuperat, & immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum, &c. Sicut Sol ſolus orbem illuminat, ſic hæc ſola ſolidiore lumine, & Angelos, & homines illuſtrat, terribilis dæmonibus; ordinata virtutibus, ſingularis timor malignorum ſpirituum, ſpecialis amor Civium Beatorum.*

Anſelmus Epiſc. Cantuarienſis: O Maria, *tu peccatorem toti mundo deſpectum, materno affectu amplecteris, nec deſeris quouſque Deus per te placatus ipſum gratiæ ſuæ recuperabit.* Quin-etiam adſeverante eodem: *Velocior eſt nonnumquam ſalus memorato nomine* Mariæ, *quàm invocato nomine* Iesv, *unici filii ſui, & id quidem non ideo fit, quòd ipſa major & potentior eo ſit. Nec enim ipſe magnus eſt & potẽs per eam, ſed illa per ipſum. Quare ergo propitior ſalus in recordatione ejus, quàm filii ſui percipitur? Dicam, quod ſentio: Filius ejus Dominus eſt, & judex omnium, diſcernens merita ſingulorum. Dum igitur ipſe, à quovis ſuo nomine invocatus, non ſtatim exaudit, profectò id juſtè facit: invocato autem nomine* Mariae, *etſi merita invocantis non merentur; ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur.*

Facilius interdum obtinetur ſalus invocato nomine B. V. quam Iesv.

Ratio.

S. Catharina Senenſis affirmat ſibi à Deo revelatum in hunc ſenſum: Mariæ *unigeniti Filii mei Genitrici conceſſum eſt à bonitate mea propter incarnati Verbi reverentiam, quòd quicumque juſtus vel peccator, qui recurrit ad* Mariam *cum devota reverentia, nullo modo diripietur vel*

Lib. Dialog. tract. 4. c. 39.

devo-

B. V. eſca dulciſſima ad capiendos peccatores.

devorabitur ab infernali dæmanio. Nam ipſa eſt à Deo, velut eſca dulciſſima collocata, & etiam electa pro capiendis hominibus, & animabus, præcipuè peccatorum.

In Revelat. S. Birgit. l. 1. c. 50. Chriſtus alloquitur Matrem ſuam his verbis: *Nulla erit petitio tua ad me, quæ non exaudiatur, & per te omnes, qui petunt miſericordiam cum voluntate emendandi, gratiam habebunt. Quia ſicut calor procedit à ſole, ſic per te omnis miſericordia dabitur. Tu enim quaſi fons largifluus de quo miſericordia miſeris fluit, &c. Pete quodcumque vis, & dabitur tibi. Reſpondit Mater: Miſericordiam & auxilium peto miſeris. Quatuor quippe ſunt loca. Primus eſt cœlum, &c. 2dus infernus, &c. Tertius locus eſt Purgatorium, ipſi enim indigent triplici miſericordia, quia tripliciter affliguntur. Turbantur quippe auditu, quia nihil audiunt, niſi dolores, pœnas & miſerias: affliguntur viſu, quia nihil vident niſi miſeriam ſuam: affliguntur tactu, quia ſentiunt calorem ignis intolerabilis, & gravis pœnæ. Da eis, Domine mi & fili, miſericordiam tuam propter preces meas. Reſpondit filius: libenter propter te dabo, eis triplicem miſericordiam, 1º auditus eorum alleviabitur, viſus mitigabitur, pœna remiſsior & mitior erit. Inſuper quicumque ab iſta hora ſunt in ſumma pœna Purgatorii, venient ad mediam: & qui ſunt in media venient ad leviſsimam pœnam; qui autem in leviſsima pœna ſunt, tranſibunt ad requiem. Reſpondit Mater: Laus & honor ſit tibi Domine mi. Et Mater ſtatim ſubjunxit ad Filium. Quartus locus eſt mundus, & habitatores ejus indigent tribus: 1º contritione pro peccatis: 2º ſatisfactione; 3º fortitudine ad faciendum bona. Reſpondit filius; omnes qui invocaverit nomen tuum, & ſpem habet in te cum propoſito emendandi commiſſa, iſta tria dabuntur ei, inſuper & regnum cœleſte, &c.* Ibidem l. 6. c. 10. *Nullus, inquit Virgo beata, ita alienatus eſt à Deo, niſi omninò fuerit maledictus, qui ſi me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habebit miſericordiam.*

Chriſtus nil denegat Matri.

B. V. orat pro animabus in Purgatorio & obtinet.

§. VII.

Exhortatio ad Patrocinium B. V.

IN ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum, ait Veritas ipſa. Ecce audîſti Deum ipſum juſtorum interceſſionem 92. non tantum probare, ſed etiam ſuadere, ac proſperare. Deinde vidiſti Eccleſiam docere Sanctorum cultum bonum eſſe atque utilem, nec non ejus filios teſtificari MARIAM ſcientiâ, potentiâ, & pietate pollere in cœlis. Credis demum Angelo in ſacro Euangelio ad eam dicenti: *Benedicta tu in mulieribus: Inveniſti gratiam apud Deum.* Credis item Euangeliſtæ affirmanti & atteſtanti, quod, *Erat ſubditus illis.* IESVS ſcilicèt MARIAE Matri, imò & Ioſeph propter MARIAM ſponſam illius. Accede ergo confidenter ad illam, nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuavis eſt, omnibus

nibus offerens, & procurans gratiam, veniam, & ſalutem. Quemadmodum Sol inter bonos & malos indifferenter oritur; ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu: quin-imò libentius peccatoribus patrocinatur, majuſque gaudium eſt illi ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui pœnitentiâ non indigent. Ad hoc enim Mater IESV electa eſt, ut ſalvum fiat, quod periit; ac ſolidetur, quod infirmum cognoſcitur. Hoc perpendens D. Bernardus ſub comparatione ſtellæ, hortatur, ut in quacumque afflictione, periculo, ac neceſſitate ad ſinum piiſſimum Deiparæ Virginis confugiamus. *Ipſa eſt enim*, ait, *nobis ſtella ex Iacob orta, cujus radius univerſum orbem illuminat: cujus ſplendor & refulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora: fovet virtutes, excoquit vitia. Ipſa eſt, inquam, præclara & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſario ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis. O quiſquis te intelliges in hujus ſæculi profluvio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus ſideris, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca* MARIAM. *Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice ſtellam, voca* MARIAM. *Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concuſſerit mentis, reſpice ad* MARIAM. *Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita* MARIAM. *In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis* MARIAM *cogita*, MARIAM *invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres orationis ejus ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. Ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia pervenis.* Huc uſque Bernard. Auſim dicere cœlum cum terra citius periturum, quàm ipſa Virgo pientiſſima aliquem ſeriò ſe implorantem derelinquat. Perſuadet, imo compellit nos celſitudo ipſius credere, ut in regno filii beatiſſima Virgo MARIA ita imperiosè præcipiat, quod per Angelorum miniſteria ſibi devotis frequenter ſubveniat. Si enim Angelus Angelum mittit, confidenter debet credere Chriſtiana devotio, quod Imperatrix Angelorum, tantò magis habet Angelos ſibi ad obſequium promptiores, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. *Michaël dux & Princeps militiæ cœleſtis* (atteſtante Auguſtino Deiparam alloquente) *cum omnibus ſpiritibus adminiſtratoriis tuis, Virgo, paret*

B. V. ſtella Iacob ad ſalutem fidelium.

Archangelus Michaël paret B. V.

Apud D. Bonav. in Spec. B. V. lect. 3. circa fin.

Digitized by Google

paret præceptis, in defendendis in corpore, & in ſuſcipiendis de corpore animabus fidelium ſpecialiter tibi, Domina, die ac nocte ſe commendantium. Hoc ergo proculdubiò teneas: quod quanto MARIA altior Angelis, ac Deo propinquior, tanto etiam potentior ad ſuccurrendum: quanto rurſum melior ac ſanctior omni Matre, tanto clementior, & dulcior circa converſos peccatores & peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, & proſtratus coram illa, ex corde contrito & humiliato lacrymas effunde, invenies illam, indubitanter promitto, promptiorem in tuo juvamine, quovis cive cœleſti, ac mitiorem in tui dilectione quacumque carnali Matre.

LECTIO VIII.

De Præſtanti Patrocinio B.V.M.

93. APoſtolus Paulus 1. Tim. 2. *Vnus Deus*, inquit, *unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* IESVS, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Et Rom. 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.* Chriſtus à Deo propitiator proponitur, atque ab Apoſtolo unus Mediator, & à Conc. Trident. ſeſſ. 25. ſolus noſter Redemptor, & Salvator nuncupatur, quia ſolus eſt qui ſeipſum complacens, gratum, & condignum humanæ redemptionis pretium Patri cœleſti voluntariè obtulit, ita ut ſine reſpectu ad illud, non ſit in aliquo alio ſalus, neque remiſſio peccatorum. Hinc quando in libris Patrum advocatos alios ſuggeri audis, vel etiam in Sacra Scriptura plures Salvatores legis, ſicut v.g. apud Abdiam: *Aſcendent Salvatores ad montem Sion.* Et Paulus 1. Corinth. 4. quorumdam fidelium patrem ſe nominat. Et rurſus ibidem c. 9. *Vt ſalvos facerem,* ait, non ſic intelligendum, quaſi omnino ex virtute propria, & nomine ſuo ſalvent, aut alicui vitam donent: nequaquam; ſed quoniam ipſi ſeminarium ſalutis (quod eſt verbum Dei) ex ſpeciali commiſſione in corda fidelium hominum ſpargant; vel etiam quia unicum Redemptorem, & præcellentem Mediatorem Chriſtum inducant, ut miſericordiarum ſuarum opes diſtribuat, & communicet his pro quibus interpellant, vel quos inſtruxerint. Non ſpernit Dominus & magiſter, neque rejicit amicorum preces, aut diſcipulorum laborem, ſed ſuſcipit, fœcundatq; juxta quod dicitur Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Item Matth. 4. *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Et ad Petrum Luc. 5. *Ex hoc jam homines eris capiens.* Quamobrem Apoſtolici viri, Deique myſteriorum diſpenſatores, Salvatores quidem dici poſſunt, uti & Dei amici Mediatores ſeu Advocati, ſed multum differenter à Chriſto. Etenim Chri-

Chriſtus differenter Mediator & Salvator ab aliis.

Chriſtus ſimpliciter Salvator, alii dependenter à Chriſto.

ſtus propriis meritis, propriâ virtute, & à quovis independenter ſalvat: ceteri ab ipſius virtute, meritis & gratia dependenter. Chriſtus pro voluntate libertate donat; ceteri ſupplicum more impetrant. Sanctos ergo longè inferiori modo ſenſuque Salvatores, Mediatores, vel etiam interdum, vitam, & ſpem noſtram appellamus, cùm nihil poſſint, nihil efficiant, nec impetrent, niſi in virtute, nomine ac merito Chriſti. Hinc S. Mater Eccleſia in ſacrificiis, quæ Deo offert, ac precibus, quas fundit, & ad Deum dirigit, etſi pro felici exauditionis ſucceſſu Sanctorum adhibeat invocationem, ſuffragiumque, non tamen ideo minus poſtulationes ſuas per merita Chriſti Redemptoris obtinere intendit, prout manifeſtè colligitur ex ejuſdem collectis, quæ licèt beatorum patrocinium frequentius includant, concluduntur tamen per hæc verba: *Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Nullum itaque inferiorem patronum, ne quidem Virginem Matrem æquiparare volumus ſupremo illi ac ſoli præcellenti Mediatori & Advocato IESU Chriſto, procul abeſt, ne dum Matris honor extollitur, Filii gloria in ullo vel minimum minuatur; neve Deipara ex hinc indignetur, quæ Filium ſupra ſe, ut par eſt, eminere vult, & honorare. Verùm dicimus, quòd B. V. MARIA reſpectu inferiorum ad Deum per Chriſtum Mediatorem longè in advocandi ratione excellat, multoque

94. B. V. Sanctos in cœlo excellit in ratione advocandi.

plus polleat. Etenim ad opus redemptionis nemo ita concurrit, adjuvatque ſicut ipſa, nec ullius preces meritaque ita valent, atque divinæ Majeſtati placent, quemadmodum ipſius. Nemo, inquam, ita concurrit, quia nemo Verbo Dei carnis ſubſtantiam, in qua redimeret, adminiſtravit, nec adminiſtrare dignus inventus eſt præter MARIAM, cui ſoli dictum eſt: *Inveniſti gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, &c.* Nemo ita ſalutis noſtræ pretium Patri offerendum mundo effudit præter MARIAM, de qua teſte Euangeliſta: *Natus eſt* IESUS, *qui vocatur Chriſtus.* Pulchrè ad propoſitum D. Athanaſius: *Verbum*, inquit, *ut Aaron veſtem talarem, ita carnem è terra aſſumpſit; MARIAMque vice rudis illaboratæ terræ* (alludit ad ejus Virginitatem) *matrem ſui corporis habuit, ut jam habens quod offerret, ipſe Pontifex ſeipſum Patri in victimam daret.* Nec minus appoſitè S. Methodius: *Tu*, ait, *Deo alioquin nullius rei indigenti, carnem, quam non habebat, dediſti: quo, inquam, hac ratione omnipotens, id quod eſſe dignatus eſt, homo videlicèt verè appareret: quid hoc illuſtrius? quidve ſublimius? Qui cœlum & terram implet, cujus præterea ſunt omnia, quæ moventur atque ſubſiſtunt, is tui factus eſt indigus: tu enim admirabilem Incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuam dediſti.* Et mox: *Euge, euge, Mater Dei & ancilla: euge, euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur, Deo namque univerſi debemus:*

Ratio. B. V. ad opus redemptionis incurrit.

Serm. 3. contra Arian.

Filius Dei ſumens carnem de B. V. ſe illi debitorem fecit.

Digitized by Google

mus: tibi verò etiam ille debet. Sic ille.

His addo D. Antoninum, qui egregiè oſtendit Deum Virgini opus regenerationis communicâſſe ſecundùm quadruplex genus cauſæ: efficientis videlicèt, materialis, formalis, & finalis, & propterea non tantum Chriſti, ſed etiam hominum Matrem dici. Ejus verba ſunt: *Et in genere quidem cauſæ efficientis poſt Deum, ſub Deo, & cum Deo, quia ipſa illum nobis genuit, qui nos omnes recreavit, ſeu regeneravit per paſſionem, virtutem gratiæ conferentem in Sacramentis; & ut ſuum filium gigneret de congruo meruit. Cauſa materialis fuit Virgo hujus recreationis noſtræ, quia Spiritus S. de puriſſimis ejus ſanguinibus conſenſu mediante accepit, quod in corpus formavit Chriſti, per quod redemptio noſtra, & recreatio facta fuit. Cauſa verò formalis, quia ſua converſatione cœleſti ſpeculum eſt omnibus ſe convertendi ad Deum. Cauſa denique finalis, quia totum opus redemptionis poſt Deum in Chriſti filii ejus, ut homo, honorem, & gloriam eſt ordinatum, & proptereà ſeniores coronas ante pedes regni deponant.*

§. II.

De efficacia precum B. V.

95. Ratio altera cur B. V. Sanctos in advocandi ratione excellat.

NVnc quod ad efficaciam precum Virg. Deiparæ ſpectat, accipe doctrinam ſeu oracula virorum eruditorum. Theophilus Alexandrinus lib. de Incarnat. Verbi, poſtquam præmiſit filios parentibus ſuis æquale reddere non poſſe, quia ſcilicèt minimè poſſunt eoſdem viciſſim generare; ſolum Chriſtum Dominum non tantum ad æqualitatem rependiſſe acceptum à parente ſua beneficium, docet, ſed etiam ſuperâſſe. Illa enim vitam naturalem Chriſto impertivit; Chriſtus autem illi addidit vitam ſpiritualem: ſic tamen, ut quantum Chriſtus in naturalibus bonis reliquis præſtitit mortalibus, tantumdem Virgo in ſpiritualibus gratiis & chariſmatibus omnibus antecelleret. Subdit denique alio modo Chriſtum Matri ſuæ acceptam vitæ gratiam compenſare, quoties pro hominibus orat. *Gaudet*, inquit, *Filius orante Matre, quia omnia, quæ nobis precibus ſuæ Genitricis evictus donat, ipſi Matri ſe donare putat, & acceptæ ab illa ſine Patre humanitatis vices reddere.* Pende illud *ſine Patre*, quo non parum extulit Chriſti erga Matrem ſuam debitum. Nam cùm aliorum filiorum erga parentes debitum quaſi bipartitum ſit, partimque matri, partim patri deferre debeant: totum Chriſti debitum in unam colligebatur matrem, quæ ſcilicet ipſum edidit ſine patre. Ergo ut hoc debitum compenſet, & ſuperet, Chriſtus Dominus gaudet plurimum, ait Theophilus, cùm Virgo nobis bona deprecatur, quæ illi ſe donare putat, quæcumque illa nobis exorat. Hanc etiam rationem attigiſſe videtur D. Bernardus, qui poſtquam dixit Virginem om-

Chriſtus qualiter rependat vitæ corporalis uſuram acceptam à Matre.

Digitized by Google

nia nobis impetrare, ſubjecit: *Niſi fortè aut non creditur filius honorare Matrem.*

96. Differentia inter preces B. V. & Sanctorum.

D. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 17. §. 4. diſtinguens inter orationem Deiparæ, & orationem aliorum Sanctorum: *Oratio*, ait, *Sanctorum, non innititur alicui rei ex parte ſui, ſed tantum miſericordia ex parte Dei; oratio autem Virginis innititur gratia Dei jure naturali, & juſtitia Euangelii. Nam filius non tantum tenetur audire Matrem, ſed & obedire juxta illud Apoſtoli: Filii, obedite parentibus veſtris, quod eſt de jure naturæ.* Et mox: *Oratio*, inquit, *Deiparæ erat nobiliſſimus modus orandi: tum quia habebat rationem juſſionis & imperii: tum, quia impoſſibile erat eam non exaudiri juxta illud, quod in ejus figura dixit Salomon Matri ſuæ Berſabeæ 3. Reg. 1. cùm aliquid petere vellet: Pete, inquit, mater mea: neque enim fas eſt, ut avertam faciem meam.*

B. V. amat fideles amore invincibili.

B. Petrus Damianus memorans Virginis amorem erga genus noſtrum: *Scio Domina*, inquit, *quia benigniſſima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te Filius tuus & Deus tuus ſummâ dilectione dilexit. Quis ſcit quoties refrigeras iram Iudicis, cùm juſtitiæ virtus à præſentia Deitatis egreditur: in manibus tuis ſunt theſauri miſerationum Domini, & ſocia electa es, cui tanta gratia conceditur.*

In manibus B. V. clementia Dei.

Jus Patrocinii B. V. latius patet quàm Sanctorum.

Idiota doctiſſimus Lib. contemplat. B. V. in Prologo: *Cæteri Sancti*, ait, *jure quodam patrocinii pro ſibi ſpecialiter commiſſis plus poſſunt prodeſſe in curia Altiſſimi, quàm pro alienis: beatiſſima verò Virgo* MARIA *ſicut eſt omnium Regina, ſic & omnium patrona, & advocata, & cura eſt illi de omnibus.*

Promptitudo B. V. ad ſuccurrendum.

S. Amadeus homil. 8. de laud. B. V. *Motu*, inquit, *celerrimo Seraphim alas excedens, nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis, nunc terras ſignis, & virtutibus illuſtrans ubique ſuis, ut mater jucundiſſima & mirificentiſſima, occurrit.*

Richard. à S. Laurentio l. 2. de laud. B. V. *Tornatiles*, ait, *deſcribuntur manus* MARIAE: *nam ſicut ars tornaturæ promptior eſt aliis artibus celeriter operando, ſic* MARIA *velocior ceteris Sanctis omnibus miſeris ſubveniendo, ut dicere de ipſis miſeris videatur cum filio illud Iſaiæ 65. Antequam clament ad me, exaudiam eos*: Adeo libera ab omni cunctatione extitit miſeris opem latura.

Charitas B. V. ad omnes ferebatur.

Richard. à S. Victore: *Talis*, ait, *fuit in virtutibus, tantaque fuit ejus charitas, ut non ſolum ad Iudæos, ſed ad omnes dilatata fuerit. Pro his indeſinenter oravit, pro his ſolicita fuit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriële: Inveniſti gratiam apud Deum, ſcilicèt quem quærebas; omnium ſalutem deſideravit, quæſivit, & obtinuit.*

Demum P. Suarez docet B. Virginem quantum ad efficaciam precum non ſolùm Sanctos ſingulos, ſed etiam omnem cœleſtem curiam ſuperare, adeo ut oratio Virginis orationi omnium Sanctorum collectim ſumptorum ſemper prævaleat, & præexaudiatur.

Tom. 2. in D. Thom. diſp. 23. ſect. 2.

Digitized by Google

tur. *Itaque*, inquit ille, *fingamus B. Virginem aliquid poſtulare, totamque cœleſtem curiam illi reſiſtere (ſicut apud Daniëlem unus Angelus alteri reſiſtebat) potentior eſſet, majoriſque efficaciæ & valoris apud Deum Virginis, quàm reliquorum oratio; quod dignitati matris eſt maximè conſentaneum, & perfectiſſimæ gratiæ, & charitati B. Virginis quodammodo debitum, & ideo Eccleſia & frequentius & altiori quodam modo orat ad Virginem, quàm ad reliquos Sanctos.*

Oratio B. V. omnium Sanctorum precibus prævalet.

§. III.

Confirmatio Prioris.

Sup. ſect. 3. 97. Ratio alia cur oratio B. V. præſtantior.

IDem Suarez præſtantiorem, & digniorem Virginis interceſſionem quàm aliorum Sanctorum ex eo probat: quia inter Sanctos non ſolemus uti uno tamquam interceſſore ad alium, cùm omnes ſint ejuſdem ordinis: ad Virginem autem tamquam ad Dominam ac Reginam alii Sancti adhibentur interceſſores, & ita ſalutationem Angelicam aliis Sanctis recitamus, ut eam pro nobis Virgini repræſentent.

Confirmatur exemplis.

IN Hiſpaniæ Civitate, dictâ, Civitas Roderici, Epiſcopus quidam Petrus nomine erat, homo mundanus & lubricus; qui cùm tam malæ vitæ eſſet, unum illud bonum habebat, quòd B. Franciſcum ejuſque Ordinem plurimum diligebat; ac in ejus meritis tam firmiter confidebat, ut aliquando in communi colloquio diceret: Si morerer, & viderem me à dæmonibus pertrahi ad inferni cruciatum, adhuc ſperarem me per B. Franciſcum liberandum. Ducente Epiſcopo ita in vanis vitam ſuam, nocte quadam cuidam nobili ejus ſervo talis eſt oſtenſa viſio: Dominum ſuum Epiſcopum videbat in amplo palatio ſine tecto in cathedra ſedentem nigris veſtibus indutum: parietes palatii erant paſſim referti dæmonibus, qui fuſcinulis, uncis, aliiſque inſtrumentis Epiſcopum deſuper extrahere nitebantur. Donec vidit ſupervenientem quemdam fratrem pauperculum & deſpectum, puto S. Franciſcum, qui per portam palatii intrans Epiſcopum nigris exutum, ſplendidis veſtibus induebat, ac de poteſtate dæmonum eruebat, atque eidem nobili dicebat: vade, & dic Domino tuo, ut ſe emendet; alioquin ſciat ſe divino tribunali ſiſtendum. Is verò viſionem Domino ſuo indicare non eſt auſus, donec tertiò eâdem viſione ſibi oſtenſâ, B. Franciſcus poſt præceptum cum indignatione ei dixit: tange indumenta iſta nigra, quibus Dominus tuus veſtitur. Quæ cùm tetigiſſet digitum graviter combuſſit, ipſa combuſtione pro ſigno remanente in digito, unde & coactus fuit viſionem edicere. Epiſcopus tamen ludibrio hæc accipiens, nec vitam emendare

 curans,

curans, paucis poſt diebus ſubitanea morte & impœnitens, & inconfeſſus defunctus eſt. Adfuêre ſtatim dæmones animam ad tartara deducentes. Sed occurrit illis B. Franciſcus cum B. Clara, volentes eam eripere. Dicebat enim B. Franciſc. hic eſt mihi devotus, qui plurimam ſemper in me confidentiam habuit, ſe apud Deum altiſſimum per me fore adjuvandum; ſæpe etiam pauperculis fratribus meis benefecit. Quare veſter non eſt. Contra dæmones aſſerebant, mortuus eſt in peccatis mortalibus impœnitens, ſine contritione, aut confeſſione; ideoque noſter eſt, & inferni cruciatibus deputandus. Hâc altercatione durante, vertens ſe B. Pater ad B. Claram, dixit: Suſcipe animam iſtam, eamque defendas, nec permittas eripi tibi, donec vadam ad Matrem gratiæ Virginem benedictam, ut Filium ſuum deprecetur, quatenus redeat ad corpus, & pœnitentiam de peccatis agat. Abiit ergo, & pro reſuſcitatione Epiſcopi Matrem Virginem humiliter interpellat. Cui ait Virgo: Verè iſte non eſt dignus ut pro eo filium meum deprecer: Iudæos enim mihi infeſtos familiares & amicos coluit, eorumque obſequiis lubenter utebatur. Propter te tamē filium meum interpellabo pro eo. Obtinuit quod petiit. Revertitur anima ad corpus; ac die Dominico manè reviviſcit, qui Feriâ 6. ſub horam tertiam fuerat extinctus: diebuſque novem ſupervivens, omnibus, qui ad ſpectandum conveniebant, hæc, quæ retulimus enarravit; frequentius replicans quantâ curâ & benignitate B. Franciſcus ſibi devotos defendat, & protegit. Sic Speculum vitæ B. Franciſci & ſociorum ejus, parte prima, immediatè poſt caput c1x. Coronidis loco fol. in Oct. 180. operâ & ſtudio R. P. Guilhelmi Spoelbergh Ordin. Minor. Reg. obſervant. Prov. German. Infer. an. 1620.

S. Dionyſius recurrit ad B. V.

Lib. 4. Revel. S. Birgit. c. 103. S. Dionyſius introducitur in hunc modum ad B. Virginem loqui: *Regina miſericordiæ tu es, & Mater Dei facta es propter miſerorum ſalutem, miſerere igitur regni Franciæ, tui & mei. Tui quidem, quia habitatores ejus pro modulo ſuo honorant te: mei autem, quia patronus eorum ſum, & in me habent fiduciam. Tu vides quantæ animæ perdiletentur omni hora, &c.* Poſt hæc B. Virgo cum S. Dionyſio, & alus Sanctis Chriſtum Dominum pro eodem Franciæ regno interpellat. Sup. c. 104.

S. Minulphus redit ad vitam orante B. V.

S. Minulphus Eccleſiæ Paderborn. in Germania Diaconus, cùm tempore Ludovici filii Caroli Magni Sanctimonialium Cœnobium in paternis bonis fundâſſet, jamque obiiſſet, à Deo per Virg. Genitricem ejus ipſemet obtinuit, ut vitæ reſtitueretur, & quædam Epiſcopo ſuo nomine intimanda pronunciaret. Sur. 5. Octobr.

In Promptuario Exempl. Diſcipuli de Mirac. B. V. Exempl. 58. S. Petrus Apoſtolus mediante Virgine Dei Genitrice ſalutem cuidam

dam

Digitized by Google

S. Petrus Apoſt. recurrit ad B. V.

dam Religioſo impetrat. Cùm enim in quodam S. Petri Monaſterio Religioſus aliquis malè vixiſſet, & ex hac luce abſque Sacramentis migrâſſet, ejuſque anima à dæmonibus ad inferna raperetur: S. Petrus pro anima fratris, qui ex ſuo Monaſterio fuerat, Chriſtum precatur; cui Chriſtus reſpondit, cœli regnum patere juxta Pſalmiſtam ei, *qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam.* Quod in hoc religioſo maculis inquinato, quique juſtitiam non eſt operatus, minimè invenitur. Quare B. Petrus Virginem orat, ut ſecum pro illa anima intercedere dignetur. Itaque Virgo piiſſima ſanctis Virginibus comitata Chriſtum pro anima illa interpellat, ad cujus preces indulget Chriſtus, ut anima corpori reſtituatur, ſicque de malis anteactis, pœnitentiâ peractâ, ſalutem conſequatur. Quod ubi per Virginem Apoſtolo Petro innotuit, illicò magna clave, quam geſtabat, dæmones fugat, animamque illam duobus Angelis ad corpus reducendam tradit. Ille verò ad vitam revocatus, ſe à dæmonum poteſtate ereptum B. Virginis ac S. Petri precibus apertè teſtatur.

§. IV.

Probatio Vlterior.

98. PRæſtans Patrocinium B. V. MARIAE amplius confirmatur ex illius Excellentiis & prærogativis, de quibus infra lect. 13. & ſeqq. præſertim 20.

§. V.

Exemplo Sanctorum fiducia ponenda in precibus B. V.

QVæ hactenus diximus eò omnia ſpectant, ut intelligamus precum Deiparæ vim maximam, Chriſtique promptiſſimam voluntatem exaudiendi illam. Quia ut dicit Gregor. Nicomed. Virginem glorioſam alloquens: *Tuam gloriam Creator exiſtimat eſſe propriam, & tamquam filius in ea exultans, quaſi exolvens debitum, implet petitiones.* Hinc non immeritò B. Virgo Deipara omnium advocatorum excellentiſſima à SS. Patribus agnoſcitur & prædicatur. *Ave,* inquit S. Ephrem, *Dei & hominum mediatrix optima: Ave totius terrarum orbis conciliatrix efficaciſſima.* Albertus Magnus: *Celſior,* inquit, *eſt omnibus creaturis. Regem gloriæ, quem in ſe ſuſcepit, per totum mundum communicavit, collocavit, & tamquam familiariſſima mediatrix totum mundum ſibi reconciliavit.* D. Epiphanius affirmat Virginem cunctis ſuperiorem exiſtere, quæ lapſam Hevam erexit, & per quam homines fiduciam habent in cœlo erga Deum Altiſſimum. S. Methodius in Hypap. *Quamobrem,* inquit, *ô ſanctiſſima Deipara, quæ reliquis omnibus & benigniores, & materno honore, ac cum*

B. V. advocatorum optima.

Super Miſſ. c. 5.

Orat. de Virg.

Deo

Digitized by Google

Deo colloquendi libertate glorioſior, te obnixè rogamus, ut noſtri jugem ac perpetuam habere memoriam velis. Ita ille.

99. Quod cùm ita ſit, rogamus Catholicos omnes, & obſecramus, ut poſt Chriſtum, ſpem ſuam ponant, fiduciamque conſtantem habeant in patrocinio, precibus & meritis Deiparentis Virginis, nec non eam quiſque ſibi ducem in periculoſi maris mundi hujus nocte, ut nautæ Cynoſuram, eligat & aſpectet. Etenim ipſa juxta nomen ſuum: *Stella maris eſt & illuminatrix. Nautarum mos eſt*, ait D. Bonav. *ut cùm aliquam terram navigare diſponunt, unum ſidus eligant, cujus ſigno, luce radiante, in eam, quam deſiderant partem, poſsint ſine errore adduci. Tale certè officium eſt ſtellæ noſtræ* MARIÆ, *quæ navigantes per mare mundi in navi innocentiæ, vel pœnitentiæ dirigit ad littus cœleſtis patriæ.* Nolite ergo timere puſillus grex, ſed ſperantes in ſuffragio efficaci, certoque auxilio Virginis Matris, pugnate cum antiquo ſerpente, & eſtote fortes in bello contra mundum, carnemque. Adſiſtet enim vobis Regina cœli potens & miſericors, atque robur conferet, quo prævaleatis contra cunctos adverſarios veſtros. Audi Auguſtinum: *Habetis, ait, adjutricem veſtri certaminis, glorioſiſsimam Virginem, ſub cujus protectione confugitis, quia toti mundo protulit languidis ſalutem.* Quis umquam ſperavit in ea, & confuſus eſt? Quis illi adhæſit, & periit? Quis invocavit, & vacuus receſſit? Quis confugit ad eam, & derelictus eſt? *Sileat*, inquit Bernardus, *miſericordiam tuam, Virgo Beata, qui invocatam te in neceſsitatibus ſuis meminerit defuiſſe.* Speravit in MARIA, jubar Doctorum clariſſimum D. Auguſtinus, & quàm frequenter invocavit. Ipſe autem ſalvus, meritiſque clarus ad ſuperos evolavit polos. Illam ergo deprecans ita alloquitur: *Tu es ſpes unica peccatorum: per te ſperamus veniam debitorum: & in te Beatiſsima noſtrorum eſt exſpectatio præmiorum. Sancta* MARIA *ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, &c.* Confugit ad Deiparentem Antiſtes ſapientiſſimus Ioannes Chryſoſtomus, confidit in eâ, opemque illius non rarò imploravit. *Ad hanc*, inquit, *ſanctiſsimam Virginem, & Dei Matrem accurrentes, ejus patrociniis utilitatem aſſequamur. Hæc ejus Mater eſt, qui à Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli agnoſcunt Dominum rerum omnium. Viſne cognoſcere, quanto Virgo hæc præſtantior ſit cœleſtibus potentiis? Illæ cum timore & tremore aſsiſtunt, faciem velantes ſuam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc & peccatorum veniam conſequimur. Ave igitur Mater, cœlum, puella, Virgo, thronus, Eccleſiæ noſtræ decus, gloria & firmamentum, aſsiduè precare pro nobis* IESUM *Chriſtum Filium tuum, ut per te miſericordiam invenire in die judicii, & quæ repoſita ſunt iis, qui diligunt Deum, bona conſequi poſsimus.* Exauditus eſt Chryſoſtomus: Virginis enim meritis & precibus gratiam

In Spec. B.V. lect. 3.

B. V. ſtella mundi, ideoque inſpectanda.

D. Auguſt. ſperavit in B. V. & invocavit.

Brev. Rom. 9. Septemb.

B. V. ſpes unica peccatorum.

Brev. Rom. 12. Sept.

B. V. cœleſtibus potentiis præſtantior.

S. Chryſoſt. ad B. V. accurrit.

Digitized by Google

riam & gloriam dedit illi Dominus. Confugit ad MARIAM Germanus, Patriarcha Conſtantinopolitanus ſanctiſſimus, in ea ſpem poſuit, & ſæpius invocavit. *Certè*, ait, *Domina Deiparens, certè meum refugium, vita, & defenſio mea, arma, & gloriatio, ſpes & robur meum, concede mihi ut ego quoque cum ea fruar inenarrabilibus tuis bonis in cœleſti perſeverãtia. Habes enim, ſat ſcio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, ut quæ ſis Mater Altiſsimi, & propterea audeo. Ne ergo priver meâ expectatione, ô Domina intemerata, quæ univerſorum exſpectationem ſupra rationem peperiſti Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum.* Sanè non fefellit eum ſpes ſua: quoniam Virgine Genitrice Dei adjuvante & protegente, ut ſervus fidelis intravit in gaudium Domini ſui, cum eo regnaturus in æternum. Ioannem Damaſcenum, Monachum religioſiſſimum, ad MARIAE clementem ſinum fidenter advolâſſe, quis non videat. *Dei Genitrix Virgo*, inquit, *animas noſtras ad ſpem tuam non ſecus atque ad firmiſſimam quamdam ancoram alligantes, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes & conſecrantes Pſalmis, & Hymnis ſpiritualibus quantum poſſumus honorantes, &c.* De Ephrem Diacono caſtiſſimo nullum dubium quin ſe totum Deiparæ devoverit: *Sub alis tuis*, ait, *cuſtodi me & protege; miſerere mei, qui ſum luto inquinatus, ne adverſum me glorietur ſatanas exitioſiſsimus, ut in me exurgat exetrandus inimicus meus. Non mihi alia fiducia, ô Virgo ſinceræ: tu enim meus portus: Virgo inviolata, & præſens auxiliatrix. Sub tutelâ & protectione tuâ totus ſum, crebris lacrymis te, ô celeberrima mater, imploro, & advolvor tibi, &c.* Ecce, quàm fervidi apud Virginem precatores extitêre Damaſcenus, & Ephrem. Vnde & eâdem ſuffragante, atque opitulante, hujus, & illius conſcientiarum naviculæ, à naufragio peccati lethalis illæſæ conſervatæ, ambo pluribus bonorum operum meritis onuſti, ad æternæ beatitudinis portum feliciter appulerunt. Bernardum, Doctorem mellifluum, quidni commemorem? Num hunc alter ſimilis? *Hæc*, ait, *peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.* Ejuſdem autem opem implorans ſic orat: *Per te, Regina clemens, gratiæ ſuæ munera largiatur* IESVS *Chriſtus, Filius tuus, Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Neque hic deceptus: nam gratia & robur, deprecante Virgine, deſuper illi data, quibus certans ſicut bonus miles IESV Chriſti, tandem coronam juſtitiæ ſibi in cœlis repoſitam cum jubilo comprehendit. Quidni inter hos Virginis amantes recenſeam Franciſcum Seraphicum, de quo ita Bonav. *Matrem Domini noſtri* IESV *Chriſti indicibili complectebatur amore, eo quòd Dominum majeſtatis fratrem nobis effecerit, & per eam ſimus miſericordiam conſecuti. In ipſa poſt Chriſtum præcipuè fidens, eam ſui ac ſuorum Advocatam conſtituit, &c.* Inter

S. Germanus ſperavit in B. V. & invocavit.

S. Ioann. Damaſc. ſperavit in B. V. & invocavit.

Item S. Ephrem.

Bernardo B.V. omnis ratio bene ſperandi.

S. Franc. B. V. fidit & invocavit

100.

ceteras hujus ad Virginem una precatio eſt. *Sancta Dei Genitrix dulcis, & decora, Regem morti traditum, Filium tuum dulciſſimum Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum pro nobis exora, ut ipſe per ſuam piiſſimam miſericordiam, & clementiam, & virtutem ſanctiſſimæ Incarnationis, & mortis ipſius acerbiſſimæ, nobis indulgeat peccata noſtra.* Ipſe autem ab omni inquinamento purus ut Angelus, atque vitæ Chriſti ferens imaginem, ut frater Domini, ejuſque matris Filius, hæres regni cœleſtis factus eſt. Sanctiſſimi hujus Ordinis Minorum Patriarchæ conſilium, & exemplum amplexus Bernardinus Senen. nihil poſt Deum ſic illi placuit, quemadmodum Mater ejus MARIA; nulli tam ardenter ſe devovit, dicavitque quemadmodum Virginum Virgini; nullius demùm potentiæ ac benignitati ſic fidit, quemadmodum Reginæ cœlorum, hominum mediatricis ſapientiſſimæ. Vnde & laudes ejus prædicando, ſimul orationum ſuffragia implorat, dicens: *Glorioſa Virgo & Mater miſericordiæ, Regina & fons totius dulcedinis, quid dicemus? Quali organo vocis, vel quo jubilo cordis exprimemus, quantum tibi debeamus? Quidquid protulerimus minus eſt, & quaſi nihil ad ea, quæ tibi ex æquo debemus. Tu ante omnem creaturam in mente Dei præordinata fuiſti, ut omnium fœminarum caſtiſſima, Deum ipſum, hominem verum ex tua carne procreares, ut præ omnibus poſt Filium Regina cœlorum effecta glorioſa regnares; ut perdito mundo recuperares aditum, & vitæ perennis emolumentum præparares. Tu genus humanum æternitatis gloriâ nudatum per tuum virgineum partum in priſtinum ſtatum deduxiſti: tu principem mortis evertiſti: per te ad æternam gloriam, quicumque perventuri ſumus, perveniemus: & per te eſt, ſi quid boni ſumus, ſive poſſumus, ſive habemus. Tu poſt Deum ſumma ac ſingularis conſolatio noſtra: tu ad regna cœlorum dux & ſubventio noſtra: Tu, quæſumus, eſto in ipſo beatitudinis regno ſuſceptrix ac perpetua exaltatio noſtra, quæ cum Chriſto* IESV *Filio tuo glorioſa conregnas Regina cœli, Domina mundi.* Hactenus D. Bernardinus. Vt autem finem præſenti lectioni imponam, dico, confiderunt in MARIA, & ad eam, dum in terra converſarentur; ſæpius ſuppliciter confugerunt eximii quique Beati nunc in cœlo regnantes, ita ab Eccleſia Matre edocti; unde & ab eadem glorificationis ſuæ teſtimonium accipere meruerunt, Deo id ipſum poſtulante, mortem præeuntibus ac ſequentibus ſignis. Revera viri illi, dum hic peregrinarentur à Domino, ſplenduerunt in caliginoſo loco ſicut luminaria magna, verbum vitæ continentes; operumque Sanctorum lucem diſpertientes ad ſalutem, & gloriam plurimorum. Quocirca etiamſi obganniant hæretici, etiamſi cunctæ furiant tartareæ legiones, nos tamen, orthodoxæ Eccleſiæ doctrinæ moribuſque inſiſtentes, cum Sanctis Patribus MARIAM communem ſalutis hu-

S. Bernardinus Sen. ſperavit in B. V. & invocavit.

manæ

Digitized by Google

manæ parentem piiſſimam, atque Advocatam ſapientiſſimam agnoſcimus, coràm omni populo confitemur, nec non quantâ poſſumus animi demiſſione, fiduciâ, & religione ſalutando invocamus, & dicimus: *Salve Regina, mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra, ſalve. Ad te clamamus exules filii Hevæ; ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo Advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte, & I*ESVM *benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo* MARIA. Væ illis, *qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & contradictione* (velut) *Core perierunt. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia: quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.*

LECTIO IX.

Patrocinii B. V. MARIÆ *Exempla.*

MARIAM Deiparam humani generis Mediatricem, & quidem ultra omnes Sanctos potentem, & clementem, Mediatricem eſſe apud Deum diximus, Patrumque teſtimoniis doctrinam iſtam ſtabilivimus: reliquum eſt ut hac præſenti lectione idipſum exemplis pulcherrimis illuſtremus. Pietatis ergo ac potentiæ Virginis Deiparæ laudem experimento vis comprobari? Ante omnia expoſtulo, ut Gabrielem Archangelum, ſacroſanctæ Trinitatis pro ſalute noſtra ad Virginem nuncium, greſſu mentis convenias, atque interroges, qualem legatio ſua de Verbo Patris æterni ex ea incarnando ſucceſſum habuerit? Proculdubio animo alacri vultuque placido dicentem audies, feliciſſimum: Quia videlicèt ad propoſitum conſenſit Virgo humilis prudenſque ac læti nuncii, plenaque ſalutis verba juxta cordis mei deſiderium eructavit, inquiens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Sermem colloquii Angelici cum Virgine Lucas Euangeliſta, ab eâdem edoctus, plenè enarrat c. 1. ſui Evangelii. Non eſt cur de fidelitate relatoris dubitetur: *Nam Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* 2. Pet. 1. 101. *Clementiâ B. V. dignoſcitur ex Euangelio Chriſti.*

Interroga item caſtiſſimum juſtumque Ioſeph, meditantem Sponſam gravidam occultè dimittere, quid illi ab Angelo revelatum, præceptumque? Nihil aliud, inquiet ille, quàm, *Ioſeph, fili David, noli timere accipere* MARIAM *conjugem tuam. Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus* IESVM. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Plurimum fidei huic viro tribuendum; cùm, quia in Scriptura juſtus deſcribitur, tum, quia Pater cœleſtis eumdem unici dilecti Filii *Matth.* 1.

 ſui

ſui nutritium, & cuſtodem ſecundùm carnem præfecerit. Quare non minus verè quam Ioannes dicere poteſt: *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: quod vidimus, & audivimus annunciamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & Filio ejus* IESV *Chriſto.*

1. Joan. 1.

Interroga præterea multitudinem militiæ cœleſtis, cur ovium paſtoribus cum tanto ſplendore & jubilo intempeſtâ nocte apparuerint, terramque divinis encomiis repleverint ſociâ exultatione dicentes: *Gloria in excelſis Deo?* Reſpondent illi: *Quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in Civitate David.* Emmanuël magnum ejus. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum, &c.* Noli, quæſo, præterire paſtores ovium, Dei claritate circumfulſos, ſed ab iis require myſterium viſionis magnæ. Referant illi divinæ generationis librum, & annuntiant populis: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et, *de plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

102. Conſule exhinc Magos Orientis, atque indaga, quid rerum cœleſtium in Bethlehem ad præſepe jumentorum repererint, quidve religionis exhibuerint. Ex perſona eorum reſponſum fert Matthæus: Nempe, *intrantes domum invenerunt puerum cum* MARIA *Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Senſum horum exponit Eccleſia per octavam Epiphaniæ canens; *Tria ſunt munera, quæ obtulerunt Magi Domino in die iſtâ, & habent in ſe divina myſteria. In auro, ut oſtendatur Regis potentia; in thure Sacerdotem magnum conſidera, & in myrrha dominicam ſepulturam.* S. verò Ambroſ. in Luc. *Aurum Regi, thus Deo, myrrha defuncto. Aliud enim Regis inſigne, aliud divinæ ſacramentum poteſtatis, aliud honor eſt ſepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui, ſed reſervet.* Vnde quando audis, vel legis Magos inveniſſe puerum cum MARIA Matre ejus, cave, ne talem tantummodo ſuſpiceris, quales ceteros mulierum natos: ſed ex adoratione & münere, crede Deum ſimul eſſe, quem MARIA Virgo mundo edidit, & portavit in ſinu, ac Magi ſummâ religione proſecuti ſunt.

Adſcende tandem montana Iudææ, intra domum Zachariæ, & require ab Elizabeth, illius uxore, unde ſimul cum uteri ſui infante Spiritu S. repleta ſit? *Quoniam,* inquit, *venit Mater Domini mei ad me.* Zacharias verò: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit & fecit redemptionem plebi ſuæ Iſraël.* De montanis Iudææ deſcende, atque

que cum diſcipulis vade ad Sponſi Canæ Galilææ convivium, ibi interroga miniſtros cujus interventu inopia nuptiarum iſtarum tempeſtivè ac mirabiliter ſuppleta, honorique caſti connubii proviſum? Illi dantes gloriam Deo, uno ore fatentur, *Quia erat Mater* IESV *ibi*, dicens ad Filium: *Vinum non habent.*

Ex his reſponſis facilè colligitur, quantum bonum ex MARIA homini proveniat, ſcilicèt IESVS Salvator, ejuſque Matris patrocinium efficax. D. Anton. 4. p. tit. 15. c. 17. §. agens de bono quod Deipara mundo contulit, non minus verè quàm piè idipſum his verbis eloquitur. *Maximum etiam effectum miſericordiæ nobis impendit, quibus nobis miſeris, & captivis, & mendicis dedit Filium ſuum Deum, captivis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum; & cum ipſo dedit nobis regnum cælorum, & omne bonum.*

§. II.

Iudæus pænitens ſanatur.

MARIÆ Deiparæ pietas non tantum ex Euangelio (cujus teſtimonium in Eccleſia Catholica factum eſt credibile nimis) innoteſcit, verum etiam ex Chronicis, ſeu rerum Eccleſiaſticarum Scriptoribus. Perge itaque ad Iudæum de quo Nicephorus l. 2. Hiſt. c. 22. illum interroga, unde in exſequiis Virginis Matris velut ſacrilegus percuſſus, mox verò pœnitens ſanitati reſtitutus fuerit? Ipſe palam coram Eccleſiæ conventu copioſo teſtatur, dicens: Periiſſem utique, niſi merita Dei parentis pro me apud Deum interceſſiſſent. Apertius declaro eventum. Apoſtoli, aliique viri ſancti, qui ad obitum Virginis Ieroſolymam convenerant, ut dignâ veneratione ac pietate eidem Genitrici Dei parentarent, devotam versùs hortum Gethſemani, ubi ſepeliri optârat, inſtituerunt proceſſionem. Quidam de hoc ſacro cœtu cum luminaribus præibant, alii deportabant feretrum, omnes autem pari religione hymnos Deo pſallebant: In via occurrit Iudæus ex ordine Sacerdotum, odio & invidiâ adversùs fidelium ritus æſtuans. Deinde adeò temerarius extitit; ut impetum in ſacri pignoris loculum faciens, illam ad terram dejicere moliretur: aſt illicò facinus à Deo ultum. Nam manus, quas impiè admoverat, revulſæ pependerunt ex feretro. Hâc manuum mutilatione ultorem Deum expertus miſer; mox ſuper flagitio pœnitens, veniam cum lacrymis rogavit, & obtinuit. Nam jubente Petro, Apoſtolorum Principe, ſubſtitêre omnes, atque Iudæus ad feretrum propius accedens ſupplex; manus cum brachiis reparatas accepit.

103. *Vide Chriſtoph. de Caſtro de Deip. c. 21. n. 6. & Franc. Coſt. Med. vita B. V. 36. fin.*

Ultio divina ſimul & gratia.

D. Damaſc. orat. 2. de Deipar. dormit. plura alia intuitu Virginis mox ab eiuſdem obitu miracula recenſet: *Tum,* ait, *& morbi*

Miracula ad obitum B. V.

Digitized by Google

ſui nutritium, & cuſtodem ſecundùm carnem præfecerit. Quare non minus verè quam Ioannes dicere poteſt: *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: quod vidimus, & audivimus annunciamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & Filio ejus* IESU *Chriſto.* 1. Joan. 1.

Interroga prætereà multitudinem militiæ cœleſtis, cur ovium paſtoribus cum tanto ſplendore & jubilo intempeſtâ nocte apparuerint, terramque divinis encomiis repleverint ſociâ exultatione dicentes: *Gloria in excelſis Deo?* Reſpondent illi: *Quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in Civitate David.* Emmanuël magnum ejus. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum, &c.* Noli, quæſo, præterire paſtores ovium, Dei claritate circumfulſos, ſed ab iis require myſterium viſionis magnæ. Referant illi divinæ generationis librum, & annuntiant populis: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et, *de plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

102. Conſule ex hinc Magos Orientis, atque indaga, quid rerum cœleſtium in Bethlehem ad præſepe jumentorum repererint, quidve religionis exhibuerint. Ex perſona eorum reſponſum fert Matthæus: Nempe, *intrantes domum invenerunt puerum cum* MARIA *Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Senſum horum exponit Eccleſia per octavam Epiphaniæ canens: *Tria ſunt munera, quæ obtulerunt Magi Domino in die iſtâ, & habent in ſe divina myſteria. In auro, ut oſtendatur Regis potentia, in thure Sacerdotem magnum conſidera, & in myrrha dominicam ſepulturam.* S. verò Ambroſ. in Luc. *Aurum Regi, thus Deo, myrrha defuncto. Aliud enim Regis inſigne, aliud divinæ ſacramentum poteſtatis, aliud honor eſt ſepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui, ſed reſervet.* Unde quando audis, vel legis Magos inveniſſe puerum cum MARIA Matre ejus, cave, ne talem tantummodo ſuſpiceris, quales ceteros mulierum natos: ſed ex adoratione & munere, crede Deum ſimul eſſe, quem MARIA Virgo mundo edidit, & portavit in ſinu, ac Magi ſummâ religione proſecuti ſunt.

Adſcende tandem montana Iudææ, intra domum Zachariæ, & require ab Elizabeth, illius uxore, unde ſimul cum uteri ſui infante Spiritu S. repleta ſit? *Quoniam*, inquit, *venit Mater Domini mei ad me.* Zacharias verò: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit & fecit redemptionem plebi ſuæ Iſraël.* De montanis Iudææ deſcende, atque

que cum diſcipulis vade ad Sponſi Canæ Galilææ convivium, ibi interroga miniſtros cujus interventu inopia nuptiarum iſtarum tempeſtivè ac mirabiliter ſuppleta, honorique caſti connubii proviſum? Illi dantes gloriam Deo, uno ore fatentur, Quia *erat Mater* IESV *ibi*, dicens ad Filium: *Vinum non habent.*

Ex his reſponſis facilè colligitur, quantum bonum ex MARIA homini proveniat, ſcilicèt IESVS Salvator, ejuſque Matris patrocinium efficax. D. Anton. 4. p. tit. 15. c. 17. §. agens de bono quod Deipara mundo contulit, non minus verè quàm piè idipſum his verbis eloquitur. *Maximum etiam effectum miſericordiæ nobis impendit, quibus nobis miſeris, & captivus, & mendicus dedit Filium ſuum Deum, captivis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum, & cum ipſo dedit nobis regnum cælorum, & omne bonum.*

§. II.

Judæus pænitens ſanatur.

MARIÆ Deiparæ pietas non tantum ex Euangelio (cujus teſtimonium in Eccleſia Catholica factum eſt credibile nimis) innoteſcit, verum etiam ex Chronicis, ſeu rerum Eccleſiaſticarum Scriptoribus. Perge itaque ad Iudæum de quo Nicephorus l. 2. Hiſt. c. 22. illum interroga, unde in exſequiis Virginis Matris velut ſacrilegus percuſſus, mox verò pœnitens ſanitati reſtitutus fuerit? Ipſe palam coram Eccleſiæ conventu copioſo teſtatur, dicens: Periiſſem utique, niſi merita Dei parentis pro me apud Deum interceſſiſſent. Apertius declaro eventum. Apoſtoli, aliique viri ſancti, qui ad obitum Virginis Ieroſolymam convenerant, ut dignâ veneratione ac pietate eidem Genitrici Dei parentarent, devotam versùs hortum Gethſemani, ubi ſepeliri optârat, inſtituerunt proceſſionem. Quidam de hoc ſacro cœtu cum luminaribus præibant, alii deportabant feretrum, omnes autem pari religione hymnos Deo pſallebant: In via occurrit Iudæus ex ordine Sacerdotum, odio & invidiâ adversùs fidelium ritus æſtuans. Deinde adeò temerarius extitit; ut impetum in ſacri pignoris loculum faciens, illam ad terram dejicere moliretur: aſt illicò facinus à Deo ultum. Nam manus, quas impiè admoverat, revulſæ pependerunt ex feretro. Hâc manuum mutilatione ultorem Deum expertus miſer; mox ſuper flagitio pœnitens, veniam cum lacrymis rogavit, & obtinuit. Nam jubente Petro, Apoſtolorum Principe, ſubſtitêre omnes, atque Iudæus ad feretrum propius accedens ſupplex; manus cum brachiis reparatas accepit.

103. *Vide Chriſtoph. de Caſtro de Deip. c. 21. n. 6. & Franc. Coſt. Med. vita B. V. 36. fin.*

Ultio divina ſimul & gratia.

D. Damaſc. orat. 2. de Deipar. dormit. plura alia intuitu Virginis mox ab eiuſdem obitu miracula recenſet: *Tum*, ait, *& morbi fugam*

Miracula ad obitum B. V.

Digitized by Google

fugam capeſſebant, & dæmonum catervæ pellebantur, atque ad ſubterraneas partes undique exigebantur. Et mox: *Atque hic ſurdis auditus, claudis pedum ſanitas, peccatoribus in fide accedentibus ſyngraphæ lacerabantur.* Rurſus agens de miraculis, quæ ex Deiparæ manabant ſepulchro (quod merito Sanctorum ſepulchrorum poſt Domini ſepulchrum ſacratiſſimum appellat) introducit ſepulchrum Virginis, ita loquens, ægroſque ad ſe invitans. *Nunc me circumdant Angeli, nunc divina in me habitat gratia, ego evaſi officina ægrotantibus, ego fons perennis curationum, ego remedium contra dæmones, ego Civitas refugii, omnibus ad me confugientibus, &c.* Idem teſtatur Sim. Metaphraſtes orat. de vit. & dormit. Deip. & Niceph. l. 2. Eccleſ. Hiſt. c. 22. Vide Chriſtoph. de Caſtro de Deip. c. 21.

§. III.

Roma ope B. V. à peſte liberatur.

104 ACcede jam Gregorium Magnum, poſtula ab eo, cujus beneficio & gratiâ, peſtilentia Romæ diu ſæviens, ſtragemque immenſam faciens, tandem deſierit? Reſpondet ille, publicisſque tabulis adnotat, videlicèt, Reginæ cœlorum meritò & interpellatione Domino placato, ceſſavit mortalitas. Hinc in gratiarum actionem Antiphona: *Regina cœli lætare, alleluia,* quam Angelus audiente Gregorio cecinerat, deinceps ab Eccleſia cœpit ſolemniter Paſchali tempore decantari in terra. Beneficium iſtud ita dilucidius enarrat. Romæ acrius indies furente peſtilentiâ, Vrbs aſſiduis funeribus exhauriebatur, itaque mœſtum ubique ſilentium triſtiſque luctus paſſim univerſam civitatem tenebant, prementium malorum magnitudine jam deſpondentem. Quâ re animadversâ D. Greg. 4. Kalendas Septembr. populum ad Concionem in Baſilica Sabinæ vocavit, & divino repletus Spiritu ad flagella flagellis avertenda plebem incitavit. In fine hæc adjecit: *E ſingulis autem ædibus in hunc modum egreſſi, in ædem B. MARIÆ ſemper Virgin. Matris* IESV *Chriſti Domini noſtri conveniamus, ac longis ibi fletibus & gemitibus Domino ſupplicantes, peccatorum noſtrorum veniam imploremus.* Interim indies peſtilentia magis ſæviebat: ad ceteros autem caſus, quibus homines paſſim abſumebantur, hoc etiam mali acciderat, quòd multi cùm ſternutarent, alii cùm oſcitarent, ſpiritum repentè emittebant: quod cùm ſæpius eveniret, conſuetudo inducta fuit, quæ nunc etiam obſervatur, ut ſternutantibus ſalutem imprecando, oſcitantibus ſigno crucis ori admovendo, præſidium quærerent: quibus rebus permotus Gregorius ad cetera cœleſtis iræ piacula, poſtero anno, qui fuit quingenteſimus nonageſimus primus, religioſam in die Reſurrectionis Domini inſtituit ſupplicationem,

Greg. Magn. inſtituit proceſſionem ad Deum placandum.

tionem, atque ſolemni pompa ſanctam Dei Genitricis Imaginem extulit. Hæc ex ore ejus Lucæ Euangeliſtæ manu affabrè facta ad vivum expreſſa, jam tum in æde D. MARIAE ad præſepe in Exquiliis ſita, eximiâ populi religione conſervabatur. Factum eſt autem ut Imaginem ipſam, quocumque ferretur, tetrâ peſtilentis cœli gravitate cedente, optata ſalubritas ſequeretur. Qua de re gratulantibus omnibus, ecce Angelus ſanctam Virginem his de cœlo vocibus alloqui auditus eſt: *Regina cœli lætare, alleluia: quia quem meruiſti portare, alleluia, reſurrexit ſicut dixit, alleluia.* Quam orationem ubi Gregorius auribus excepit, ſtatim divino inſtructus ſpiritu in hunc modum explevit: *Ora pro nobis Deum, Alleluia.* Neque ita multo poſt ſupra Adriani molem adſtans Angelus ſtrictum mucronem vagina recondere viſus eſt, quo animadverſo Gregorius exhilaratus, converſo ad populum ore: *Bono,* inquit, *animo eſtote: nam optatus divinæ iræ ac furentis jam peſtilentiæ finis, Deo ipſo annuente, oſtenditur;* atque ita, ut ille præſenſit, ipſe deinde morbus elanguit. Cartagena l. de Mirand. Deip. §. 101.

Antiph. Regina cœli ab Angelis cantata tempore Gregorii initium habet.

§. IV.

105. Julianus tyrannus agente B. V. per S. Mercurium necatur.

DEipara quoque fuit, teſte Fulberto Epiſcopo aliiſque, quæ olim in auxilium magni Baſilii miſit S. Angelum, qui mortuum ſuſcitaret Mercurium militem Martyrem, qui egreſſus de tumulo, lanceam ſuam in Eccleſia appenſam arripiens, Iulianum Apoſtatam Imperatorem, fidelium perſecutorem (qui minatus fuerat Baſilio ſe in reverſione ex prælio contra Perſas, everſurum civitatem cum habitatoribus, ubi ipſe Baſilius præſulabatur) vulneravit ad mortem, unde & mortuus eſt. Vide partem 2. ubi de S. Baſilio.

§. V.

Mundus ope B. V. divinam ultionem evadit.

POſt hos adi doctiſſimum æquè, ac ſanctiſſimum Antiſtitem Antoninum, eumq; roga, quos ævo DD. Patriarcharum Franciſci & Dominici Deum delere volentem mundum, ob multam malitiam inhabitantium in eo, averterit, ne idipſum faceret? certè verificatum illud Lucæ fatebitur. *Et erat ſubditus illis.* Ipſius Sancti in medium produco verba: *Numquam,* inquit, *fuit aliquis Sanctus, vel Sancta, ita affecta ad ſalutem, & omne bonum populi Chriſtiani; ſicut B. V.* MARIA. *Unde cùm Chriſtus vellet tribus lanceis mundum perdere propter tria vitia mundi, ſcilicèt ſuperbiæ, avaritiæ, & luxuriæ, B. Virgo precibus ſuis obtinuit dilationem ſententiæ, dicens, ſe miſſurum in mundum ad prædicandum B. Dominicum, & B. Franciſcum cum ſuis, ut ſic reducerentur.*

106. B. V. tempore SS. Franciſci & Dominici placat iram Dei.

§. VI.

§. VI.

Theophilus ope B. V. à poteſtate dæmonis liberatur.

107. IAm ſi placet conveni Archidiaconum, ſeu Oeconomum Theophilum, eumque roga, unde diaboli laqueis, quibus infelix irretiabatur & opprimebatur, liber evaſerit? Credo firmiter, dabit gloriam Deo, ac confitebitur; quia, Mulier virtutis contrivit caput ſerpentis. Hujus Theophili meminerunt fide digni Authores, atque, ut ſequitur, Hiſtoriam narrāt. Iuſtiniano imperante Theophilus floruit, Eccleſiæ Adonæ Vrbis in Sicilia Oeconomus, vel ut alii putant Archidiaconus, cujus tanta erat, vel gratia, vel ſanctitas ut mortuo illius Vrbis Epiſcopo populi univerſi conſenſu ad pontificatum ſit poſtulatus Theophilus, quod tamen munus ille conſtantiſſimè repudiavit; negans eum ſe eſſe, qui Eccleſiam gubernare poſſet, & gregi commiſſo commodè providere, & quoniam virtutis, & quæ virtutem, velut umbra corpus, ſequitur, gloriæ comes ſolet eſſe invidia, Theophilus ab inimicis injuſtè accuſatus, & falſis criminibus circumventus, de illo ejectus eſt œconomiæ officio, quem dignum Epiſcopatu populus paulò ante judicâſſet. Theophilus non tulit injuriam, quam Chriſti, & Sanctorum exemplo ferre debuiſſet, in eamque efferati animi rabiem devenit, ut hortante quodam Iudæo, magiæ dedito, à Chriſto ejuſque matre puriſſimâ, ſyngrapho dato, defecerit, & ſacroſanctæ fidei Catholicæ deſertorem publicum egerit, ac ſe totum imperio ſatanæ devoverit, quem ſatanam oculis vidit perfidioſis, quem diximus Iudæi artibus excitum, & nefariis cantionibus invocatum. Quid agat miſer Theophilus, quondam tam fortis & abſtinens, thiaræque pontificiæ contemptor, nunc in imum miſeriæ fundum barathrumque dejectus? æſtuat, furit, inſanit, nullo in loco conſiſtit. In tantis angoribus, tantaque animi perturbatione, nubilo cœlo conſerenante pauliſper, ad Dei Matrem confugere ſtatuit, quæ deſperatiſſimis quibuſque morbis ac malis mederi conſuevit. Vbi in templum, MARIÆ perpetuæ Virgini ſacrum, intravit, jejuniis corpus attrivit, miſericordiæ parenti preces obtulit, animo cœpit eſſe meliore. Verba hæc fuêre Theophili deplorantis & flagitium agnoſcentis, nec non Virginem implorantis: *Domina mea, ſolatium meum, ſpes mea unica, cui Angelus benedixit, humani generis tutela, & omnium quotquot ad te confugiunt portus, & ancora, ſave, ſuccurre, ſubveni, meique omnium, quos terra tulit, longe deterrimi, miſerere. Scio enim quanto me facinori ſtrinxerim, qualem & tibi, & ex te genito Filio injuriam intulerim; graviſſimi deterrimique ſceleris reum me eſſe* Oratio Theophili ad B. V.

Digitized by Google

eſſe confiteor; ſed intimo ſenſu dolentem, gementem, & perfidiam execrantem, Deipara, ſuſcipe, tuo me filio ſiſte, ubi mei conſervatoris Chriſti iratum animum ad benevolentiam lenitatemque deduxeris: qui numquam ſinit ſe à matre ſua fruſtra exorare; miſerrimi Theophili preces exaudi, quem veterator premit antiquus, tenet captivum. Flet, ejulatque deteſtandi fœderis recordatione Theophilus, quærelis omnia complet atque ſuſpiriis, faciem verberat, humi cubat, & in Virginei templi jejuniis hæret pavimento. Ad Dei Matris converſus effigiem. *Te*, inquit, *ter alma, quam iſta nobis proponit imago, te proximè & ſecundùm Deum adjutricem, & advocatam, qui peccavimus, habemus, ad te adſpiciens intacta illa ſervabo atque integra, quæ tibi vota nuncupo. Neque enim remedium poſt Deum quæri poteſt aliunde niſi à te, quia ſola reſtas, ut nobis ſis ſaluti, quos angit ſceleris conſcientia graviſſimi.* In hac æde Virginis ſanctiſſimæ dies Theophilus quadraginta permanſit, nullumque orandi, lamentandi, patrociniumque MARIAE Virg. implorandi finem faciebat. Tãdem verborum, precationis, jejunii, perſeverantiſque fiduciæ fructus apparuit. Nam Theophili lacrymoſæ preces ita Virginem exorârunt, ut nefarium illud chyrographum, quod ſua manu Theophilus exarârat, ſigillo conſignârat, dæmonique tradiderat, de manu deceptoris extortum, Virgine juvante receperit, metumque poſuerit. Tabellis, ut ajunt, obſignatis cum Theophilo agere, & eum chyrographo convincere tenebricoſus jam ille non poterat, poſteaquàm ad Theophilum ſcheda redivit, in qua fidei horribilis nefariaque inficiatio legebatur. Cumque animi verè pœnitentis documenta dediſſet, & per Epiſcopum reconciliatus eſſet Eccleſiæ, eo ſanctitatis celſitudiniſque pervenit, ut in Sanctorum numerum relatus adſcriptuſque ſit. Carthagena de Mirand. Deipar. 148. tom. 3.

§. VII.

MARIA Ægyptiaca ope B. V. ad meliorem vitam reducitur.

POſt colloquium cum Theophilo perge recta ad Ægyptiacam MARIAM, & ab ea inquire, unde diu in cœno voluptatum carnalium volutata, tandem ex eodem emerſa caſtiſſimè in omni ſanctimoniâ de cetero vixerit? Dicit illa: Domini eſt ſalvatio noſtra, & ſanctæ MARIAE Reginæ noſtræ pientiſſimæ. Hujus mulieris vitam & converſionem ita deſcribunt.

Ægyptiaca illa MARIA, cujus in vulgus cognomen eſt notum, 108.
plurimos annos libidini impudicitiæque ſervivit, rebuſque uſa venereis, turpitudini fræna laxavit. Sed qui ad Magdalenam reſpexit, hujus etiam miſertus eſt Deus, quo adjutore peregrinationem ad ſacram Ieroſolymorum Vrbem ſuſcepit,

Digitized by Google

ſuſcepit, quam ex toto orbe Chriſtiani propter noſtri liberatoris ac vindicis mortem, crucem, & ſepulturam piis & votis, & itineribus frequentabant. Ibat quidem impudica meretrix ſcortandi animo, ac ſe multis in Vrbe celeberrimâ pervulgandi, Dei tamen infinita bonitas meliora ſalubrioraque providit. Aditâ jam Ieroſolymâ, cùm in religioſiſſimum illud Chriſtianorum templum vellet intrare, viroſque lenociniis captos, virtutum theſauro, auro, argentoque longe pretioſiore, privatura, pedem fruſtra intentat inferre. Nam ingredi conantem vis quædam divina repulit, iterum atque ſæpius intrare cupientem, eadem illa virtus divina retardavit; cumque à templi valvis ſe divinitus cerneret prohiberi, ac ſecum tacitè cauſam perveſtigaret, libidinoſæ obſcœnæque vitæ infamia ſe primò oculis mentis oſtendit, & colluvio flagitiorum, quorum ſibi conſcia, ſe agnoſcere, & vitæ ſuperioris errata longo intervallo lamentari cœpit. Ergo ad Deiparæ imaginem, quæ in templum ingreſſuris prima patebat, oculos & vultum primò ſuſtulit, & in hunc modum flens atque ejulans cum Chriſti matre colloquitur, cujus memoriam ſancta illa effigies excitabat: *Domina Virgo, quæ immortalem Deum corpore mundiſſimo, & animâ omnis maculæ experte genuiſti, adjuva me deſertam & ſolam, nihilque habentem adjumenti: & quando ille idem, quem immaculata peperiſti, ut eos, qui peccant, vocaret ad pœnitentiam, venit in mundum, tu mihi dexteram porrige ex his vitæ ſordibus, cœnoque impuriſſimò emergere cupienti.* Deinde pollicita eſt omnibus mundi illecebris, quæ ſunt invitatrices voluptatum, pro nihilo habitis, vitæ curſum ſe eſſe directuram, & mores corruptiſſimos mutaturam, tantùm in templum iſtud auguſtum introire, & Dei offenſi gratiam reconciliare liceret. Virgine deprecante, poſt preces emiſſas & vota, licuit ſalutiferi ligni, & Chriſti mortis ſanctiſſimæ atque beneficentiſſimæ renovare memoriam: permiſſum eſt religioſis laudibus & præconiis noſtræ redemptionis myſteria proſequi, conceditur cœleſtibus animum explere deliciis, & clementiſſimæ matris opem experta, etiam atque etiam ſe illi commendavit, & ejus ad voti ſolutionem pium patrocinium implorabat. Inde digreſſa, tantum abfuit, ut vitæ prioris errata repeteret, relaberetur in vitia conſueta, mundi ſuavitates reguſtaret, Ægyptiique ollas in Ægypto nata atque educata requireret, ut corporis immemor in ſolitudine vixerit, commiſſaque ſcelera incredibili aſperitate punierit: pugnas verò cum dæmone cùm aſſiduas, tum horribiles, truces, feraſque eo ſuperabat alacrius, quo ſæpius Virginem invocabat. Hæc erant ſolitariæ MARIAE verba ſemper in ore. *Tibi, ô ſanctitatis amatrix, quæ mihi tale immerenti, te tam humanam præbuiſti, neque ſpurcæ meretricis*

MARIA prohibita ingredi templum, ope B. V. ſit ei poteſtas.

Oratio MARIÆ Ægyptiacæ.

MARIA ſaniora concipit.

MARIA peccatrix ad eremum ſecedit.

Ad B. V. ſæpe confugit.

retricis preces repudiâſti ſit honor & gloria : eſto mihi ſalutis magiſtra, & rerum præceptrix divinarum, viam ad pœnitendum indica; neque me improbam, & perditam ullo umquam tempore derelinque. Hâc quidem ſuccurrente Virgine, & ſolatia de cœlo immittente, annos ſeptem, & quadraginta Maria, nova jam mulier, in eremo traduxit, diabolique multiplices pugnas, Virgine, quæ caſtitatis patrona eſt, adjuvante, confregit. Carthagena ſup. §. 59.

§. VIII.

Beata Virgo in agone mortis adſiſtit Carolo Birgittæ filio, &c.

109. NE omittas velim ingredi Birgittæ, viduæ ſanctæ, triclinium: etenim inſtar Sanctorum Prophetarum videns eſt, atque divinorum ſecretorum conſcia. Libr. 1. ſuarum Revel. cap. 29. in hunc modum Deipara eam alloquitur: *Quamvis ſic ſublimiter ſedeo, tamen audio amicos meos in terra exiſtentes, mihi quotidie gemitus fundentes, & lacrymas. Video labores eorum, & efficaciam eorum majorem, quàm illorum, qui pugnant pro Domina ſua ſuperbia. Ideo viſitabo eos, & collocabo eos mecum in ſede mea, quæ ſpatioſa eſt, & omnes bene poteſt capere. Sed nondum ad me venire, nec ſedere adhuc mecum poterunt, quia adhuc duo muri ſunt inter eos, per quos fiducialiter deducam eos, ut ad ſedem meam veniant. Primus murus eſt mundus, qui eſt arctus, propterea ſervi mei in mundo conſolabuntur per me. Secundus murus eſt mors, ideo ego chariſsima Domina eorum, & mater, occurram eis in morte, ut etiam in ipſa morte conſolationem, & refrigerium habeant, & collocabo eos mecum in ſede cæleſtis gaudii, ut in brachio dilectionis perpetuæ, & æternæ gloriæ cum exultatione immenſa æternaliter requieſcant.* Sic ibi. Quære ergo jam à Prophetide iſta, quantum filio Carolo in hora mortis Deiparæ Virginis ſuffragium præfuerit? Ingenuè profectò illa fatebitur. Ipſam liberavit Caroli animam de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Sanctiſſima ſiquidem Deipara illi apparens curam & ſtudium, quod erga Carolum agonizantem geſſit, his verbis expoſuit. l. 7. Revel. c. 13. *Ego*, ait, *ſteti prope filium tuum Carolum, paulo antequam emiſit ſpiritum, ut carnalem amorem non ſic in memoria haberet, quod propter eum aliquid Deo contrarium cogitaret, vel loqueretur, nec aliqua Deo placentia vellet omittere, neque illa, quæ poſſent eſſe quomodolibet divinæ voluntati contraria, vellet perficere ad animæ ſuæ nocumentum. Ego etiam taliter juvi eum in illo arcto ſpatio, id eſt, exitu animæ ſuæ à corpore, ut non tam duram pœnam ſuſtineret in morte, quòd ex ea inconſtans fieri poſſet, aliquantiſper deſperando, & ne Deum in morte oblivi ſceretur. Ego etiam cuſtodivi taliter animam ab ipſis immortalibus inimicis, id eſt, dæmonibus,* quod

B. V. in cœlis novit labores ſervorum ſuorum & ſolatur.

quod nullus eorum tangere poſſet. Sed ſtatim cum egreſſa fuit è corpore accepi eam in meam cuſtodiam, & defenſionem. Quo facto turba dæmonum feſtinanter fugit, & receſſit, qui ex ſua malitia ipſam cupiebant deglutire, & æternaliter cruciare. Et parùm infra: Angelus itidem teſtatur B. Virginem Dei Genitricem ex virtute ſua eidem Carolo contuliſſe quidquid illi deerat in armis ſpiritualibus, & indumentis, quæ pertinent ad milites intraturos in regnum cœli ad ſummum Imperatorem.

110. Non minus ejuſdem Reginæ matris meritum, & interceſſio apud tribunal Iudicis ſummi cuidam flagitioſo profuit. Eventum proceſſus felicem refert his verbis. D. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 5. §. 1. Quidam grandis peccator ductus eſt per viſionem ad judicium Dei, ubi per quatuor allegationes diabolus voluit probare eum eſſe ſuum. 1ò ratione publici inſtrumenti, quod Deus dictavit, cum dixit: *In quacumque hora comederitis ex eo, morte moriemini.* Cùm ergo iſte ſit ex ejus progenie, debet mori. Sed B. Maria, cui ille devotus erat; reſpondit ut Mediatrix, & Advocata: Iſtud tu dæmon falſificâſti, quia ad illud addidiſti: *Nequaquam moriemini*, & ideo tamquam falſarius repellendus es. 2ò diabolus dixit eſſe ſuum ratione præſcriptionis, quia ſcilicèt multis annis eum in ſervum poſſedit. Ad quod Mediatrix Maria reſpondit. Illa præſcriptio fuit ſæpe interrupta, & ideo non valet: quia ratio ejus ſemper murmurabat, & contradicebat, quòd tam crudeli domino ſerviebat. 3ò dixit diabolus eſſe ſuum ratione proprietatis peccati. Nam peccato proprium eſt, eſſe ponderoſum Pſalm. 37. *Sicut onus grave, gravata ſunt ſuper me, &c.* Et quia ponderoſum, ideo trahit ad centrum terræ, ſcilicèt infernum, & ideo illuc demergendum. Cui Mediatrix reſpondit, quòd pœna, & paſſio Filii ſui plus omnibus ponderavit, & ſurſum quodammodo trahit peccatores Iob 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, &c.* 4ò Allegavit, quòd plura erant ejus mala, quam bona. Et cum ad præceptum Iudicis in ſtatera appenderentur bona & mala, & ſtatera, in qua erant mala, præponderaret, ſubitò B. Maria manum appoſuit ad ſtateram ſeu balantiam in qua erant bona, etſi pauca, & traxit eam ad terram, & præponderavit alteri. Tunc diabolus confuſus abſceſſit, & ille evigilans vitam ſuam in melius commutavit. Sic apud Anton.

B. V. à dæmone accuſatum apud Deum defendit, & liberat.

§. IX.

B. V. ſuis devotis procurat confeſſionem.

Viſita item Pelbartum Minoritam, & lege illius ſtellarium præſertim l. 7. p. 3. art. 3. ibi tradit B. Virginem, etiam dum viveret, pietatis miracula innume- 111.

Digitized by Google

ra patrâſſe his verbis. Quòd ipſa, inquit, habuerit donum miraculorum, & fecerit miracula in ſua vita teſtantur Sancti de ejus vita hiſtoriam ſcribentes. Et præcipuè S. Germanus dicit, quod ipſa adeò claruit in vita miraculis, quòd innumeros ægros, & debiles curavit, & dæmones ab obſeſſis fugavit: qui audito ejus nomine ſolo, mox exierunt, & ad ejus intuitum horridè clamabant, quod ipſi ferre vultum Dei Matris non valebant. Refert idem, quòd B. Virgo, cùm vixit, tres mortuos ſuſcitavit, &c. Subjungit enim ibidem totam Hiſtoriam ex Germano uſque finem libri, quem (ait Georg. Colvenerius Doctor Theologus Duaci in Kalend. B. V. 15. Maji) credo intelligere Patriarcham Conſtantinop. Verùm quia beneficiorum miracula poſt mortem ejus jam regnantis in cœlo luce meridiana clariora ſunt, ac facilius, à viris fide dignis relata, recipiuntur, velim tranſilias ad ejuſdem Stellarii l. 12. p. 2. art. 1. ibi oſtendit Virginem beatiſſimam ſuis devotis procurare conſueviſſe, ut non ſine confeſſione ſacramentali ex hac vita diſcedant: quæ ne quid adderem, aut detraherem, iiſdem ſuis verbis mihi referenda exiſtimavi, ex quibus duo poſteriora ſuo tempore accidiſſe, ſibique ſatis cognita eſſe teſtatur: cùm enim vellet Virginis devotionem ſignum eſſe prædeſtinationis ſeu ſalutis probare, id ubi auctoritatibus & rationibus demonſtrâſſet, in ejuſdem veritatis confirmationem, tria hæc miracula addidit: loquitur ergo in hunc modum.

B. V. fuit in vita miracula.

B. V. mortuos ſuſcitavit.

Oſtenditur concluſio prætacta ex miraculis, & revelationibus. Nam refert Anſelmus in l. mirac. & hoc idem narratur etiam in l. qui intitulatur *Scala cœli*: quòd quidam fuit princeps latronum, qui quodam ſabbatho cum veniſſet ad domum cujuſdam mulieris pauperis, vidit jejunantes filias mulieris, & etiam ipſam mulierem, & requiſivit cur die ſabbathi jejunaret: at illa reſpondit; quia didici, inquit, à ſancto quodam viro prædicante, quòd quicumque jejunat ob devotionem B. MARIAE in Sabbatho merebitur confeſſionem facere in articulo mortis, & non decedet ſine gratia veræ pœnitentiæ, atque damnationem evadet. Tunc ille latro ait, & ego voveo B. Virgini, quòd, quamdiu vixero, diem ſabbathi jejunabo, quod cum feciſſet continuè, accidit poſt multos annos, ut iſte latro caperetur in ſcelere, & ſine dilatione decapitatus eſt. Ecce mirum: ipſum caput præciſum cœpit continuè clamare, & dicere, confeſſionem, confeſſionem, confeſſionem. Stupefacti homines qui aderant, ad villam miſerunt pro Sacerdote, qui veniens caput ipſum univit corpori, & tunc latro ait: hoc bonum ad reverẽtiam B. Virginis feci in vita, ut jejunarem ſabbathis, & dum, factâ decapitatione, diaboli vellent rapere animam meam, adfuit B. Virgo, quæ ani- 112.

Sabbathum jejunans non moritur ſine confeſſione.

Digitized by Google

mam meam non permiſit exire de corpore meo quouſque contritus ſum plenè & confeſſus, ut damnationem evadere valeam, & ſic confeſſis omnibus peccatis, ac poſtulatis devotè ſuffragiis mortuus eſt: porro homines hoc videntes magnificaverunt Deum, & laudaverunt Christi clementiam in B. Virgine.

Plura alia miracula, inquit Pelbartus, idipſum atteſtantia, referuntur à SS. Patribus priſtinis temporibus facta: ſed quoniam manus Domini non eſt abbreviata, his etiam noſtris temporibus certa acciderunt miracula ad id fidem facientia. Nimirum à fide dignis viris, qui adfuerunt & viderunt,

113. Alius miles non poteſt mori niſi prius confiteatur.

referentibus didici, quòd, cùm ad partes tranſalpinas Imperator Sigiſmundus (qui anno 1437. obiit) bellando acceſſiſſet, contigit inibi quemdam militem cecidiſſe: poſt multos annos, cùm iterato idem Imperator ad illas partes acceſſiſſet cum exercitu, omnibus audientibus vox, quaſi fletus ſcilicèt, ac lugubris ſibilationis cœpit inſonare, cumque cuncti quidnam foret mirarentur, de mandato Imperatoris cœperunt inquirere inter vepres ſilvaſque & lucos circumjacentes; & ecce repererunt quoddam cadaver jacere in quodam rubo putrefactum, adeo quòd increſcentes junci & ſpinæ veprium ipſum pertranſeundo penetraverant, & ex illo cadavere ſonus ille flebilis audiebatur reſonare, unde clara voce ait adſtantibus, & quid foret conquirentibus, dicens: habetiſne preſbyterum cui confitear, afferte mihi, Domini. Ego etenim ante annos plures in bello Sigiſmundi Imper. miles fui, & in hoc loco pugnæ corrui: ſed quoniam, B. MARIÆ in vita mea ſemper devotè ſervivi, ideo ejus meritis faventibus id mihi à Deo conceſſum & donatum miſericorditer, ne anima mea à corpore ipſo, jam pene conſumpto & tabefacto, diſſolveretur, ut damnationem æternam evaderem; unde tota anima mea in me tenetur, nec mori poſſum, donec plenè confiteor, quia habeo damnabilia crimina, quæ commiſeram. Et pro veritate hujus confirmanda, mox ut confeſſus fuero, à flebili ſibilo hoc meum cadaver ceſſabit, animâ diſſolutâ, quæ uſque modo miraculosè eſt per Virginem Beatam retenta. Tunc obtulerunt ei ſacerdotem, & factâ confeſſione ac abſolutione, mox, reſolutâ animâ, vocis illius ſonus ceſſavit. Et tunc tam Imperator, quàm omnes qui aderant, Deum & B. MARIAM laudaverunt. Ecce ergo miraculum.

Item, vidi, ait Pelbartus, quemdam oculis virum, qui fide mediante aſſeruit, ſe fuiſſe unà cum duobus ſociis navigantibus, & aquis ſubintrantibus in medio fluvii Danubii ſubmerſum, aliis natando evadentibus, ipſe ſolus in profundum deſcendit, eo quod natare ignoravit. Et eidem in profundo facta eſt vox, dicens, ô homo, ecce mori deberes, & quia peccata 114. Peccator ab inſtante morte liberatur ope B. V. ut confiteatur.

cata habes damnabilia, deberes damnari, ſed ex eo quo ſerviviſti B. MARIAE Matri Dei, en donatum eſt tibi ut libereris, & peccata confitearis. Cùm ſui ſocii natantes in villa prope exiſtente appretiatos piſcatores adduxiſſent, qui hunc, quem credebant ſuffocatum in flumine, requirerét: cum tribus diebus illum quæſiviſſent, nec reperiſſent, & iam vellent abire, ecce illis videntibus de profundo fluminis ad ripam homo conſcendit, & geſta narravit, atque mox ad confeſſionem faciendam ad me devenit. Patet ergo quoniam qui MARIAE ſervit ſaltem in morte ad pœnitentiam & confeſſionem faciendam dabitur ei gratia, ac damnationem evadendo perveniet ad regna cœleſtia. Hactenus Pelbartus.

§. X.

B. V. ſibi devotos à periculis eruit.

115. CONverte demum oculos ad ſpeculum magnum exemplorum, ibi ſequentia comperies diſtinct. 9. n. 133. Miles quidam Regi charus morti proximus, filio, quem unicum habebat, inter alia impensè commendavit, primùm, miſſam ut quotidie integram audiret; 2dùm ut Deiparæ pietati ſtuderet, ac virginitatem coleret, vel ſaltem à fornicatione abſtineret,

Salutaria cujuſdam parentis monita.

Is ergo parentis demortui dignitatem apud Regem conſecutus, patris monita fideliter ac ſtudioſè ſervabat, adeoque omnibus charus erat. Verùm cùm ab æmulo quodam apud Regem ſuſpecti in Reginam amoris crimine, per invidiam accuſatus eſſet. Rex leviſſimo indicio nimis credulus, iis, qui laterum calciſve fornacem curabant, præcepit, ut primum quemque à ſe ſequenti die ad eos miſſum in fornacem ignis projicerent. Rex ergo manè juſſit innocentem militem ad fornacem pergere, & apud fornacis magiſtros Regis præceptum urgere. Is digreſſus à Rege, audito campanulæ ſigno in Eccleſia, quæ in via occurrebat, ad eam divertit, Miſſam de more auditurus, vel juxta parentis conſilium oraturus. Cumque preces ad Deiparam fudiſſet, eique animam cum corpore, ſuam item virginitatem commendâſſet: mox etiam Dei nutu ad horam obdormivit. Interea æmulus ille à Rege impetravit, ut ejus nomine ad fornacem accederet, intelligeretque num Regis imperium executi fuiſſent. Quò cum contento curſu eques perveniſſet, quæſivit ab eis num Regis edictum perfeciſſent. At ii, non perfecimus inquiunt, ſed abſque mora perficiemus; atque acceptum hominem, fruſtra reclamantem ac ejulantem, ac negantem ſe eſſe hominem illum, qui ex Regis ſententia eſſet comburendus, in ignem conjecerunt. Haud ita multo poſt ſubſequitur innocens miles, cognovitque à miniſtris præceptum,

Invidus incendium, quod inſonti ſtruxerat, ſubire cogitur.

ceptum Regis jam planè perfectum. Atque ea quidem omnia cum Rex ordine intellexiſſet, ſimul etiam didiciſſet, quâ occaſione innocens ille diutius ſubſtitiſſet; æmulus verò igne abſumptus eſſet; Dei quidem providentiam, & militis innocentiam admiratus, arctiore eum amplexus eſt ſtudio. Hic vero Deum laudibus effert, in Dei ac Deiparæ obſequio devotus perſtitit, & tandem migravit ad Dominum.

116. *B. V. matronam ſibi devotam à dæmonis tyrannide ſervat.*

Idem Speculum diſt. 8. n. 61. Miles alius ope dæmonis magnam vim auri, argenti, & lapidum pretioſorum ſub hac conditione & promiſſo acquiſivit, ut certo die & loco uxorem ſuam ad illum duceret. Erat autem uxor ſua pudiciſſima, & Deiparæ valde devota, cui ideo invidit princeps tenebrarum, & perdere volebat, Appropinquante itaque die ſtatutâ miles conjugem trementem, & paventem, ſeque devotè Virgini commendantem equum conſcendere fecit, & ſe comitari. Cùm autem longius proceſſiſſent, & in via quamdam Eccleſiam inveniſſent, illa de equo deſcendens Eccleſiam intravit, viro exterius expectante. Dum verò B. Mariae ſe devotè commendaret, illa ſubito obdormivit, & Virgo glorioſa in habitu dictæ matronæ, & qualitate per omnia ſimilis, de altari proceſſit, & foras exiens equum conſcendit, matronâ illâ in Eccleſia dormiente, & remanente. Vir autem ſuam uxorem eſſe arbitratus profectus eſt. Cum autem ad locum ſtatutum veniſſent, ecce princeps tenebrarum cum impetu nimio veniebat, & ad locum feſtinabat, ſed cùm appropinquâſſet, ſtatim ille infremuit, & tremens ac pavens accedere non præſumpſit, dixitque militi: infideliſſimè hominum, cur mihi taliter illuſiſti, & pro tantis beneficiis mihi talia contuliſti? Ego enim tibi dixeram ut ad me adduceres tuam conjugem, & tu mihi adduxiſti Domini Genitricem, volebam uxorem tuam, & adduxiſti mihi Mariam. Nam cum uxor tua multas mihi inferat injurias de ea volebam expetere ultionem. Et tu ad me iſtam adduxiſti, ut me torqueat, & in infernum mittat. Audiens hæc vir ille vehementer ſtupebat, & præ timore admirationeque nimiâ loqui non poterat. Sancta autem Maria dixit: Qua temeritate nequam ſpiritus devotæ meæ nocere præſumpſiſti? non hoc tibi impunè cedet, & nunc te hâc plecto ſententiâ, ut in infernum deſcendas, & alicui me cum devotione invocanti nocere de cetero non præſumas. Ille cum multo ejulatu diſceſſit, & vir de equo exiliens ſe ad pedes ejus proſtravit, quem Virgo increpata ad ſuam uxorem, quæ adhuc in Eccleſia dormiebat, jubet redire, & omnes divitias dæmonis abjicere. Rediens ergo, cum adhuc uxorem ſuam dormientem inveniret, excitavit, & ſibi, quæ acciderant enarravit. Cùm autem domum rediſſent, & omnes dæmonis

Ipſa B. V. habitu matronæ dæmoni occurrit, eumque ad tartara ablegat.

Vir viſo tanto ſpectaculo vitam in melius mutat.

Digitized by Google

monis divitias abjeciſſent, in laude Virginis devotiſſimè permanſerunt, & multas poſtmodum divitias, ipsâ largiente Virgine, receperunt.

§. XI.

B. V. Patrocinium etiam ſe extendit ad animas in Purgatorio.

117. DEiparæ Virginis virtutem & pietatem non minùs ad animas purgatoriis flammis exercitatas, quàm ad mundi exules ſeſe extendere, vel ex his patebit.

B. V. pœnas animarum Purgatorii minuit aut ſolvit.

D. Bernardinus Senenſ. Serm. de glorioſo nomine MARIAE art. 2. c. 3. B. Virgo, inquit, in regno Purgatorii dominium tenet, propterea, inquit Eccleſiaſt. 24. *Et in fluctibus maris ambulavi.* Pœna ſiquidem Purgatorii ideo dicitur *fluctus*, quia tranſitoria eſt: ſed additur *maris*, quia nimirum eſt amara. Ab his tormentis liberat B. Virgo maximè devotos ſuos, & hoc eſt quod ait: *Et in fluctibus maris ambulavi*, ſcilicèt viſitans & ſubveniens neceſſitatibus, & tormentis devotorum meorum, imò & omnium, qui ibi exiſtunt; quia filii ſunt, cùm ſint filii gratiæ.

S. Vincentius Ferrerius Serm. 2. Nat. B. V. ait: MARIA bona exiſtentibus in Purgatorio, quia per eam habent ſuffragium.

Lib. 1. Revelat. S. Birgit. c. 16. Chriſtus matrem ſuam in hunc modum alloquitur: Tu es mater mea, tu mater miſericordiæ, tu conſolatio eorum, qui ſunt in Purgatorio: tu lætitia eorum, qui peregrinantur in mundo. Vide item ſup. lect. 7. §. 6.

B. V. moriens obtinet liberationem animarum è Purgatorio.

Aloyſ. Novarinus in Vmbra Virginea l. 4. n. marg. 786. Ferunt, inquit, bonæ notæ Auctores, Virginem morituram, & in cœlum ituram, à filio hoc petiiſſe, ut omnes animas, quæ in Purgatorio detinebantur, ſecum ad gloriam deducere poſſet, quod ipſam obtinuiſſe dubium non eſt. Illud hîc addiderim, ait, non ea tantum vice, quâ aſſumpta in cœlum eſt, animarum liberationem obtinuiſſe, ſed quotieſcumque hæc eadem ſolemnitas ſingulis vertentibus annis celebratur, adeo ut in ejuſdem Virginis gratiam maximus numerus animarum, quæ purgatoriis cruciatibus torquentur, ab illis pœnis liberentur. Dignum eſt quod hic recenſeatur exemplum, cujus meminit S. Petrus Damianus l. 3. Epiſt. 10. & in ordine 52. ſic autem ille ſcribit: Religioſus planè preſbyter Ioannes rem mihi retulit ante paucos annos Romæ contigiſſe, quam narro. In Aſſumptione, ſcilicèt Dei Genitricis MARIÆ, cùm nocturno tempore Romanus populus juxta morem orationibus, & Litaniis inſiſteret, & accenſis luminibus diverſarum regionum Eccleſias perluſtraret, mulier quædam in Baſilica, quæ eſt ad honorem ejuſdem B. Virginis in Capitolio conſti-

118.

Mulier ope B. V. è Purgatorio eruitur.

Digitized by Google

conſtituta, commatrem ſuam vidit, quæ ſcilicèt ab anno ferè fuerat jam defuncta. Cumque per multitudinem confluentium ad ejus non potuiſſet attingere alloquium, ſtuduit eam in tali cujuſdam angiportûs articulo præſtolari, ut dubium non eſſet, quòd egreſſa Baſilicam, ab eo declinare non poſſet. Hanc itaque tranſeuntem protinus inquiſivit; non, inquit, tu commater mea es, Marozia videlicèt, quæ dudum defuncta es? Hoc illi vocabulum fuerat, dum viveret. Quâ reſpondente, ipſa ſum. Et quomodo, ait, tibi nunc eſt. Inquit, uſque hodie non levis me pœna conſtrinxit, quia videlicèt per laſciviæ petulantis illecebras cum coætaneis me puellis in tenera adhuc ætate fœdavi: & hoc ipſum (prô dolor) oblivioni quodammodò tradens, ſacerdoti quidem confeſſa fui, ſed judicium non accepi. Verùm hodiè Regina mundi pro nobis preces fudit, meque cum multis aliis de locis pœnalibus liberavit: tantaque multitudo per interventum ejus hodie eſt de tormentis erepta, ut numerum totius Romanæ plebis excedat; unde ſacra eidem Dominæ noſtræ glorioſæ dicata paſſim loca viſitamus, actioneſque ſibi gratiarum pro tantis miſericordiæ beneficiis alacres exhibemus. Cumque ſuper hoc commater illius ambigeret, nec fidem facilè ſermonibus adhiberet, ſubjunxit: ut experiaris, inquit, pro certo verum eſſe, quod loquor, ſcias te tranſacto hoc anno in eadem feſtivitate proculdubio morituram. Quod ſi, quod fieri non poteſt, ulterius vixeris, me protuliſſe mendacium liquidò comprobabis. Et his dictis ab oculis ejus evanuit. Mox illa cilicium induit, & de obitu ſuo ſolicita, quæ audierat, vivere cautius cœpit. Quid plura? Peracto ferè anno pridianis cœpit ægrotare vigiliis; in ipſo feſtivitatis die, vitam, ſicut ei demonſtratum fuerat, terminavit. Vbi notandum & non leviter expaveſcendum, quia de peracta culpa, quam præfata mulier oblivioni tradiderat, uſque ad interventum intemeratæ Dei Genitricis ſupplicia perferebat. Hactenus ille.

B. V. in Feſto Aſſumptionis multa millia animarum è Purgatorio liberat.

Facilè autem crediderim in Virginis honorem, & gaudii cumulum in quocumque Virginis ſolemni feſto plures animas ab illis pœnis eximi; ut quod in Aſſumptione id accidiſſe refert ſanctus iſte Pater, ad alias ejuſdem Virginis ſolemnitates transferatur, cui rei lubens calculum adjicio, adjiciet quoque ſuum, qui Dei Matris umbram amat latè porrigi.

In quocumque Feſto B. V. animabus in Purgatorio gratiam fieri, credibile.

119. In die quo Dei Filium humana carne veſtitum huic luci peperit, inviſere ſolitam Virginem, eas animas quæ in purgatoriis flammis cruciantur, & plures inde eripere, & in cœlum evehere, colligi ex hoc poteſt, quod his verbis S. Dionyſius Carthuſianus Serm. 2. Aſſumpt. narrat. Duo ſocii erant, quorum unus circa feſtum omnium,

nium Sanctorum defunctus eſt, alter verò continuis fletibus ſe affligens, nihil pro defuncto orabat. Cui poſt feſtum Nativitatis Chriſti, defunctus apparuit, dicens: nihil mihi profeciſti; & quaſi improperans ei fletum; ecce, inquit, Bma Virgo MARIA ſingulis annis in Feſto Nativitatis Chriſti ad Purgatorii loca deſcendit, & multas inde animas eripit, quoniam in nocte ſolemnitatis illius Chriſtum Regem gloriæ peperit. Cùm in proxima Nativitatis Chriſti ſolemnitate deſcenderet, & multas eriperet animas, ſperabam quòd precibus tuis fuiſſet me etiam reductura, ſed non fecit. Verùm quoniam proximâ nocte Dominicæ Reſurrectionis ſolet deſcendere ad Purgatorium pro eductione animarum, eo quod Chriſtus nocte illa Sanctos de limbo eduxit: rogo ne ceſſes pro me cum lacrymis orare, ut me illâ nocte dignetur eripere.

B. V. in Feſto Nativitatis Chriſti plures animas è Purgatorio eripit.

In Feſto Reſurrect. idem facit.

120. Præterea quicumque recta in cœlum evolârunt, à purgatoriis flammis immunes, in hujus etiam Virginis umbram ac patrocinium referre debent. Poſſent hîc multa exempla recenſeri, unum produco, quod de B. Godefrido legitur: de hoc quippè, ait quidam Monachus, ut refertur in Lib. de geſtis virorum illuſtrium ſolitudinis Villarienſis. Recordare quòd olim, cum eſſes junior, glorioſa Virgo MARIA per me tibi nunciabat, dicens: Frater Abunde, dic fratri Godefrido, ut proficiat de virtute in virtutem, ſic erit filii mei, & meus monachus. Et cum migraverit anima ejus à corpore, non dimittam eam venire ad Purgatorium, ſed ſuſcipiam eam, & offeram filio meo. Sic apud Aloyſ. Novarinum ſupra. Addo alterum exemplum ex Annal. Min. Auctor antiquæ legendæ B. Franciſci refert Guardianum Montanæ nigræ ex Abbate factum virum evaſiſſe magnæ contemplationis, in qua dum ad primam noctis vigiliam abſorptus hæreret, vidit magnam turbam prætereuntium in rubeis veſtibus candelas habentium accenſas, aliam in veſtibus albis incedentium, de hinc decem ſpectatiſſimos viros rubeas ſimiliter veſtes habentes, & ponè venientem ſpecioſiſſimam Dominam, mediam inter duos graviſſimos viros, quam ut adjuravit, humiliterque rogavit, ut quæ ipſa eſſet, & quæ præcedentes turbæ, indicaret; placido & ſereno vultu illa dixit, ſe MARIAM Matrem Domini, primam turbam Martyrum, tertiam Apoſtolorum decem, collaterales Iacobum eſſe, & Ioannem fratres, qui Antiochiam ibant ad excipiendam in gloria animam cujuſdam probi, & perfecti Minoritæ è corpore diſceſſuram circa horam diei tertiam: & octo poſt dies ad Cœnobium hoc Montanæ nigræ regreſſuros, ut alium deducant in cœlum. Ita per omnia factum reperit Guardianus. Nam miſſis duobus ſpiculatoribus Antiochiam, accepit ſtatutâ horâ mortuum

B. V suis adeſt in agone mortis.

Viſio Guardiani montanæ nigræ.

B. V. cum variis Sanctorum turmis accurrit ut animam minoritæ deducat ad cœlum.

ruum quemdam ex fratribus virum optimum, per quod confirmatur ceteram viſionis partem non futuram inanem. Monuit ergo ut omnes ſe præpararent ad mortem, dum nulli peculiariter prædicebatur, ſed in dubio eventu, ſibi quiſque debuiſſet timere. Vnuſquiſque ſibi timuit, & omnes ſemet parabant, continuis illis interlabentibus diebus ſua expiantes peccata, donec jam accedente octavâ die irritam putârunt viſionem, dum neminem ullâ infirmitate gravari ſenſerunt. At in ipſo illo die, ſacro devotè præmiſſo, conqueſtus eſt Guardianus magnum ſibi incuſſum capitis dolorem, quo ingraveſcente, & ſupervenientibus aliis corporis malis, circa horam nonam ſpiritum reddidit creatori: quo factum eſt ut omnino veram judicarent fratres Guardiano factam, & ſibi ab eo jam antea narratam viſionem. Sic Waddingus in Annal. Min. ad an. Chriſti 1219. fin.

§. XII.

Epilogus.

121. VErùm quid ultra pergo Deiparæ potentiam, ſimul & clementiam, exempla beneficentiæ illius proferendo, probare? Stellas potius quis numerabit, quàm magnitudinem bonitatis ejus, aut beneficiorum multitudinem ſcriptis exaret, lingua eloquatur, ſeu etiam mente comprehendat. Sancti Patres ac Scriptores Eccleſiaſtici plures tractatus de MARIAE Genitricis Dei vita, illiuſque beneficiis in lucem edidêre, neque tamen milleſimam operum munificentiæ ejus partem attigêre. Quare in vanum equidem niterer innumeras ejus miſericordias his paucis paginis ſingulatim complecti, ubi ne mellifluus quidem Bernardus id ipſum attentare præſumpſit: imò imbecillitatem ingenii hac de re candidè faſſus, in ſtupore mentis exclamavit: *Quis, ô Benedicta, miſericordiæ tuæ longitudinem, & latitudinem, ſublimitatem & profundum queat inveſtigare? Nam longitudo ejus uſque in diem noviſſimum invocantibus eam ſubvenit univerſis: latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tuâ quoque miſericordiâ plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas ejus civitatis ſupernæ invenit reſtaurationem, & profundum ejus ſedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus eſt, inſtaurata ruina cœleſtis Ieruſalem, exſpectantibus miſeris vita perdita data.* Nec diſſimile judicium D. Antonini 4. p. tit. 15. c. 44. §. 2. *Ipſa ſola,* inquit, *omnes inferiores reduxit, tamquam Mediatrix reconciliationis, & adjutrix redemptionis, & Angelorum numerum reſtauravit, & ſubvenit ruinæ ante conſpectum Domini, ut dicitur in figura de S. Iudith:* *Jud. 13.* *Et hominem lapſum revocavit ad ſuperos.* Dico ergo breviter, quotquot umquam peccatores ad Deum converſi ſalvantur, tot eſſe beneficia

Digitized by Google

ſicia Mariae, *de qua natus eſt* Iesvs: quotquot item juſti regnum cœlorum glorioſè introeunt, tot felices partus ejuſdem, cui etiam Iesvs factus ſubditus. Imò nos ipſi, & quotquot malè vivunt Chriſtiani, millies perieramus, niſi Deiparens Virgo meritis & interpellationibus aſſiduis divinam iram continuò mitigaret. Quin & auſim cum D. Fulgentio affirmare, quod *cœlum & terra jam dudum ruiſſent*, *ſi* Maria *precibus non ſuſtentâſſet*. Sicut enim Paulus de Chriſto aſſeverat, quòd ſedens ad dexteram Dei Patris, ſemper interpellat: ita Virgo Maria, filio proxima reſidens, non deſinit pro juſtis & impiis eorum judicem, & Dominum deprecari, & exorare. Meritò itaque ad ipſam confugit omnis creatura juſtitiæ ac remiſſionis ſitibunda, in qua Deus, omnium bonorum fons, homo concipi, & ex qua vitæ ſcaturiginem ad Eccleſiam ſuam derivare voluit. Meritò ad hanc vivam theſaurorum Patris cœleſtis arcam tota ſolicitudine miſeria humana recurrit, tantoque fidentius, quanto ardentius gentem noſtram amat: tanto item avidius ſine mora dilationis, quanto celerius dies ſalutis prætervolant, ipſaque modo pietatis ſuæ ſinum circa quoſvis facillimè ac liberaliter expandit, effunditque.

Lib. 4. Mythol. Mundus periret ſi B. V. pro eo non oraret.

PARS III.

LECTIO I.

1. *Medium obtinendi Patrocinii B. V. optimum & facillimum* Salutatio Angelica.

Ubi de Patrocinio B. Virginis egimus, nunc ejuſdem obtinẽdi media aliqua proponenda reſtant. Primum autem locum aſſigno Salutationi Angelicæ. Itaque nemo cogitet dona multa & grandia offerenda eſſe, vel labores graves plurimoſque pro Virg. Beatæ Patrocinio acquirendo ſubeundos, quemadmodùm apud ſæculi hujus advocatos principeſque plerumque fieri ſolet. Infantes ſuſpirio unico, aut vagitu modico ad ſe

Affectus B. V. faciliter obtinetur.

Digitized by Google

ſe maternum cor rapiunt, atque effundere faciunt: haud ſecùs MARIA, mater noſtra pientiſſima: *Si piè*, inquit Bernard. *à nobis pulſata fuerit, & invocata, compatietur nobis, nec deërit neceßitati noſtræ.* Intuitus pius, pauculæ lacrymæ, eleëmoſyna modica, hymnus brevis, Angeli ſalutatio, devota demùm nominis ipſius, aut etiam filii cogitatio, ſeu pronunciatio, MARIAE tenerrima viſcera commovent, ac cor devincunt, ut de plenitudine chariſmatum ſuorum clientibus communicet, atque vacillantibus maternam manum, ne ſuccumbant, porrigat. Quod ut altius menti imprimi poſſit, fuſius tracto de fructibus ſalutationis Angelicæ; nonnulla etiam exponens de ſertis ſpiritualibus ex hinc reſultantibus.

Serm. Dom. 1. poſt Oct. Epiph.

Angelica ſalutatio ſancta, ſublimis, &c.

Si hujus ſalutationis, ſeu (ut Ambroſius loquitur) *benedictionis* primam ſpectemus originem, ſancta, ſublimis, magnifica, & omni obſervatione digna eſt. Primò, quia non ab Eccleſiæ præpoſitis condita, nec ab hominibus inventa, ſed à ſacroſancta Trinitate profecta, ejuſque nomine ac juſſu ab Angelo pronunciata, nec non ejuſdem providentiâ, & ab Euangeliſta deſcripta, & in Eccleſia conſervata. 2ò quia humilis Virginis eximium apud Deum meritum, & ineffabilem ejus in terris evectionem declarat. 3ò, quia iſthæc ſalutatio tanto illuſtrior atque pretioſior, quanto rarior, & copioſiùs immenſam divini amoris versùs homines pietatem demonſtrat. Hinc B. Laurent. Iuſtinianus; *Meritò*, inquit, *Angelus ad Virginem mittitur, ut novam gratiam novi partûs ſalutatione diſſereret: Viſitationis enim aderat tempus, in quo liberaretur reus, ſapientia corporaretur, deleretur culpa, atque cœleſtis Ieruſalem reædificarentur mœnia. Quamobrem lætus paranymphus effectus pro officio, exhilaratus pro gratia, pro obſequio expeditus, inſolito fulgore veſtitus deſcendit ad Virginem. Didicit ſanè ex præſagio quanta qualiſque erat ad quam dirigebatur ad ſalutandum. Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Ità ille. Quartò ſalutatio Angelica ſublimis, ſancta & obſervatione digna eſt, quia altiſſimorum ſalutis noſtræ myſteriorum, Incarnationis videlicèt, ac paſſionis ſummam complectitur, nec non uſus ejus hominis ad Deum gratitudinem probat.

Salutatio Angelicaà SS^ma Trinitate perfecta.

Item meritum eximinm & miram ejus evectionem declarat.

Salutatio Angeli ſumma myſteriorum ſalutis noſtræ.

123\. Angelicam autem ſalutationem appellamus, non tantùm Angeli ad MARIAM præfationem, verùm etiam S. Elizabeth, matris Præcurſoris, Spiritu S. afflatæ eloquium, cum precatione veniæ, quam Eccleſiæ addidit conſuetudo, & auctoritas, adeoque nihil in ea niſi Evangelicum & Eccleſiaſticum. Obſerva etiam hìc, quod, dum de fructibus ſalutationis Angelicæ agimus, tum non preſsè capimus ſalutationem Angelicam, ſed amplè, ſcilicèt pro integro Angeli ſermone, &, quod hunc ſubſecutum eſt, bono.

Angeli ſalutatio quid.

Antiquitùs ſolebat *Ave* MARIA dici,

Digitized by Google

Olim in Miſſæ ſacrificio dicebatur.

dici, tam in initio horarum Canonicarum, quàm in ſacrificio Miſſæ. DD. Iacobus Apoſtolus, Baſilius Magnus, Chryſoſtomus, Ambroſ. &c. Angeli ſalutationem in ſuis appoſuerunt Liturgiis. Syri quamprimùm per Apoſtolos edocti fuêre, Miſſam ſuam concludebant his verbis: *Pax tibi,* MARIA, *plena gratiâ, Dominus noſter tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus, qui eſt in utero tuo,* IESVS *Chriſtus.* Deinde ſubjungebant. *Sancta* MARIA *Mater Dei, ora pro nobis, pro nobis, inquam, peccatoribus. Amen.* Idem faciebant Æthiopes. Ex hinc liquet quàm antiqua ſit appendix hæc ad ſalutationem Angelicam: *Sancta* MARIA *Mater Dei, ora pro nobis, &c.* Nempe etiam à temporibus Apoſtolorum mos ita orandi receptus; licet aliqui velint tantùm incœpiſſe ann. 431. Vide Baron. ad hunc annum.

Syri qualiter Miſſam finiebant.

Sanctorum itaque Patrum veſtigiis inſiſtentes (utor verbis Caniſii) *non modo laudabilem, & admirabilem illam Virginem, quæ ſicut lilium eſt inter ſpinas, ſalutamus, ſed & eam virtute Dei auctam eſſe tantâ credimus, & profitemur, ut poſſit prodeſſe, favere, & annuere miſeriis mortalibus, dum hi præſertim ſe ſuaque vota illi commendant, ac divinam gratiam matris interceſſione ſupplices expetunt.*

§. I.

De fructibus Salutationis Angelicæ.

Fructus 1. Chriſtus.

FRuctus 1. (ex ſententia SS. Patrum Petri Alexandrini Epiſc. & Mart. Petri Damiani S. R. E. Cardinalis, Chryſoſtomi, &c. Epiſc. & Doct. Eccleſ. aliorumque affirmantium Angeli ſalutationem eſſe noſtræ ſalutis reparativam) eſt *Incarnatio Verbi divini,* de qua Ioann. 1. dicitur: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et, *de plenitudine ejus nos omnes accepimus,* D. Bernard. Serm. 3. Miſſ. dilucidans verba illa Iſaiæ. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Nobis,* inquit, *non ſibi, qui utique ante tempora multò nobilius natus ex Patre, naſci temporaliter non indigebat ex Matre. Non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, parvulum non acquirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus.* Poſt pauca. *Diſcamus ejus humilitatem, imitemur manſuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus paſſionibus, lavemur in ſanguine ejus, ipſum offeramus propitiationem pro peccatis noſtris, quoniam ad hoc ipſe natus & datus eſt nobis; ipſum oculis Patris, ipſum offeramus & ſuis: quia & Pater Filio proprio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum; & ipſe filius ſemetipſum exinanivit.*

Vide Chriſtophor. de Caſtro in Hiſt. Deip. c. 5. num. 11. Pet. Caniſius de Deip.

Digitized by Google

nanivit formam ſervi accipiens; ipſe tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit, ut non perirent. Non poſſunt perire pro quibus filius rogat, ne pereant, pro quibus tradidit Pater Filium in mortem, ut vivant.

Nos ergo (monet idem Bernard. Serm. 3. Epiph. Dom.) Chriſtum IESUM diligamus ut verum hominem, & fratrem noſtrum; honoremus ut Dei Filium, adoremus ut Deum, securè credamus in eum, ſecurè credamus ei noſipſos fratres mei, cui nec poteſtas deëſt ſalvandi nos, cùm ſit verus Deus, & Dei Filius: nec bona voluntas, cùm ſit tamquam unus ex nobis, verus homo, & hominis filius. Quomodo ergo nobis erit inexorabilis, propter quos factus eſt ſimilis nobis paſſibilis. Ita ille.

§. II.

125. B. V. Mater Dei & hominum Patrona.

FRuctus 2. Angelicæ ſalutationis eſt, quod Virgo MARIA, ſuperveniente Spiritu S. ſine viri opera, ſalvâ virginitate, & Mater Dei effecta eſt, ac conſequenter totius humani generis præ omnibus Sanctis Advocata feliciſſima. Quid hoc dulcius? Quid mirabilius? MARIA, Mater & Virgo, Dei Genitrix, Virgo perpetua, Deus infans ad ubera, & puellæ ſubditus, cœleſte prodigium, orbis utriuſque gaudium.

B. V. per Salutationem Angelicam quantum evecta, & quanta bona conſecuta.

Albertus Magnus ſuper Miſſ. Ipſa, inquit, in hac Annuntiatione in ſummo puræ creaturæ elevabatur cauſaliter in ſummam poteſtatem, quia ſuper naturam Deum genuit. Et ad hoc elevabat fideles, juxta illud Marc. 7. Omnia ſunt poſſibilia credenti. Item in ſummam dignitatem, quia per hoc tantùm creatura per creationem mater effecta eſt, & ad hoc elevabat humilitas juxta illud Luc. 14. Qui ſe humiliat, exaltabitur. Deſcenſus enim ejus per humilitatem adſcendere magis eam faciebat per contemplationem, juxta illud Luc. 10. Revelâſti ea parvulis, id eſt, humilibus. Item elevabatur in ſummam charitatem, quia Deo per hoc ſummâ & maximâ propinquitate propinquiſſima extitit, utpote, quæ ipſius filia, mater, & ſoror, ac ſponſa fuit: & ad hoc elevabat divinus amor, juxta illud Prov. 8. Ego diligentes me diligo. Item elevabatur ad ſummam Dei familiaritatem, & illam faciebat caſtitas, juxta illud Sap. 6. Incorruptio facit eſſe proximum Deo. Omnes autem iſtæ virtutes præparabant ad hoc myſterium ſuas potentias elevando habitualiter, maximè virtus humilitatis, de qua loquens D. Auguſtin. in quodam Serm. ait: Humilitas genuit nobis Deum, id eſt, generare fecit. Charitas tamen tamquàm forma & vinculum perfectionis fecit conjunctionem actualiter & complementum. Unde de ipſa dicit Hugo de S. Victore quod Deum captivum, & ligatum de cœlo duxit in hunc mundum. Ita Albert. Quamobrem Bonæ-vallis Abb. Arnoldus meritò cum Bernard. conſolatur hominem pavidum, dicens: Securum acceſſum homo jam habet apud Deum, ubi mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante filium matrem.

Humilitas fuit cauſa aſcenſus B. V.

Charitas eximia B. V. fecit maxime propinquam Deo.

Caſtitas B. V. eam familiarem fecit Deo.

Charitas B. V. Deum captivum reddidit.

Homo jam ſecurum habet acceſſum ad Deum.

matrem. Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus,& vulnera: Mater Chriſto pectus & ubera. Nec poteſt eſſe repulſa, ubi concurrunt, & orant omni linguâ diſertius, hæc clementiæ monimenta, & charitatis inſignia. Ita Arnold. *O beata fiducia*, exclamat D. Anſelmus! *ô tutum refugium! Mater Dei, eſt mater noſtra. Iudex noſter eſt frater noſter. Quâ igitur certitudine debemus ſperare, & quâ conſolatione timere, quorum ſive ſalus, ſive damnatio, de boni fratris, & de bona matris pendet arbitrio,*

Serm. Sign. Magn. *Opus eſt mediatore*, ait Bernard. *ad mediatorem iſtum* (Chriſtum ſcilicèt) *nec alter nobis utilior, quàm* MARIA: *Crudelis nimis Heva, per quam ſerpens antiquus peſtiferum etiam ipſi viro venenum infudit, ſed fidelis* MARIA, *quæ ſalutis antidotum & viris & mulieribus propinavit. Illa enim miniſtra seductionis, hæc propitiationis: illa ſuggeſſit prævaricationem, hæc injecit redemptionem. Quid ad* MARIAM *trepidet humana fragilitas. Nibil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuavis eſt, omnibus offerens lac & lanam. Revolve diligentius Evangelicæ Hiſtoriæ ſeriem univerſam, & ſi quid fortè increpatorium, ſi quid durum, ſi quod denique ſignum vel tenuis indignationis occurrerit in* MARIA, *de cetero ſuſpectam habeas, & accedere verearis. Quod ſi (ut verè ſunt) plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena manſuetudinis & miſericordiæ, quæ ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benigniſſimâ miſeratione providit, in quâ nihil poſſit eſſe ſuſpectum. Denique omnibus omnia facta eſt, ſapientibus & inſipientibus debitricem ſe fecit. Omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, filii perſonæ carnis humanæ ſubſtantiam, ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus.* Hactenus Bernard.

B. V. omnibus offert ſalutis antidotum.

B. V. tota ſuavis.

De plenitudine B. V. omnes participant.

§. III.

126. Salutatio Angeli devotè iterata eſt ſignum ſalvationis noſtræ.

FRuctus 3. frequens Angelicæ ſalutationis devota recitatio eſt pernotabile ſignum certæ ſalvationis, ſeu electionis ad gloriam. Iud. 12. Qui nitidè ac perfectè vocabulum *Scibboleth* (quod ſpicam interpretatur) pronunciare nôrant, mortem effugiebant; qui autem ad hoc linguam invertere haud poterant, ac ejus loco *Sibboleth* (quòd onus ſignificat) dicebant, quaſi non de gente patriâ ſed alienigenæ occidebantur. Tu, ô ſanctiſſima Virgo MARIA, ſpica es, de qua vitæ panis verus Chriſtus formatus eſt, adeoque qui promptè cordeque devoto nomen tuum ſacerrimum (quod gratiam ſonat) invocârint, teque unà cum Eccleſia, ut Matrem Dei fideliter coluerint, proculdubio gratiam conſequentur, & ad vitam æternam ſervabuntur. Qui autem tantillum obſequii & honoris, ut onus duxerint, atque neglexerint, rigori divinæ juſtitiæ ſubjacebunt, onuſ-

Digitized by Google

que ſuum portabunt. Hoc ipſum B. Virgo fideli ſervo ſuo Alano ex Ordin. Prædic. quandoque revelavit, eumque mundo evulgare juſſit. *Secretum*, inquit, *jam pandam tibi divinæ providentiæ. Scias enim & purè intelligas, quod & indilatè aliis patefacias, quòd, videlicèt, ſignum probabile eſt, & propinquum æternæ damnationi, horrere, & attædiari, & negligere ſalutationem Angelicam totius mundi reparativam: habentibus verò devotionem ad hanc, ſignum eſt ordinationis, & prædeſtinationis permagnum ad gloriam.* Chriſtus quoque eidem Alano in viſione commendans piam Roſarii lectionem, inquit: *Prius homines debent induci ad orationis devotionem, & ſignanter ad Pſalterium meum Angelicum. Quoniam ſi omnes cœperint hoc orare, non dubium eſt quin perſeverantibus aderit pietas divinæ clementiæ. Prædica ergo Pſalterium meum.* Alani verò ſententia eſt, quòd ille qui ex corde devoto ad inſerviendum Virgini in hac fraternitate, *Roſarii videlicèt*, ſe obtulerit, finaliter non peribit. Porrò ne hujus B. Viri doctrinam ut novam admireris potius, & cavilleris, quàm credas, vel ſuſcipias, propono tibi ſanctiſſimum, & perantiquum Patriarcham Conſtantinop. Germanum ita cum glorioſa Virgine Matre diſſerentem: *Si tu*, ait, *nos deſerueris, Deipara, quònam confugiemus? Quid nobis fiet, ſpes & vita Chriſtianorum? Quo modo enim corpus noſtrum vitalis ſignum operationis habet reſpirationem, ita ſanctiſſimum tuum nomen, quod in ore tuorum verſatur, vitæ, lætitiæ, auxilii, non ſolùm eſt ſignum, ſed etiam ea procurat.* Addam & aliorum hac de re judicium. Inprimis D. Bonavent. in Pſalt. B. V. *Qui*, ait, *acquirit gratiam ejus, agnoſcetur à civibus Paradiſi, & qui habuerit characterem melliflui nominis ejus, annotabitur in libro vitæ.* Rurſus ibid. *Qui dignè coluerit eam, juſtificabitur: qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis ſuis.* D. Bernard. *Tolle*, inquit, *corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle* MARIAM, *hanc maris ſtellam, maris utique magni & ſpatioſi, quid niſi caligo involvens, & umbra mortis, & denſiſſimæ tenebræ relinquuntur?* S. Thomas Opuſc. 8. *Convenienter*, ait, *vocatur* MARIA *illuminata in ſe, & illuminatrix in alios, quantùm ad totum mundum, ideò aſſimilatur Soli, & Lunæ.* Et infra. *Dicitur* MARIA *ſtella maris: Sicut enim navigantes diriguntur ad portum, ita Chriſtiani diriguntur ad gloriam per* MARIAM. Guilielm. Pariſienſ. *Non præſumat aliquis Deum vel Dei Filium ſe poſſe habere propitium, qui benedictam Matrem offenſam habuerit.* Huc ſpectant encomia, & deprecandi modi veterum Patrum. Inprimis S. Ephrem, ſic B. Virginem orat: *Reple os meum gratiâ dulcedinis tuæ, ô Domina, & illumina mihi mentem, ô gratiâ plena: move linguam meam, & labia ad laudes tibi alacriter lætoque animo decantanda, & præſertim dulce illud melos Angelicum, longè celebratiſſimum, quod Angelus Gabriel in Nazareth ſervili habitu ad te*

B. V. vita & ſpes Chriſtianorum.

B. V. illuminatrix & maris ſtella.

S. Ephrem Angeli ſalutationem dicere ſolebat.

Digitized by Google

Salutatio Angeli mundi ſalus, animarum medela.

te Virginem Matremq; Dei mei integerrimam clamans, cecinit: ſalutationem, inquam, maximè congruentem atque decentem, & digniſſimam mundi ſalutem, cunctarumque animarum medelam atque tutelam.

B. V. paradiſus portans lignum vitæ.

S. Baſil. orat. de Ann. *Ave*, inquit, *perpetuò virens caſtitatis paradiſus, in quo vitæ lignum plantatum omnibus ſalutis fructum fundit, fons miſerationum fluenta ubertim emittens. Ave, quæ inter Deum, & homines intercedens, efficis ut interjectus inimicitiæ paries aliquando evertatur.*

D. Anſelm. *Rogamus te, Domina*, inquit, *per ipſam gratiam, quâ te pius & omnipotens Deus, ſic exaltavit, & omnia tibi ſecum poſſibilia eſſe donavit, quatenùs id apud ipſum nobis impetres.* Et infrà: *Idem benigniſſimus Filius tuus Dominus noſter* Iesvs *Chriſtus erit ad concedendum quidquid voles promptiſſimus, & exaudibilis: tantummodò itaque velis ſalutem noſtram: & verè nequaquàm ſalvi eſſe non poterimus: certè Deus noſter, teſte Prophetâ, miſericordia noſtra eſt, & tu ejuſdem Domini abſque dubio vera mater es.*

Chriſti dignatio erga Matrem.

127\. Chriſtus nil negabit matri petenti.

Incredibile omninò eſt Dei Filium lacrimulam aut ſanguinis guttam amantiſſimæ roganti Matri negaturum, à quâ, & in quâ carnem & ſanguinem aſſumpſit, quique tam liberalem & effuſum erga peccatores ſe monſtravit, ut omnem pro eiſdem redimendis ſanguinem profuderit. Quoniam ut Virginem alloquens affirmat Greg. Nicom. *Tuam gloriam Creator exiſtimat eſſe propriam, & tamquàm Filius in ea exultans, quaſi exſolvens debitum, implet petitiones.* Itaque ſi Virgo Mater guttulam ſolummodò pro devotis clientibus ſuis petat, & obtineat, certiſſimum redditur, neminem ex eis periturum. Neque enim perire poteſt ille, pro quo Filius per Matrem pretium ſanguinis ſui Patri cœleſti offert, donatque.

Negligens Monachus ad Dei tribunal vocatus à B. V. defenditur, & gratiam obtinet.

Ex innumeris exemplum unum aut alterum miniſtrabo. Diſcipulus in Promptuar. de mirac. B.V. n. 50. Quidam, ait, fuit ſolo nomine religioſus: ad omnia enim, quæ ad religionem ſpectabant, durus & negligens: quotidiè tamen B. Virgini ſalutationem Angelicam centies offerebat. Is ad extrema deductus, mente exceſſit, ſeque à dæmonibus ſummo Iudici præſentari vidit, qui eum ſibi adjudicari petebant. Iudex autem cognitis ejus ſceleribus damnandum eum cenſebat. Ceterùm adfuit B. V. Deipara, ſcedulaſque quibus ſingulæ Angelicæ ſalutationes, quas ille recitaverat, continebantur, protulit, & impetrat à Filio illius judicium iterum agi: at dæmones libros peccatorum à reo admiſſorum adferunt. Poſitis igitur in libra utriuſq; partis tabulis, flagitia lancem ſuo pondere deprimebant, id Virgo conſpicata ſupplex filium orat, ut memor ex ejus virgineo utero corpus ſuum aſſumptum, unam ſanguinis guttam pro peccatoribus in paſſione fuſam ſibi dari velit: & ille, impoſſibile eſt, inquit, aliquid tibi denegari, ſimulque teſtatur, unicam ſanguinis ſui guttam omnibus totius mundi

Una gutta ſanguinis Chriſti ſufficiens pro mundi totius ſalute.

Clemens VI. PP. in Extravag. Unigenitus de pœnit. & remed.

peccatis prævalere. Quare additâ ad lancem Angelicarum ſalutationum pretioſiſſimi ſanguinis ſtillâ, illius Rei peccatis quaſi leviſſimæ favillæ præponderavit. Confuſi dæmones abſceſsêre, ne ſe à Virgine victos fateri cogerentur. Ille porrò ad ſe rediens convaluit, Virginis clementiam prædicavit, bonuſque religioſus deinceps factus eſt.

128\. B. Petrus Damianus S. R. E. Cardinalis commemorat, quòd Baſſus quidam, Burgundio genere, Anicenſis Epiſcopatûs, peregrinationem ad B. Virginem, in *Podio* dictam, fecerat, & abſolutâ ſuâ devotione, redeundo domum, in itinere obiit. Corpus cùm jam lotum, & ex more linteis obvolutum eſſet, fideles quoque circa feretrum vigilarent, nocte ferè transactâ, & gallicinio appropinquante, qui fuerat mortuus cum ſtupore adſtantium ſurrexit. Aſpiciens verò per angulos domûs dæmones ſuæ ſaluti inſidiantes, territus eſt, ſed oratione adſtantium fidelium fugatis, cum ſecuritate ſine terrore narravit, qualiter anima egreſſa è corpore Angeli eam ſuſciperent deducendam in cœlum, verùm accurrentes dæmones impedierunt, dicentes ſuam eſſe animam, ut quæ in vita carnaliter vixiſſet. Angeli è contra ſuum eſſe ajunt, ut quæ in ſervitio Reginæ cœlorum piè obiiſſet. Ad horum altercationem intervenit B. Virgo: Dæmones apud B. MARIAM conqueruntur de injuria ſibi per Angelos factâ. Reſpondit B. Virgo: licèt hic malè vivendo veſter fuerit, numquam tamen clemens filius meus patietur eum veſtris fieri crudelitatibus ſubditum, quem ſub mei famulatûs obſequio cernit in peregrinatione defunctum, maximè cùm ante mortem fuerit confeſſus. Objiciunt illi crimen in confeſſione voluntariè occultatum. Id non ignorans B. Virgo, ait ad hominem: redi ad corpus, & confitere peccatum tuum apud Monachum non longè ab hinc morantem; deinde roga Monachos, ut pœnitentiam injunctam pro te impleant, atque abſolutione receptâ, redi huc. His peractis, homo ille iterum lætus, velut obdormiens, obiit.

Homo carnalis ope B. V. mortuus ad vitam redit ut confiteatur.

B. Mechtildis cùm gratioſiſſimam Virginem oraret, ut in hora mortis ſibi adeſſe dignaretur, reſpondit miſericordiæ Mater, hoc utique faciam, & tu quoque lege mihi quotidie ter *Ave* MARIA. Ad primum, ora, ut ſicut Deus Pater ſecundùm omnipotentiæ magnificentiam animam meam ſecum in throno digniſſimo ſublimavit honore, ut ſim poſt ipſum potentiſſima in cœlo & in terra, ita adſim tibi in hora mortis confortando & expellendo contrariam poteſtatem.

B. V ſuadet Mechtildi legere tria Ave MARIA.

Deus Pater B. V. potentiſſimam efficit.

Ad ſecundùm *Ave* MARIA, ora ut ſicut Filius Dei ſecundùm ſuæ inſcrutabilis ſapientiæ prævalentiam ſcientiâ & intellectu me artificioſiſſimè decoravit, & totam replevit, ut ſuper omnes Sanctos majori

Filius ſapientiſſimam.

Digitized by Google

majori cognitione Bmæ Trinitatis fruar, & qui tanta me claritate perluſtravit, ut velut Sol radians in virtute totum cœlum illuminem; ita in horâ mortis animam tuam lumine fidei, & cognitionis perfundam, ne fides tua ignorantiâ aut aliquo errore tentetur.

Spiritus S. benigniſſimam.

Ad tertium, ut ſicut Spiritus S. ſuavitatem ſui amoris plenè mihi infudit, & tam mitiſſimam & ſuaviſſimam effecit, ut poſt Deum benigniſſima, & dulciſſima ſim: ita adſim tibi in hora mortis, infundendo animæ tuæ ſuavitatem divini amoris, quæ in tantum prævaleat in te, ut omnis pœna & mortis amaritudo tibi ex amore fit perſuavis. Proindè meritò Eccleſia tribuit Deiparæ illud Prov. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.*

§. IV.

129. Devotè recitantibus Angeli ſalutationem influxus divini non deërunt.

FRuctus 4. Ad eumdem modum quo eloquium meloſque Angelicum, accedente Virginis conſenſu, cum virtute Spiritus S. conceptionem filii Dei in ejuſdem cauſavit utero, ita & illi, qui dum melos ad aures Virginis piè reſonare faciunt, divinum quemdam fœtum in anima, procurante Deiparâ concipient, ſanctoque opere parturibunt. Sic olim revelatum B. Gertrudi l. 4. Inſinuat. divin. c. 12. Dum enim in ſuo Monaſterio ſub matutinis Dominicæ Annunciationis cantaretur *Ave* MARIA, ipſa B. Gertrudis vidit tres rivulos efficaciſſimos procedentes à Patre, & Filio, & Spiritu S. cor Virginis Matris ſuaviſſimo impetu penetrare, & de corde ipſius rurſus efficaci impetuoſitate ſuâ originem repetere, & ex illo influxu SSmæ Trinitatis hoc B. Virgini donatum fore, quòd ipſa eſt potentiſſima poſt Patrem, ſapientiſſima poſt Filium, & benigniſſima poſt Spiritum S. Cognovit etiam quòd quotieſcumque ſalutatio illa Angelica *Ave* MARIA cum devotione à fidelibus recitatur in terris, prædicti rivuli efficaciori impetu ſuperabundantes circumfluunt B. Virginem, & ex altero latere reinfluunt cor ipſius ſuaviſſimum, ſic mira delectatione repetunt fontem ſuum, & ex illa redundatione venæ quædam gaudii, delectationis, & æternæ ſalutis reſperguntur in omnes perſonas Sanctorum & Angelorum, & inſuper illorum, qui in terris commemorant eamdem ſalutationem, per quas renovatur omne bonum in ſingulis, quod umquam per ſalutiferam Incarnationem filii Dei ſunt adepti. Hæc ibi.

§. V.

FRuctus 5. Devotus ſalutationis Angelicæ precator, dum Virgini de bonis, & prærogativis ſibi à Deo collatis congratulatur, ejuſdem Virginis, imò & filii ejus gratiam benevolentiamque captat. Magni pendunt homines Magnatum favorem & amicitiam: quan- 130.

Per ſalutationem Angeli Chriſti ejuſque matris benevolentiam captamus.

Digitized by Google

to magis ſine comparatione æſtimanda Chriſti Dei. Optim. Max. illiuſque benedictæ Matris MARIÆ, cœlorum Reginæ, benevolentia & neceſſitudo. Hinc Petrus Damianus Deiparam alloquens: *Domina*, inquit, *quia benigniſsima es, amas nos amore invincibili, quos in te & per te Filius tuus, & Deus tuus ſummâ dilectione dilexit. Imò ipſa ſibi devotos peculiariter diligit, juxta illud* Prov. 8. *Ego diligentes me diligo.* B. Mechtildis quodam Sabbatho patefaciens Dominæ noſtræ glorioſæ cordis ſui flagrantiſſimum deſiderium, quo id obſequii in honorem ipſius præſtare optabat, quod omnium maximè placitum, ſibique potiſſimum gratum foret, ſic eamdem affata eſt: *Si te*, ait, *ô Regina cœli, dulciſsimâ ſalutatione, quàm umquam cor humanum excogitare potuit, ſalutare poſſem, lubentiſsimè ſalutarem.* Vix ita precata, ecce ſtatim B. Virgo ei apparuit habens in pectore ſcriptum aureis litteris Angeli ſalutationem, & ait: *Supra hanc ſalutationem numquàm homo pervenit, nec aliquis dulciùs me ſalutare poterit, quàm is qui ſalutat me illâ reverentiâ, quâ Deus Pater me per hoc verbum* AVE *ſalutavit, confirmans me omnipotentiâ ſuâ, ut eſſem immunis ab omni væ culpæ. Filius quoque Dei ſuâ ſapientiâ ſic me perluſtravit, ut ſim clarum ſidus, quo cœlum & terra illuſtratur, quod per hoc nomen* MARIA (*quod ſonat maris ſtella*) *notatur. Spiritus S. etiam totâ ſuâ dulcedine me penetrando tam gratioſam effecit, ut omnis, qui per me gratiam quærit, ipſam inveniat, quod innuitur per hoc verbum* Gratiâ plena. *In hoc quoque verbo* Dominus tecum *admoneor ineffabilis unionis & operationis, quam tota Trinitas perfecit in me, cùm carnis meæ ſubſtantiam divinæ naturæ in una perſona copulavit, ita ut Deus fieret homo, & homo Deus. Quid horâ illâ gaudii, & dulcedinis ſenſerim, nullus hominum ad plenum potuit experiri. Per* benedicta tu in mulieribus *omnis creatura mirando agnovit, & conteſtatur me benedictam & exaltatam ſuper creaturam omnem tam cœleſtem quam terreſtrē. Per* Benedictus fructus ventris tui, *benedicitur & extollitur excellentiſſimus & perutilis fructus ventris mei, qui omnem creaturam vivificavit, ſanctificavit, & in æternum benedixit.*

Non eſt oratio B. V. gratior ſalutatione Angelicâ.

Brevis dilucidatio ſalutationis Angelicæ.

Similiter cum B. Ioanna, fundatrix Ord. Annunt. in omnibus ſuis precibus, & meditationibus non aliud precaretur, quàm eam gratiam, ut cognoſceret, in qua re magis delectaretur B. Virgo MARIA, eidem fuit revelatum ſingulariter ipſi placere ſalutationem Angelicam decies recitatam in honorem decem virtutum Euangelicarum. Super quâ re etiam indulgentias obtinuit ad ſphærulas precatorias à ſummis Pontificibus Alexand. VI. & Iulio II. Vide Colvener. in Kalend. B. V. 4. Febr. 131.

131. Salutatio Angeli 10. dicta in honorem 10. virtutum B. V. gratiſſima.

Eadem Virgo Deipara cuidam alteri mulieri Angelicam ſalutationem recitanti aliquando de nocte apparuit, dicens: Ne timeas; ego ſum benigna mater tua, cui quotidiè tam gratum obſequium offers, ut

B. V. mulierem ſibi devotam viſitat.

Digitized by Google

ut te veniam viſitare & monere, quatenus in illa devotione perſeveres. Quin-imò ſcias velim, tantam me ex ſalutatione, quam recitas, percipere lætitiam, ut verbis exprimi non poſſit. Nam quando pronuncias *Dominus tecum*, videtur mihi, quod Filius meus adhuc intra viſcera mea concludatur, eo modo, quo olim inibi placuit ei carnem pro peccatoribus aſſumere, cujus ratione tam ineffabilem percipiebant lætitiam; adeoque quoties recitas mihi *Dominus tecum*, toties idem paris mihi gaudium. Vide Guilielm. Pepin. in Roſ. B. V. Serm. 37.

45. Ave Maria in honorem dierum quibus B. V. Chriſtum geſtavit in utero quantum placeant.

B. Gertrudis cum aliquando inveſtigaret quid orationis B. Virgo in Annunc. Feſto ſpecialius acceptaret, ab eadem edocta eſt, quòd ſi quis per octavam ejuſdem Feſti quotidie legeret 45. *Ave* Maria cum devotione in memoriam illorum dierum, quibus Dominus Iesvs in ſuo utero crevit, ille tam acceptum famulatum exhiberet, ſicut ſi eo die, quo Dominum concepit, ſibi adfuiſſet, ac per ſingulos dies ad partum uſque diligentiſſima ſibi obſequia impendiſſet, & quàm invitè illi tunc pro ſervitio ſuo, quidquid petiiſſet, denegâſſet, tam invitè Virgo clementiſſima, tali tunc denegare vellet petitionem ſuam. l. 4. Inſin. div. S. Gert. c. 14.

Salutare B. V. eſt eam oſculari.

Addo ex ſententia D. Bernard. quod ſalutare Virginem, eſt illi appropinquare, & ſuaviſſimum exhibere oſculum: *Eſt tibi*, inquit ille, *Virgo* Maria, *quaſi oſculum imprimere hunc audire verſiculum Ave* Maria. *Toties enim, ô Bma oſcularis, quoties per Ave ſalutaris.* Hinc omnes invitans ad hoc faciendum, dicit: *Eja ergo, fratres chariſſimi, ad imaginem ejus accedite, genua flectite, oſcula imprimite, Ave* Maria *dicite.*

§. VI.

Fructus 6. Angelos, quorum dulciſſimum melos ad ſuam digniſſimam Reginam referimus, lætificamus, præ ceteris Archangelum Gabriëlem, imo etiam eorum patrocinium nobis conciliamus. 132.

Salutatio Angeli Angelos lætificat.

Quidam Preſbyter religioſus pro more habebat indies D. Virg. coronam 63. Ave Maria legere: quâdam autem vice extra ſe raptus audivit Angelos cotàm Deo eamdem ſalutationem cum melodia canere. Ex quo didicit eos, qui Virginem Beatam ſalutant, imitari Angelos & exhilarare. Theſaurus ſacer Iac. Ieanne Auguſt. fol. 576.

De S. Gabriële ſpecialis habetur mentio l. 4. Inſinuat. S. Gertrud. c. 12. his verbis: *Sanctus quoque Gabriël toties novo ſplendore divini luminis viſus eſt irradiari, quoties recitabatur annunciatio facta per ipſum.*

§. VII.

Fructus 8. ad ſalutationem Angelicam maligni ſpiritus fugâtur, & poteſtatem perdunt melius quàm olim per citharam David. De hoc enim & præcedente fructu ita D. Bern. *Dum eam devotè dicimus, cælum ridet, Angeli lætantur, dæmones fugiunt, infernus fremit, quoties cum reverentia dicimus Ave.* Rurſus: *Non ſic.* 133.

Salutatio Angeli fugat dæmones.

Apud Bonav. in Spec. B. V. lect. 3. *ſic*, ait, *timent hoſtes viſibiles quaſi caſtrorum aciem copioſam, ſicut aëriæ poteſtates* MARIÆ *vocabulum, patrocinium, & exemplum. Fluunt & pereunt ſicut cera à facie ignis, ubicumq; inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, ſolicitam imitationem*. D. Germ. de Zon. Deip. *Tu*, inquit, *nequiſſimi hoſtis contra ſervos tuos invaſiones ſolâ tui nominis invocatione ſanctiſſimâ repellens, tutos atque incolumes ſervas*. *Lib. 3. de laud. V. art. ult.* Dionyſ. Carthuſianus experimento ſe didiciſſe affirmat MARIÆ ſalutationem atque invocationem ex corde profectam afflictis omnibus & formidoloſis, qui nocturnis ſpectris ac diabolicis terroribus commoventur, majorem in modum opitulari.

Exempla particularia.

Puella ope B. V. illæſa ſervatur. PUella quædam (ut refert Cæſarius l. 4. cap. 44.) in domo patris ſui viſibiliter à dæmone terrebatur, cùm ſtatuiſſet ad Moniales Ordin. Ciſterc. ſe conferre, nec à dæmone diſſuaderi poſſet, ab eodem ad feneſtram ſolarii rapta eſt, indeque eam præcipitare conabatur: ſed cùm Angelicam ſalutationem diceret, dimiſſa eſt ab inimico ſibi dicente: ſi in hac hora mulierem illam non invocâſſes, occidiſſem te, & hoc dicto in maximum canem transformatus de feneſtra exivit. Hæc eadem puella, jam Sanctimonialis effecta, cùm à dæmonibus viſibiliter tentaretur ſeu vexaretur, Virg. SSmæ invocatione ab iis ſe tuebatur. Matrona quædam (ut habet ſpec. magn. Exempl. d. q. n. 107.) Dei Genitrici impensè addicta, filios inſtruebat, ut eamdem in ſuis neceſſitatibus invocarent, recitando *Ave* MARIA. Hujus filia ſatis erat diſſoluta, vagabunda & ſaltatrix, ac fruſtra à matre ſæpius eſt correpta, nam pater eam diligebat præ ceteris filiis, quod pulchra eſſet & mundana, emitque ei veſtes pompoſas. Huic aliquando choreis feſſæ, & in pomario quieſcenti, apparuit diabolus, dicens: ſurge; veni mecum. Cui illa? Quiſnam es tu? Et ille, ego ſum diabolus, cujus propoſitum conaris implere, arma & rete noſtrum ad animas capiendás. Quare modo recipies pœnam, non tantùm pro peccatis tuis, ſed etiam pro peccatis omnium, quos per ornamentum corporis tui ad malas concupiſcentias induxiſti. Hoc dicto dæmon eam nitebatur violenter rapere; aſt illa ex inſtitutione matris clamavit, dicens: Virgo MARIA, adjuva me, & ſtatim clara voce dixit: *Ave* MARIA, &c. Reſpondit dæmon, maledicta ſit, quæ hanc orationem te docuit, quam ſi non dixiſſes, ad inferni incendium te traxiſſem, ubi cum tuis æqualibus pœnam condignam pro omnibus, quos ad peccandum traxiſti, inveniſſes. Hæc numquam amplius inpoſterum chorizavit, & veſtes pompoſas depoſuit, vitam & mores humiliter emendavit, & B. Virgini amplius uſque ad mortē ſervivit. Idem

134.

Diſſoluta puella per *Ave* MARIA è dæmonis poteſtate eripitur.

Digitized by Google

B. V. ſervat militem ſibi quotidiè dicentem Ave Maria.

Idem Spec. diſt. 8. Exempl. 60. Quidam miles, ait, quoddam caſtrum in via communi habebat, & omnes tranſeuntes ſine miſeratione aliqua ſpoliabat, Virginem tamen Mariam quotidie ſalutabat, nec pro aliquo impedimento emergente ab ipſa ſalutatione aliquâ die ceſſare volebat. Accidit autem ut quidam Religioſus, vir ſanctus, tranſitum inde faceret, & ipſum prædictus miles continuò exſpoliari juberet. Vir autem ſanctus rogavit prædones, ut ipſum ad Dominum ſuum deducant, quia ad ipſum haberet ſecreta, quæ perferret. Adductus autem rogavit militem, ut omnes de familia, & caſtro congregare faceret, ut eis verbum Domini prædicaret. Cùm autem congregati fuiſſent, ille ait; nequaquam hîc omnes eſtis, ſed aliquis adhuc deëſt. Cui, cum ſe omnes adeſſe aſſererent, ajebat, diligenter perquirite, & aliquem invenietis abeſſe. Tunc unus exclamans dixit, quoniam ſolus camerarius illuc non veniſſet. Ille autem dixit, verè ipſe eſt, qui ſolus deëſt. Pro eo ergo citò mittitur, & in medium adducitur. Cùm autem virum Dei vidiſſet, revolutis terribiliter oculis, caput inſtar inſani agitabat, nec propius accedere audebat. Vir autem ſanctus dixit ei, adjuro te per nomen Domini Iesv Chriſti, ut quis ſis nobis ediſſeras, & quam ob cauſam huc veneris palàm pandas. Cui ille reſpondit, heu adjuratus prodere cogor invitus. Ego enim non ſum homo, ſed dæmon, qui formam corporis accepi, & quatuordecim annis cum hoc milite hîc permanſi. Nam princeps noſter me huc miſit, ut diem, quâ ipſe ſuæ Mariae ſalutationem non diceret, diligenter obſervarem, & in eum poteſtate acceptâ, ipſum continuò ſtrangularem, & ſic malis operibus vitam finiendo noſter eſſet. Quacumque enim die ille ſalutationem dicebat, in ipſo poteſtatem habere non poteram. Ecce autem de die in diem diligentius obſervavi, & nullum diem prætermiſit, quin eam ſalutârit. Hæc miles audiens vehementer obſtupuit, & ad viri Dei pedes ſe projiciens veniam poſtulavit, & in melius deinceps vitam commutavit. Vir autem ſanctus dixit dæmoni: præcipio tibi dæmon in nomine Domini noſtri Iesv Chriſti, ut hinc ſtatim abſcedas, & talem hactenus locum poſſideas, ubi nulli glorioſam Dei Genitricem invocanti, nocere præſumas. Hæc ubi juſſa dedit, dæmon abſcedens evanuit.

§. VIII.

135. Fructus 8. Spiritualis dulcedo & utilitas.

Fructus 8. Fidelis anima, quoties Virginē devotè ſalutat, vel nomen ejus piè ruminat, toties recipit ſpiritualem dulcedinem, nonnumquam corporalem ſenſibilem, ut dicere poſſit illud Pſalm. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.*

O celeberrimum nomen Maria, excla-

exclamat D. Bonavent. *Quomodo poſſet nomen tuum non eſſe celebre, quod etiam devotè nominari non poteſt, ſine nominantis utilitate? Teſtatur tuus Bernardus, dicens: ô magna, ô pia, ô multum laudabilis* MARIA, *tu nec nominari potes, quin accendas: nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te: tu numquam ſine dulcedine divinitùs inſita piæ memoriæ portas ingrederis.* D. Bernardinus Senenſ. Serm. 3. de nom. B. V. Teſtis, ait, conſcientiæ eſt Dominus, quod ſi aliquando, cœleſti gratiâ largiente, exterioribus curis exemptus, laudibus Virginis valeo totus, vel per horam, occupari, tantâ lætitiâ mentis ſaucior, tantâque interius ſuavitate perfundor, ut cunctis mundi vanitatibus, & concupiſcentiis conculcatis, nihil aliud appetam, quàm cum ipſo lætitiæ ſpiritu, ſi daretur, ſtatim exilire ad Dominum, antequàm illud gaudii ſpiritualis, curis iterum redeuntibus, auferatur, & ſtimulante memoriâ delictorum cithara convertatur in luctum, & jubilus (prô dolor!) in lamentum. Vide igitur quantæ ſit felicitatis, & gloriæ in illa patria Dei Genitricem Virg. benedictam, ſtipatam ordinibus Angelorum, choris Virginum comitatam, vultu pleniſſimo gratiarum in ſuo dignitatis ſolio præſidentem revelatâ jam facie contemplari, quandoquidem in ſordibus carnis adhuc & mundo luto degentibus, tam læta contingit in ejus nominis contemplatione ſentire. Hactenus Bernardinus Senenſ.

S. Bernardinus Senenſ contemplans nomen MARIÆ ingenti dulcedine perfunditur.

Aliud exemplum. Miles veteranus Ciſterc. Ordinem ingreſſus, præ ingenii ruditate orationem Dominicam nulla ratione addiſcere poterat: multo tamen & diuturno labore ſalutationis Angelicæ brevem verſiculum inter prandendum ad unamquamque ferè buccellam illum ruminando memoriæ mandavit, & longo uſu tantam in ipſa ſalutatione mentis dulcedinem concepit, ut cordi ejus & ori Matris Chriſti memoria indelibiliter adhæreret. Poſt hujus obitum, ad tumulum ejus arbor ignoti generis excreviſſe viſa eſt, cujus folio litteris aureis inſignita *Ave* MARIA, *gratia plena* notabiliter ſingula continebant. Venit diœceſanus Epiſcopus, & per effoſſionem invenit radicem arboris ex ore veterani ortum habere. Quod ubi compertum, arbor illa in omnium oculis aruit, & defecit. Cantiprat. l. 2. Ap. c. 29. p. 9.

136. Converſus Ord. Ciſterc. mire oblectatur ad continuam memoriam ſalutat. Angeli.

Ex corpore defuncti excrevit arbor, & in foliis Ave MARIA.

Aliud. Matrona quædam Coloniæ erat, cujus palatum, quoties roſarium recitaret, tam grato ſapore imbuebatur, ut ſuam crederet ſalivam in mel converti. Quod ab ea intelligens Marſilius quidam, ibi recluſus propè templum S. Severini, & ipſe illius exemplo roſarium legere exorſus poſt ſex hebdomadas eam in ore, & gutture (dum ſalutationem Angelicam pronunciaret) experiri cœpit dulcedinem, quæ mellis ſuavitatem longe ſuperaret. Cæſarius de mirac. l. 7. c. 50.

Mulier & Eremita in lectione roſarii dulcedinem experti.

§. IX.

§. IX.

B. V. afficit beneficiis dicentes Ave.

137. FRuctus 9. Regina cœli favore ſpeciali proſequitur eos, qui ex more orationem Angelicam, devotè repetitam illi offerunt. Audi Idiotam: *Dedit tibi, ô* MARIA, *tota Trinitas nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur. Hoc nomen ſuper omnia nomina Sanctorum reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, ungit agoniſtas, jugum diaboli excutit, tantæ virtutis eſt, & excellentiæ, ut cœlum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant.* Sic ille. Divus verò Bonavent. *Certè,* inquit, *ipſa nos libenter ſalutat beneficio, & conſolatione, ſi nos etiam frequenter ſalutamus ſervitio, & oratione; libenter ſalutat nos cum gratia, ſi libenter eam ſalutamus cum Ave* MARIA.

In Spec. B. V.

Exempla particularia.

Puella B. V. adornat ſalutationibus Angel.

PAupercula cujuſdam opilionis filia cùm paſceret gregem propè ædiculam B. Virgini ſacram, ſed deſertam, in qua ſola Virginis effigies viſebatur inculta, & neglecta, frequenter inceſſabat eam deſiderium locum iſtum ſqualore, & neglectu vindicandi, & aliquid ornamenti in imaginem conferendi, verùm cùm obſtaret piis votis inopia, quod unum poterat, hunc animum ſuum Virgini Matri exponebat, & ornamentorum loco Angelicam ſalutationem identidem offerebat, & quidem per multos annos conſtanti ſemper pietate, donec febri correpta, & morti jam proxima, experientiâ didicit neminem à B. Virgine ſperni, nullius affectum negligi, nullius obſequium indonatum prætermitti. Adfuit enim morienti tribus turmis beatarum Virginum ſtipata, earum inprimis, quæ virginitatem quidem, ſed nullo voto obſtrictam, ſervârunt, aliarum deinde, quæ ejus votum nuncupârunt, denique aliarum, quæ roſam Martyrii virginitatis lilio innexuerunt. Inter has media Virginum & Martyrum Regina non dedignata eſt vile tugurium, in quo jacebat clientula, eamque ſuo & ſui comitatis adſpectu affatuque mirificè ſolata, paulò poſt expirantis animam inter maternos exceptam amplexus ſerto pulcherrimo, quod manu tenebat, redimitam, triumphantis in morem cœlo intulit glorioſam. Spec. Exemp. d. 9. n. 118.

B. V. cum variis turmis Virginum morienti adeſt & ſolatur.

Aliud. Adoleſcens quidam ſpiritu fornicationis vehementer impugnatus, cum Eremitæ cujuſdam conſilio in honorem Deiparæ quotidie in templo ſalutationem Angelicam centies recitaret, adjunctis totidem veniis, poſt aliquod tempus à Deiparâ ab eâ tentatione liberatus ad cœleſtes nuptias evocatur. Cæſarius l. 7. c. 33. 138.

Adoleſcens à ſpiritu fornicationis liberatur.

Aliud. Blanca, Galliæ Regina SSma, cùm multos jam annos vixiſſet cùm marito, nec ullam ex eo (quod ſatis ægrè ferebat) prolem ſuſcepiſſet, rogavit S. Dominicum,

Pietas Blancæ Reginæ ad B. V. & fœcunditas.

Digitized by Google

nicum, Ord. Prædicatorum, Inſtitutorem, per id tempus in Gallia degentem, ut prolem ſibi à Deo impetraret, at vir ſanctus Reginæ ſuaſit; ſi prolem expeteret, ut maximo animi ardore, & Deiparæ roſarium recitaret, & aliis, quotquot poſſet, diſtribuendum curaret, ſperaretque præpotentem Deum, Deiparæ patrocinio, ac eorum, qui roſarium legerent, precibus, omnibus ejus votis ſatisfacturum. Mox Regina Roſarii pronunciandi modum addiſcit, docet, ac toto Galliæ regno promulgandum diligenter curat. Cumque piè exercitationi inſiſteret, divinâ benignitate facta voti compos, Ludovicum filium peperit, qui deinde Galliæ Rex ſanctitate præclarus, plurimis miraculis illuſtris, Sanctorum Catalogo eſt adſcriptus. Spinell. de Deip. c. 36.

139. B. V. clerico ægro donat ubera ſanatque.

Aliud. Clericus quidam, etſi ſæculo deditus, Deiparentem tamen adeò amabat, & reverebatur, ut quotieſcumque Eccleſiam intraret, vel per eam tranſiret, nullâ vel occupatione, vel oblivione impediebatur, quin cum omni devotione, & humilitate genuflexus glorioſam Virginem Matrem ſalutatione Angelica honoraret; rurſus genuflexus dicebat: *Beatus venter, qui te portavit Chriſte.* Et, *Beata ubera quæ te lactaverunt Dominum Deum.* Is ægritudine correptus præ dolore linguam & labia dentibus commanducavit, idem de ceteris membris facturus ſi permitteretur. Cùmque linguâ & labiis conſumptis, miſerè jaceret ſenſibus corporis exemptus, vidit juxta lectuli caput perſonam reverendo adſpectu, qui ejus Angelus eſſe videbatur, & Deiparam pro ægroto enixè interpellabat: apparuit autem Virgo SSma extractaque ubera viſa eſt protinus immittere in os ægri, & ſancti lactis ſui rore infuſo, ſubito ſuæ linguæ integritatem, & labiis antiquum decorem, in toto çorpore priſtinam reſtauravit ſanitatem. Redditus igitur ſenſibus ſurrexit ſanus, & incolumis, & factam circa ſe miſericordiam, etiamſi lingua taceret, repentina vitæ & morum mutatione omnibus cœpit prædicare. Etenim ſe & ſua divino ſervitio mancipans de cetero duxit vitam religioſam. Vinc. Belluac. l. 7. Hiſt. c. 84.

Monacho Ciſterc. B. V. apparet cum mantello ſalutationem Angelic.

Aliud. Monachus quidam Ciſterc. Ord. in tantum B. Virginem venerabatur, quòd quotidiè ante refectionem dixit, genibus flexis quinquagies *Ave* MARIA. Cùmque viſitâſſet ſuos parentes, recordatus eſt ſe die illo non legiſſe ſalutationem Angeli vicibus 50. repenteque ſurgens ingreſſus eſt cameram; cùm ſalutationem Angeli more ſolito legeret, apparuit ei Virgo piiſſima mantello pulchro induta, in quo per totum ſcriptæ erant aureis litteris ſalutationes Angelicæ. Et cùm Monachus ex humana fragilitate de hujuſmodi viſione fuiſſet perterritus, dixit ad eum dulciſſima Virgo: En omnes ſalutationes Angelicæ, quas mihi dediſti

Digitized by Google

dediſti in iſto mantello ſunt ſcriptæ: deindè oſtendit Virgo digniſſima quamdam partem mantelli retrorſum, & dixit; poſtquàm hæc pars fuerit Angelicis ſalutationibus repleta, introducam te in regnum dilectiſſimi filii mei, quod & poſtmodùm factum eſt. Dionyſius Carthuſianus Serm. 1. Aſſumpt. B. V. M.

§. X.

140. FRuctus 10. Devota ſalutationis Angelicæ lectio, vitæ bene inſtituendæ, vel etiam reformandæ optimum medium eſt.

S. Dominicus hortatur populum ad lect. roſarii & fructum animarum copioſum refert.

S. Dominicus cùm in regione Toloſana Galliæ Narbonenſis concionaretur, nec quidquam fructus ſpiritualis colligeret, ea de re cum SSma Virgine expoſtulavit, cui illa aliquando apparens, dixit: *Dominice fili, nihil mireris, quod concionando minimè proficias; enimverò aras ſolum à pluvia non irrigatum; ſcitóque, cùm Deus renovare decrevit mundum, ſalutationis Angelicæ pluviam præmiſit; ſic orbis ipſe in meliùs eſt reformatus. Hortare igitur homines in concionibus ad roſarii mei recitationem, & magnus dehinc animarum fructus conſequetur.* Quod S. Dominicus ſtrenuè executus, uberes ex ſuis concionibus animarum fructus retulit. De his arbitror eamdem B. Virginem certiorem feciſſe B. Alanum in hæc verba: *Per hoc Pſalterium* (Roſarium videlicèt) *in ipſo ordine ſacro contigerunt multa prodigia & ſigna mirabilia, in tam immenſo numero, ut maximus liber de his fieri potuiſſet. Per hoc enim ſceleſti peccatores, & mulieres in ſanctam vitam mox convertebantur, & fletus dabantur in abundantia, pœnitentiæ fiebant, cauſa hujus Pſalterii, etiam à puellis & pueris incredibiles, devotionis ardor erga me, & Filium meum, per hoc ſic florebat, ut Angelos in terras veniſſe ferè putares.* Trithemius item loquens de confraternitate Roſarii: *Quis enarret*, inquit, *quantos à peſſima deſperatione ad ſpem miſericordiæ duxerit: Quantos à duriſſima peccati conſuetudine ad pœnitentiæ ſemitas revocârit? Quantos in religione, & extra tepidè converſantes igne divini amoris inflammavit? Ejus meritis & ſuffragiis in partu mulieres à periculis (alioqui vicinæ mortis) liberatæ ſunt. Multi etiam à ſententia perpetua damnationis, ſicut legimus, erepti, &c.* In Revel. S. Birgittæ, quæ dicuntur Extrav. c. 65. habetur inter cetera id ſalutare monitum. *Si quis*, inquiebat Chriſtus, *ſubito motu, vel irâ obloquitur alteri, ſtatim cùm fieri poteſt, quæratis locum aptum legendi unum Ave* MARIA, *à Deo indulgentiam poſtulando.*

Chriſtus conſulit iratis dicere Ave MARIA.

Claudius Aquaviva, Societ. IESV Præpoſitus generalis in Epiſt. quam ann. 1586. ad ſibi ſubditos Patres, & Fratres direxit, eos ad præcipuam quamdam erga B. Virginem pietatem, atque fiduciam (velut rationem quandam efficaciſſimam, quæ ipſos ad perfectionem etiam atque etiam promovere poterit) quaſi novis facibus inflammare ſtuduit, ad quod aliquas adfert

Digitized by Google

fert rationes, illam præſertim, quia complures Sancti hac Deiparæ devotione magnos in pietate progreſſus fecerunt, & quia B. Pater Ignatius, Societatis Parens, quàm plurimum ſibi ſubſidii in tanta rerum omnium Domina atque Regina collocaverat.

Corn. à Lap. in Ezech. c. 44. Pater Ioannes Avila ejuſdem Soc. vir noſtra tempeſtate inſignis ſanctitatis, & prudentiæ, dicebat; plures cum impudicitiæ vitio tenerentur captivi, à Deo propter pium affectum ad Virginis Conceptionem, & Annuntiationem caſtitatem obtinuiſſe.

Exempla particularia.

141. B V. Moniali Epiſtolam dat qua eam inſtruit. Virgo quædam Sanctimonialis, Ioanna nomine, in Cœnobio multum diſſoluto vivens, cùm Deiparæ roſarium perlegeret, ſicut erat ſolita, de cœlo cadentem Epiſtolam vidit, cujus erat inſcriptio: MARIA, *Dei Mater, filiæ Ioannæ ſalutem.* Litterarum verò iſta ſententia: *Filia mihi admodùm chara, Roſarium iſtud meum, ut inſtituiſti, fac recites: ſemper viros fuge, & omnem eorum conſuetudinem vita, qui tibi ad virtutem, & veram animi libertatem capeſſendam minùs prodeſſe videbuntur. Caveto deſidiam, inertiam, & otium, rerum lautitiam, & ornatum curioſiorem removeto, & tuum repurga cubiculum, in quo aliqua remanent digna, quæ à muliere religioſa repellantur, horum in locum Chriſti, & Sanctorum imagines, & ſacrarum rerum ſufficito, quarum te patrocinium defenſioque ſervabit. Si me audies, & quæ tibi facienda præſcribo morigero cultu perficias, gratia apud Filium meum valebis, & ego pro te Deum omnipotentem in tuis rebus afflictis appellabo.* Perlectâ Epiſtolâ valdè animata eſt ancilla Chriſti ad ferventem Virginis cultum, & promptiſſimè quæcumque in mandatis acceperat, executa eſt. Aliquo poſt tempore, cùm quidam Abbas eò veniſſet, ut Monaſterium ad priſtinæ diſciplinæ ſtatum revocaret, in eumque finem orans excubaret. Vidit luce magnâ Ioannæ cubiculum illuſtrari, & in media claritate cœli Reginam ſtipatam agmine Angelorum, quibus Ioanna ſociata precibus inſiſtebat: interim fremebant ante ejuſdem cellulam dæmonum ingens multitudo, qui ſub diverſarum beſtiarum ſpecie ſe conſpicuos, & terribiles exhibebant. Sed Deiparæ juſſu repulſi, ad fatuarum Virginum cubicula tranſierunt, aliaſque alii cellas occupârunt. Obſtupuit hoc ſpectaculo Abbas, & intellectâ poſtea Ioannæ in Virginem pietate, roſaria multa comparari juſſit, quæ in Moniales alias diſtribuit, eas hortatus ad illorum piam, & conſtantem recitationem, quod dum faciunt, omnes non ita multò poſt ad normam religioſam mores ſuos compoſuerunt. Ioan. Bonifacius in Hiſt. Virg. l. 4. c. 4. Cœnobium Monialium per lect. roſarii reformatur.

Aliud. Iuvenis quidam in Germania genere clarus, etſi corporis caſtitatem ſervaret, hæreditatem tamen ſuam in ludo teſſerarum, & tabernis 142. Iuvenis ad vitam meliorem redit.

Digitized by Google

tabernis omnem prodegerat, quare miſerè vagabatur. Is patrui conſilio integro anno quotidiè Deiparam 50. ſalutationibus Angelicis venerari cœpit. Cùmque in mundi vanitatibus remiſſius ſe haberet, ejuſdem patrui conſilio inſequenti anno hoc Deiparæ obſequium duplicavit, in eoque firmum bona faciendi propoſitum concepit. Tertio tandem anno, patrui monitu, tertiam quoque adjecit quinquagenam. Evoluto anno, patrui operâ, cum honeſtâ ſponsâ matrimonium iniit, inſtructoque nuptiali convivio, cùm adeſſent utriuſque partis cognati, & ſponſus, & ſponſa ad menſam conſediſſent, ex inopinato ſurgit ſponſus rogans patruum tantiſper jubeat differri fercula, quoad ſolitas Deiparæ preces perſolveret, quas eo die, aliis diſtentus negotiis, omiſerat. Itaque in cubiculum ſe recipit, magnâ animi pietate conſuetas preces Deiparæ, cujus beneficia agnoſcebat, obtulit: cùmque ſupremam ſalutationem tertiæ quinquagenæ jam compleret, ecce glorioſa Virgo ſole clarior eidem apparet, oſtenditque juveni in ſua tunica tres togas, anteriorem unam, duas verò à latere. Ecce, inquit, ſalutationes tuæ aureis litteris ſcriptæ, quibus in tribus quinquagenis me ſedulò honorâſti, & quoniam vanus, & vagus virginitatem coluiſti, tertiâ die ad me ſine ulla carnis corruptione pervenies. Ipſe verò egreſſus hortatur omnes epulari, peracto prandio, ſponſæ, patruo, & amicis, quæ audierat à B. Virgine intimavit. Febre igitur correptus tertiâ die obiit. Sponſa verò in ſancta virginitate permanſit. Spinell. de Deipar. c. 39. ſ. in quarto 600.

Aliud. Matrona honeſti militis adulterium cum alio milite commiſerat: ſed poſteà facti pœnitens tantum flagitium eſt deteſtata. Cùm verò ille miles, abſente viro, domum illius ingreſſus, vi eam renitentem opprimere conaretur, hæc autem viribus reſiſtere nequiret, Deiparam, totius caſtitatis patronam, illis verbis invocavit: Rogo te Domina ſancta MARIA, per illud ſanctum *Ave* MARIA, quatenùs in hac horâ liberes me. Mox virtus omnis in milite defecit, & emarcuit, & mulier ab eo ſe excutiens intacta evaſit. Cæſarius l. 7. c. 28.

B. V. mulierem ab adulterio ſervat.

§. XI.

143. Fructus ſalutat. Angel. meritum.

FRuctus II. Qui ſalutat, & precatur Virginem in bono ſtatu, facit actum multùm meritorium. Cùm enim actus fidei de Incarnatione ex Virg. MARIA, ſimul & paſſione Mediatoris Chriſti, nec non laus Dei ſuper iiſdem myſteriis præſtantiſſimi ſint, etiam meritum horum præſtantiſſimum erit. Nec modicum auget congaudium, & gratiarum actio ſuper beneficiis, & prærogativis chariſmatum, & præſertim maternitatis Dei MARIÆ præſtitis, & per eam in totius generis noſtri ſalutem, & gloriam redun-

Digitized by Google

redundantibus. Addo, quod hujuſmodi precator excellentiori modo Mariam ſalutare videtur, quàm Gabriël Angelus, qui ſalutavit eam ut Virginem tantùm, & quidem mortalem, incluſam in cubiculo, cum hominibus degentem in terris: ipſe autem ſalutat eam ut Matrem Dei, jam in cœlis triumphantem, & dominantem ſuper choros Angelorum, &c.

Homo excellentiori modo ſalutat B. V. quàm Angelus Gabriël.

B. Alanus in Pſalt. B. V. refert de quadam Sanctimoniali Deiparæ devotiſſimâ, quòd poſt obitum ſuum uni ex conſororibus ſuis apparuerit, cum qua de utilitate ſalutationis Angelicæ diſſerens, inter cetera hoc valdè notandum dixit: *Si poſſem redire ad corpus, & unum dumtaxàt Ave* Maria *orare, etſi ſine magna devotione, ego propter meritum illius vellem tantum rursùs ſuſtinere cruciatum, quantum ante mortem perpeſſa tuli.* Reverà hæc beata anima in altero didicit mundo, Angelorum nimirùm aula, quantæ excellentiæ, virtutis & meriti iſthæc Angelica congratulatio, myſteriorumque præcipuorum fidei profeſſio apud Deum, ejuſque Matrem eſſet.

Unum Ave quanti meriti.

144. S. Gertrudis de familia S. Benedicti religioſa l. 4. Inſinuat. div. c. 49. quâdam die obtulit non tantum ſuas, ſed & aliorum multorum (qui id rogârant) preces Dei Genitrici Mariæ. Et ecce oranti ipſa ſe ſiſtit Virgo pallio circumamicta viridi, quod aureis undequaque floribus perlucebat trifoliorum ſpecie, figurâque admirabili, & decora, ſimulque edocuit, quid tam florido pallio deſignaret his verbis: Quot voces quilibet eorum, à quibus iſta mihi defers, precando diffudit, tot me floribus exornavit, quorum, ut vides, non unus atque idem ſplendor apparet. Vt enim quiſque puriſſimè oravit, ita pulcherrimè mihi ſuum florem conſignavit: ego interim cujuſque precantis meque venerantis animum floribus depingo virtutum, & pulchritudinem, quâ me illi veſtierunt, ſanctitate remetior.

Salutationes Angeli ſunt quaſi flores ornantes B. V.

Item l. 4. Inſin. c. 53. cùm S. Gertrudis in Feſto Nat. B. V. tempore Completorii obtuliſſet B. Virgini centum & 50. *Ave* Maria in honorem ejus lecta, atque orâſſet ut in horâ mortis maternâ pietate ſibi adeſſe dignaretur. Ecce omnia verba, quæ legerat, viſa ſunt in ſpecie aureorum denariorum ante conſiſtorium divinum præſentari, & ab ipſo Matri ſuæ commendari. Quæ mater pia ſuſcipiens, quaſi diſpenſatrix fideliſſima, ſingillatim diſponebat in profectum, & ſolatium animæ ejus, diligentiſſimâ curâ providens, ut cùm egrederetur de hoc ſæculo, pro ſingulis ſibi oblatis, ſpeciales conſolationes, & tuta ſubſidia apud diſtrictum judicem ipſi obtineret.

Salutationes Angelicæ viſæ mutari in aureos nummos.

Converſus quidam religioſus Ordin. Ciſterc. dum ex obedientia nocte SSmæ Aſſumptionis B. V. Mariae, extra Monaſterium ſuum Clarævall. poſitus, ſolicitas

Digitized by Google

licitas excubias ſuper gregem ſuum, in paſcuis quieſcentem, ſervaret, factum eſt, ut ſonitus ſigni matutinalis (quo fratres ad divinas laudes perſolvendas in Cœnobio excitabantur, quodque ob canticinii ſilentium procul audiri poterat, aures ipſius reverberaret. Hoc audito ipſe ſe vertens ad plagam cœli, ubi Monaſterium ſitum erat, omni affectu ſalutationem Angelicam (neque enim alias preces Virginis nôrat) ſæpius cum ſuis veniis repetens, reliquam noctis, & diluculi partem ſine tædio in agro tranſegit. De hoc S. Bernardus per revelationem accepit notitiam, adeoque mane illud fratribus in ſermone retulit, dicens: *Stire vos volo, unum ex minoribus, & ſimplicioribus converſis, quem obedientia hâc nocte ſub dio in ſilvis ſancta feſtivitatis gaudia celebrare coëgit, tam jucundum, tam devotum, tam feſtivum Dominæ noſtræ matutinarum exſolviſſe ſervitium, ut nullius quantacumque ſuſpenſa contemplatio ſeu intenſa devotio, ipſius devotioni (quam non contemplationis ſublimitas, ſed ſubmiſſa ſanctæ ſimplicitatis humilitas effecit) præferri potuerit.* Specul. Exempl. d. 3. n. 37.

Converſi ſervitium ſalutat. Angelic. quàm præſtans.

§ XII.

146. Fructus 12. in ſalutatione Angelica Incarnationis myſterium profitemur, & paſſionis beneficium cum gratiarum actione rememoramus, quando nimirum dicimus. *Et benedictus fructus ventris tui* Iesvs. *Origo*, inquit D. Bernard. *omnium fontium, & fluminum mare eſt, & virtutum, & ſcientiarum Dominus* Iesvs *Chriſtus. Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant, &c. Quod ſi copiæ aquarum ſecretis ſubterraneiſque recurſibus inceſſanter æquora repetunt, ut inde rursùs ad viſus uſuſque noſtros jugi, & infatigabili erumpant obſequio, cur non etiam ſpirituales rivi, ut arva mentium rigare non deſinant, proprio fonti ſine fraude, & ſine intermiſſione reddantur? Ad locum unde exeunt revertuntur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remittatur ad ſuum principium cæleſte profluvium, quo uberius terræ refundatur. Qualiter, inquis? Qualiter dicit Apoſtolus: In omnibus gratias agentes, &c.*

In Cant. Serm. 13. In ſalutatione Angeli præcipua myſteria redempt. memoramus.

Iesvs inter omnia nomina, quibus Deus incarnatus vocari voluit, præcipuum locum tenet nomen Iesv, quod magno pretio, proprio ſcilicèt ſanguine ac morte ſibi comparavit: cetera nomina divina nihil ipſi conſtiterunt, atque majeſtatem, ſeu potentiam ſonant, hoc pietatem, & miſericordiam ſpirat. Itaque quando illud ſuper-venerabile nomen Iesv pronunciamus, & invocamus, tum ſalutiferam ejus Incarnationem, & paſſionem ad memoriam reducimus, ejuſque copioſis meritis communicari quaſi expoſtulamus, dum eum Salvatorem noſtrum agnoſcimus, & benedicimus. *Nomen* Iesv, affirmat D. Bernardinus, *eſt ſignum repræſentans tibi omnia, quæcumque Deus undique fecit propter ſalutem hu-* 147.

147. Nomen Iesvs magni ipſi ſtetit.

Digitized by Google

manæ naturæ. Rurſus: *In hoc nomine,* ait Serm. 41. Fer. 2. poſt 6. Dom. Quadrag. *tu reperies ejus incarnationem, peregrinationem, paſſionem, mortem, & reſurrectionem, &c.* Item D. Bernardus: *Cùm nomino,* inquit, Iesvm, *hominem mihi propono mitem, humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni ſanctitate conſpicuum, eumdem ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me exemplo ſanet, & roboret adjutorio.* Sine hoc nomine omnia noſtra nihil niſi tenebræ, defectus, tædium, gravamen: ubi Iesvs adeſt, ibi lux, ſalus, devotio, ſolatium, & omne bonum. De hoc velim audias Bernardum diſſerentem:

Nomen Iesus oleo comparatur. Ratio.

Non otioſè, ait, *Spiritus S. nomen ſponſi oleo comparat, cùm ita docet ſponſam ad ſponſum clamare: Oleum effuſum nomen tuum. Oleum enim lucet, paſcit, & ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem. Lux, cibus, medicina.*

Nomen Iesvs lux, cibus, medicina. Lux.

Vide idem nunc, & de ſponſi nomine: lucet prædicatum, paſcit recogitatum, invocatum lenit, & ungit. Et percurramus ſingula. Vnde putas in toto orbe tanta & tam ſubita fidei lux, niſi de prædicato nomine Iesv? *Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen ſuum, quibus illuminatis, & in lumine iſto videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hoc denique nomen coràm regibus, & gentibus, & filiis Iſraël portare juſſus eſt idem Apoſtolus, & portabat nomen tamquàm lumen, & illuminabat patriam, & clamabat ubique: Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus. Et monſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum, annuncians in omni loco* Iesvm, *& hunc crucifixum. Quomodo lux iſta reſplenduit, ac perſtrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tamquàm fulgor egrediens, claudi unius corporales plantas ſolidavit, & baſes multoſque ſpiritualiter cæcos illuminavit? Numquid non ignem ſparſit cum ait: In nomine* Iesv *Chriſti Nazareni ſurge, & ambula? Nec tantum lux eſt nomen* Iesv, *ſed eſt & cibus.*

Cibus.

An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus? Virtutes roborat? Vegetat mores bonos atque honeſtos? caſtas fovet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur: inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit, niſi legero ibi Iesvm: *ſi diſputes, aut conferas, non ſapit mihi niſi ſonuerit ibi* Iesvs, Iesvs *mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed eſt, & medicina.*

Medicina.

Triſtatur aliquis noſtrum, veniat in cor ejus Iesvs, *& inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? Currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nonne ſi invocet nomen vitæ confeſtim reſpirabit ad vitam?* Huc uſque Bernard.

148. Addo in hoc argumentum ſermocinantem D. Bernardinum Senenſ. *Tanta eſt,* inquit, *conſolatio animæ quæ lætatur in Chriſto* Iesv,

Digitized by Google

ut paupertas pro divitiis, aſperitas pro deliciis, & vilitas pro honoribus reputetur, cunctaque ſupplicia pro nomine ejus illi dulcia fiant, unde plus ei catena placet, quàm regius honor, aut corona. Præterea, *illuminatur*, inquit, *intellectus ad devotam invocationem nominis* Iesv *Chriſti. Quia ut ſcribitur* Zachar. 6. *Oriens nomen ejus*; id eſt, *velut Sol radians humanam mentem. Sicut enim Sol iſte materialis diffundens radios ſuos oſtendit omnia, quæ in mundo ſunt, & materialem exhibet claritatem, ſic ſolare nomen* Iesv *mentes irradiat, ut videant, quæ ſunt in Deo ſecundùm perſpicuam veritatem. Non enim illuminat hoc nomen in ſuperficie tantùm, ſed in medullis ſenſuum, claritateque rationum, & veritate ſententiarum.*

Nomen Iesvs ſoli comparatur.

Demum poſtquàm idem Sanctus probavit, quòd hoc idem nomen Iesvs nos defendat à dæmonibus, concludit, dicens: *Igitur ſi conſtipentur acies ſi conſiſtant caſtra, ſi exurgat adversùm te prælium, non formides periculum, nomen* Iesv *ſonet in corde devoto, nomen invoca virtuoſum. Quia ut dicitur* Exod. c. 15. *Omnipotens nomen ejus, currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare. Et ſic liberatus eſt populus Dei. In hujus quoque myſterium* Iesvs Nave, *ſucceſſor Moyſis, fortis in bello, jam nominis* Iesv *virtute, non propriâ, de hoſtibus triumphabat. Ad hoc etiam exhortandum audi prælii ducem concrepantem in ſpiritu* 2. Tim. 2. *& dicentem: Fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto* Iesv. *Quaſi diceret: arma ne rejicias ex timore, ſed alacriter pugnam aggrediaris, invocato nomine* Iesv, *& fugient partes adverſæ. Nequeunt enim adunata tartareæ noctis phantaſmata tanti nominis lumen, tantamque odoris fragrantiam ſpurciſſimi ſpiritus illi, atque tantam poteſtatem* Iesv *Chriſti ſuſtinere.*

In pugna vitæ hujus nomen Iesv invocandum.

149. D. Auguſt. ante ſuam converſionem teſtatur hoc nomen ſemper ſibi in veneratione, & in deliciis fuiſſe. Nam 3. Confeſſ. 4. dicit. *Hoc nomen Salvatoris mei, Filii tui, in ipſo adhuc lacte matris tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat, & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis literatum, & expoſitum, & veridicum, non me totum rapiebat.* Illa autem nominis Iesv frequens pronunciatio ac veneratio, plurimùm ei ad converſionem profuit.

Nomen Iesv Auguſtino in deliciis erat.

D. Bonavent. refert de S. P. N. Franciſco c. 10. vitæ ejus: *Nomen autem* Iesv *cum exprimeret, vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari: ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmoniacus ſonus ipſius immutâſſet auditum.* In tanto honore vir ille Seraphicus ſacroſanctum nomen Iesv, aliaque ejus vocabula habuit, ut non paſſus ſit alibi irreverenter tractari, vel etiam indecenter jacere: unde & in Teſtamento fratribus ſuadet in hæc verba: *Et ſanctiſſima nomina ejus, & verba ſcripta ubicumque invenero in locis illicitis, volo colligere, & rogo quòd colligantur, & in loco honeſto collocentur.*

S. Fräciſcus quantum ad nomen Iesv delectabatur.

150. Fervens ille, ac verè ignitus Ignatius, Dei Martyr, & S. Ioannis diſcipulus tanto ergà ſacratiſſimum

S. Ignatius quantum affectus ad nomen Iesv.

 nomen

Digitized by Google

nomen Iesv amore inflammatus erat,ut quidquid loqueretur,quidquid ſcriberet, continuò Iesvs in ore,continuò eſſet in corde, ita ut vel in unica Epiſtola ultra quindenas vices nomen Iesv repetierit, in aliis vigeſimum etiam numerum exceſſerit. Sic hoc nomen Iesv vivens dilexit, ut in corpore morientis ſcriptum cerneretur.Sic enim ſcribit Vinc.Belluac. l. 10. Hiſt. c. 57. *Legitur in vita S. Ignatii, quòd inter omnia ſibi tempore paſſionis illata tormenta numquam ab invocatione nominis* Iesv *Chriſti ceſſabat. Quem cùm tortores requirerent, cur hoc nomen toties replicaret, reſpondit: hoc nomen cordi meo inſcriptum habeo. Poſtquàm à leonibus ſuffocatus eſt, non tamen dilaceratus, tortores volentes curioſius, quæ Sanctus dixerat, experiri, cor ejus à corpore evellunt, & illud ſcindentes per medium totum cor ejus inſcriptum hoc nomine* Iesvs *Chriſtus, inveniunt. Vnde ex hoc miraculo plurimi crediderunt.* Neque ab uno tantùm aut altero obſcurioris notæ Scriptore prædictum miraculum Sancti Ignatii proditur, teſte Carolo Stengelio Ordin. D.Benedict.in tract. de nomin. Iesv cap. 27. ſed habet adſtipulatores plurimos doctiſſimos, noſtro etiam ſæculo magni nominis viros.

In corde Ignatii ſciſſo repertum nomen Iesvs.

Alphonſ. Salm. & Joan. Oſor. &c.

151. S. Bernardinus Senenſis, egregius divini, & ſaluberrimi nominis Iesv cultor, ac honoris ejuſdem propagator zeloſiſſimus, narrat de nobili milite, qui cùm obitis locis ſanctis ad veſtigia Chriſti, ab ipſomet in cœlum adſcendente, terræ impreſſa, perveniſſet; indidem corpore animoque deficiens, præ amoris ſuavitate, & Iesvm videndi deſiderio, evolavit in cœlum, unde Iesvs adſcenderat, cùm corpus, ut fit, exenteratum eſſet, apparuerunt in corde inſculpta verba: *Amor meus* Iesvs. Vide Stengel. ſup.

In cordo militis ſcriptum *Amor meus* Iesvs.

In Exempl. Specul. d. 9. num. 74. refertur de Virgine, quæ magnam habebat devotionem ad Mariam Deiparam, majorem tamen ad Iesvm, ejus filium. Hæc ſeptem annis continuè rogavit Virginem Matrem, ut ſibi dignaretur oſtendere filium ſuum. Tandem in vigilia Nat. Domin. ei in capella domûs oranti apparuit Sma Dei Genitrix tenens Filium Iesvm in manibus, ac dicens puellæ, accipe Filium meum, & lude cum illo, quod gaudens fecit. Cui puer ait: diligiſne me? Et illa, omnino. Rogat puer quantum? tunc illa, pluſquam corpus meum. Cui iterum puer. Sic diligis me? Et illa: pluſquàm cor meum. Et Iesvs denuò: quantum plus corde tuo diligis me? Et illa, neſcio dicere, ipſum cor loquatur. Quo dicto ſtatim cor ejus præ amore ſciſſum eſt. Tunc B. V. Maria acceptâ animâ ejus cum concentu Angelorum deduxit ad cœlum. Ad cantum verò Angelorum familia occurrit, & Virginem mortuam invenientes odore inenarrabili ſunt repleti, & Fratres Prædicatores,

Virgo præ ardenti amore expirat.

catores, qui aderant, cor ejus aperientes, ſciſſum invenerunt, & in eo ſcriptum aureis litteris: *Diligo te, pluſquam me, quia tu creâſti, redemiſti, & dotâſti me.*

152. *Joan. Corenus in Clyp. pat. l. 1. c. 16.* Paulus Apoſtolus quantum glorietur in nomine Iesv.

In amore Iesv nemo ita exarſit, ut Apoſtolus Paulus. Hic in nominando ſacratiſſimo nomine Iesv ita delectabatur, ut in quatuordecim ſuis Epiſtolis illud repetat ducenties decies novies. Majores erant conſolationes, quas in illo inveniebat, quàm afflictiones, quas pro illo tolerabat. Iesvm, inquam, ſæpe præferebat, pro quo omnia libenter perferebat. Sic enim prædictum erat à Domino: *Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Patiebatur pro Iesv, & deliciabatur in Iesv; nominabat Iesvm, & vapulabat pro Iesv. Scribebat Iesvm, & necabatur pro Iesv. Audi illum clamantem: *Non ſolùm alligari, ſed & mori paratus ſum, propter nomen Domini* Iesv.

Joan. Coren. ſup. Pauli caput ſciſſum inclamat nomen Iesvs.

Et non tantum dulce nomen Iesv vivendo protulit, ſed & moriendo. Nam reſectum ejus caput Iesvm dixiſſe referunt Hiſtorici. Quia ſicut vas unguento odorifero imbutum, licèt frangatur, ſemper tamẽ odorem ſervabit juxta illud:

Horat.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit
odorem Teſta diu. —

Ita Paulus, de quo Chriſtus: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël.* Vas, inquam, rota tertii cœli elaboratum, vas quidem terreum, & fragile, coctum tamen in fornace tribulationum, tantam in illo nomine recepit fortitudinem, & conſtantiam, ut quamvis tyranni in ipſum deſævientes huc caput, & illuc corpus projecerint, numquam nomen Iesv, pro quo moriebatur, dimiſerit; imò tamquam vas, quod ſuaviſſimum diu continuerat liquorem, licèt confractum, bonum ejus odorem retinens, ſuavitatem exhalabat.

Ad trinum ſaltum capitis Pauli tres fontes erumpunt.

Nec minus mirabile prodigium fuit, ter ſaliente Pauli capite, poſtquàm fuerat abſciſſum, tres in eodem loco fontes erupiſſe; quo impletur non tantum in ſpiritu, ſed & reipſa, quod prædixerat Iſaias c. 12. *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris.* Eſt autem Iesvs ille Salvator, cujus non tantum perſona, ſed & nominis ipſius invocatio atque prolatio eſt tantæ virtutis, ut Moyſis virga in operatione miraculorum longe ſit eo inferior: illa enim fontem unum, nomen autem Iesv à Paulo repetitùm tres fecit ſcaturire, qui adhuc exſtant. Celeberrimus eſt hic locus trium fontium Romæ, qui omnium peregrinorum concurſu viſitur. Itaque illud nomen, quod fecit emanare è terrâ fontes aquarum, faciet etiam emanare è cœlo aquas conſolationum, ſi devotè proferatur, & invocetur, & non tantùm nobis præſentem afferet conſolationem, & confortationem, ſed æternam etiam ſalvationem. *Non enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

Quatenus autem nominis hujus fructus (qui ſunt ut patet ex dictis converſio ad Deum, ſalus, gratia, auxilium, protectio, & conſolatio, &c) felici ſucceſſu conſequaris (poteſt enim Chriſtus, ut judex juſtè repellere, & non audire peccatorem) vel etiam quo gratior nominis Iesv pronunciatio, atq; ad invocationem ejuſdem promptior exauditio fiat, nec non uberior gratia ad nos fluat, Matris Mariæ benevolentia per ſalutationis Angelicæ devotam iterationem captanda, & ad filium ipſamet Mediatrix adhibenda. Salutatio Angelica, in qua ſalutis nomen benedicitur, atque imploratur, eſt optimum omnium precum ac invocationum condimentum, ſuo gratiſſimo odore Iesv ſenſus perfundens, ipſiuſque cor lectiſſimo ſapore rapiens, atque ad miſericordiam flectens, ut per eum à Patre filiorum adoptione ac hæreditate donemur. Hinc exhortor te, precator Chriſtiane, ut propriæ vilitatis, ſeu etiam reatûs conſcius, omnes laudes tuas ad Deum atque poſtulationes apud Chriſtum hoc cœleſti condimento afficias, atque in Matris Iesv manus conſignes; quoniam ut loquitur D. Bern. *candidiſſima quædam lilia ſunt, nec cauſabitur ille liliorum amator, inter lilia non inventum, quidquid illud ſit, quod inter* Mariæ *manus invenerit.* Et quamvis juſtus tibi videaris, patrocinium tamen ejus velim non omittas; quia ut aſſerit idem Bernard. *Nihil nos Deus habere voluit, quod per* Mariae *manus non tranſiret.*

Salutatio Angelica condimentum nominis Iesvs.

§. XIII.

Fructus 13. Salutatio Angelica non tantùm prodeſt recitanti, ſed etiam proximo, etſi peccatori, participi tamen timentium Deum. Cùm enim in ſalutatione Angelica petitio ex Eccleſiæ inſtitutione communis ſit, comprehendit quoque eos, pro quibus orans intendit orare, vel ſaltem ad eum aliquo modo ſpectant, iſtiſque prodeſſe poterit. Hinc D. Iac. monet unumquemque, ut non tantum pro ſe oret, ſed etiam pro proximis Deum interpellet: *Orate, inquit, pro invicem, ut ſalvemini. Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Iac. 5. 153.

Salutatio Angeli etiam proximo prodeſt.

Exemplum.

Eremita quidam in ſilva proxima, quæ Brocherota vocatur, commanens ſolitarius, vidit, ſicut ipſe referebat, non dormiendo, ſed vigilando media die ſanctam Dei Genitricem Mariam in cœlo, inſtar Reginæ præcelſo throno reſidentem, & duas ſanctas, videlicèt Waldetrudem, & Aldegundem pedibus ejus ſe proſternentes, & de Theodorico Aveſnenſi, qui Eccleſias earum combuſſerat, ultionem poſtulantes; cumque vehementer conquerentes acrius juſtitiam expeterent, Sancta Virgo ſic eis reſpondebat: Parcite

Salutatio Angeli divinam ultionem retardat.

Parcite quæſo, mihique nolite eſſe moleſtæ, quia nolo ad præſens eum gravare. Vxor enim ejus Domina Ada, quoddam ſervitium mihi facit, quo me ſibi ſic familiarem adſtrinxit, ut nec ipſi, nec marito pati poſſim aliquid inferri gravaminis. Cùmque Sanctæ illæ requirerent, quod eſſet illud ſervitium? Reſpondebat, Angelicam illam ſalutationem, quæ in terris mihi principium extitit lætitiæ, ſexagies replicat; & vicies quidem proſtrata, vicies genibus flexis, vicies autem ſtando, aut in Eccleſia, aut in cubiculo, aut in aliquo loco ſecreto. Cùm verò adhuc illæ Sanctæ inſtantius multa replicantes ſeſe vindicari importunè exigerent, tandem S. Virgo ſic eis reſpondit: Rogo ut mihi ad præſens inducias detis, & ego promitto vobis, quòd veniet tempus, quando de eo vobis juſtitiam faciam, & contra Dominam Adam nihil delinquam. Conſanguinei verò Theodorici contriſtati, quod de conjuge ſua prolem non haberet, conſanguinitatis linea 4ª eos propinquos eſſe coràm Odone Epiſcopo Cameracenſi (qui Abbas fuerat S. Martini Tornaci) accuſaverunt, & die ſtatuta jurejurando confirmârunt. Sicque Eccleſiaſtico judicio, cùm jam pluſquam viginti annis ſimul manſiſſent, conjugium illud diſſolvi fecerunt. Vix autem dimidius annus tranſierat, & ecce præfatus Theodoricus, in ſilvam venatum pergens, ab Iſaac de Barlamonte inſidiis circumventus, occiditur, & ad Cœnobium Leſſienſe, quod ædificârat, relatus, in capitulo ante ſedem Abbatis ſepelitur. Tumque vulgatum eſt verum fuiſſe, quod ſolitarius ille ſe audiſſe dixerat, B. MARIAM promittentem, quia eas vindicaret, & contra Dominam Adam, jam ab eo ſeparatam, non peccaret. Eadem vero Domina à marito disjuncta, continuò relictâ ſæculari pompâ, ad Cœnobium, quod cum viro ſuo conſtruxerat, abiit. In tantum vero eliminatum eſt id, quod diximus, ut etiam Goſceguinus, qui Theodorico ſucceſſit, eaſdem ſalutationes B. MARIAE quotidie replicaret, militibuſque ſuis eas dicere ſuaderet. Quamobrem & ipſe licèt multa mala fecerit, tamen bono fine vitam terminavit. Nam ſentiens ſe validâ ægritudine laborare, in eodem Cœnobio Monachus factus, ſicque defunctus, juxta avunculum ſuum in capitulo eſt ſepultus. Laurent. Beyerlinck in Theatro magno tomo 5. verbo, MARIA.

§. XIV.

FRuctus 14. Salutatio Angelica etiam defunctis prodeſſe poteſt. Nam cum ibidem interpellctur B. Virgo pro peccatoribus, atque ipſæ animæ defunctorum ob peccata in Purgatorio crucientur, meritò pro earumdem refrigerio & libertate fideles Genitricis Dei patrocinium implorant. Hinc plurimi Summi Pontifices concedentes 154. Salutatio Angeli etiam defunctis prodeſſe poteſt.

Digitized by Google

tes indulgentias iis, qui tertiam partem Roſarii, ſeu Coronam B. Virginis legerint, indulgent ſimul ut iſta pietatis exercitia per modum ſuffragii juvare valeant ad liberationem animæ de Purgatorio.

Nomen Mariæ quantæ virtutis.

In Revelat. S. Birgit. l. 1. c. 9. *Filius meus*, ait Deipara ad Birgittam, *quantum etiam honoravit nomen meum, audi. Nomen meum eſt* Maria, *ſicut legitur in Euangelio. Hoc nomen cùm Angeli audiunt, gaudent in conſcientia ſua, & regratiantur Deo, qui per me, & mecum talem gratiam facit, & quod vident ipſi humanitatem Filii mei in Deitate glorificatam. Illi, qui in Purgatorio ſunt ultra modum gaudent, tamquàm æger in lecto jacens ſi audierit ab aliquibus verbum ſolatii, & quod ei placet in animo, quod ſtatim exultat, &c.* Vide ſupra lect. 9. §. 11.

§. XV.

155. *Hiſt. Roſ. Gall. Spinell. de Deip. c. 38. n. 11.*

FRuctus 15. eſt lucrum indulgentiarum. Vrbanus IV. PP. omnibus qui devotè ſalutationem Angelicam recitaverint, indulgentiam dierum triginta conceſſit, totidemque iis, qui Iesv nomen imploraverunt.

Fruct. Lucrum indulgentiarum. *Hiſt. Roſ. & Spinell. ſup.*

Ioannes XXII. ejuſdem Vrbani IV. indulgentias non confirmavit ſolùm, verùm etiam duplicavit. Item conceſſit ducentos dies iis, qui inclinaverint ſeſe ad nomen Iesvs, & Maria. Idem Ioannes XXII. ſtatuit ſerò fieri pulſum campanæ, ad quem quicumque homo genufleƈtendo tria Ave Maria dixerit, viginti dies indulgentiarum habebit.

Spinell. de Deip. c. 29. n. 37.

Alexander VI. an. 1478. duplicavit omnes has indulgentias à ſuis prædeceſſoribus donatas.

Hiſt. Roſ.

Innocentius VIII. an. 1488. conceſſit quinque annos, & quinque quadragenas indulgentiarum, iis, qui in fine ſalutationis Angelicæ pronunciaverint ſanctum nomen Iesvs.

Sup.

Leo X. Chriſtianis omnibus mille dierum indulgentias impertiit, qui horæ ſigno audito illam Angeli ſalutationem pronunciarent: eaſdem confirmavit Paulus V. an. 1611.

Drexelius in Triſmegiſto Chriſtian. l. 2. c. 4. §. 2.

Idem Leo ad decades Annunciatarum decem millium annorum indulgentias conceſſit recitantibus: & Alexander VI. mille dierum, qui ſolummodò portaverint. Vide Georg. Colvener. Doct. S. Theol. Duaci in Kalend. B. V. 4. Febr. & Octob. 1. n. 15. fin. & 12. Febr. n. 5.

Paulus III. PP. & Adrianus VI. etiam conceſſit plenariam. *Vide Antonium Eſcobar Tract. 7. Moralis Theol. Exam. 5. n. 67. & Georg. Kolvener. in Kalend. B. V.*

Paulus III. ad pulſum veſpertinum, ſi quis dixerit ad primos ictus: *Angelus Domini, nunciavit* Mariæ, *& concepit de Spiritu S.* immediatè legens *Ave* Maria, *&c.* ad medios ictus: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum:* Addens item, & recitans ſalutationem Angelicam: denique ad poſteriores ictus, dicens: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, Deo gratias.* Cum annexo tertio *Ave* Maria, &c. conceſſit indulgentiam plenariam toties

quoties

Digitized by Google

quoties. Hiſt. Roſ. Gall. & Georg. Colvener. ſupra tom. 1. c. 4. Adrianus VI. PP. indulgentiam plenariam conceſſit legentibus tria Ave, &c. (ut ſupra) ad pulſum veſpert.

156. Concludens tandem moneo cum B. Alano:

Summa fructuum ſalutat. Angelicar. ex Alano.

Auſcultet ſancti tui nominis amator, ô MARIA.

Cœlum gaudet, omnis terra ſtupet, cùm dico, Ave MARIA.

Satan fugit, infernus contremiſcit, cùm dico, Ave MARIA,

Mundus vileſcit, cor in amore liqueſcit, cùm dico, Ave MARIA.

Terror evaneſcit, cor marceſcit, cùm dico, Ave MARIA.

Creſcit devotio, oritur compunctio, cùm dico, Ave MARIA.

Spes proficit, augetur conſolatio, cùm dico, Ave MARIA.

Recreatur animus, & in bono confortatur, cùm dico, Ave MARIA.

Præſtantia ſalutat. Angel.

Siquidem tanta eſt ſuavitas hujus benedictæ ſalutationis, ut humanis non poſſit explicari verbis, ſed ſemper altior manet, & profundior, quàm omnis creatura indagare ſufficiat. Hæc oratio parva verbis, alta myſteriis, brevis in ſermone, alta in virtute; ſuper mel dulcis, ſuper aurum pretioſa, ore cordis eſt jugiter ruminanda, labiiſque puris frequentiſſimè legenda, ac devotè repetenda. Nam verbis pauciſſimis contexitur, & in latiſſimum torrentem cœleſtis ſuavitatis diffunditur.

LECTIO II.

§. I.

De Sertis B. V. MARIÆ *Dei Genitricis.*

POſtquam ſummatim de ſalutatione Angelica ejuſque præcipuis fructibus egerimus, nunc breviter de ſertis ex eadem oratione reſultantibus dicendum. Recitationem dictæ ſalutationis Virgini Deiparæ placere, multiſque modis prodeſſe homini, conſtat ex ſuperiori lectione, quanto magis credendum eamdem devotè iteratam, & multiplicatam Virgini acceptam fore, ac lectori plurimùm fructuoſam. Quis enim neſciat ſertum roſarum oblatum ſponſæ, plus illi arridere, magiſque uberem fragrantiam de ſe ſperare, ſeu emittere, quàm una vel altera roſa. Vna Angelica ſalutatio odoriferæ ſingulari roſæ ſimilis eſt, aſt eadem variè multiplicata conficit varia ſpiritualia ſerta, ſummè fragrantia, Divorumque oculos rapientia. Multiplicata ſcilicèt 150. Roſarium majus concludit, modò decadi cuilibet precatio Dominica præfigatur, quæ ſic repetita, adſcendit ad numerum 15. in memoriam nempe quindecim fidei noſtræ myſteriorum: quorum quinque priores decades gaudioſa myſteria complectuntur; mediæ quinque doloroſa: ultimæ quinque glorioſa. Rurſus ſalutatio Angelica 63. vel 72. repetita vicibus, in honorem 157.

Salutatio Angeli ſimilis roſæ, & roſarium ſerto roſarum.

Corona B. V. conſtat ex 63. vel 72. ſalut. Angel. & 7. Pater noſter.

Digitized by Google

annorum, quibus B. Virgo juxta diverſam opinionem traditur vitam in omni ſanctitate, & juſtitia produxiſſe, & finiviſſe, coronam abſolvit, modò itidem ante quemlibet ſalutationum denarium oratio Dominica primas teneat; excipio ultimum, qui juxta minorem numerum tribus ſalutationibus perficitur. Iterum Angeli ſalutatio 12. iterata, & ante quartanam quamlibet prælegendo *Pater noſter, &c.* corollam componit. Numerus ternarius atque duodenarius hîc exhibetur in memoriam duodecim privilegiorum quibus B. Virgo à S^{ma} Trinitate, Patre, Filio, & Spiritu S. donata fuit. Poſſet quis uſurpare numerum 33. ſalutationum cum quatuor *Pater noſter* intermixtim ut ſupra, in memoriam annorum, quibus Chriſtus pro ſalute noſtra laboravit in terris: vel etiam eligere numerum quadragenarium in memoriam jejunii Domini noſtri 40. dierum in deſerto: item numerum 50. in honorem dierum, qui elapſi ſunt à reſurrectione ejuſdem uſque ad miſſionem Spiritus S. atque Apoſtoli interim exemplo Virginis Genitricis Dei, vigiliis, jejuniis, & orationibus vacârunt, ut tanto hoſpiti dignam pararent manſionem. Demum quilibet ſecundùm variam ſuæ devotionis mentem, bonive genii inſtinctum, numerum dictarum precum minuere vel augere pôterit, atque perlegere; nec dubium quin inter ſerta pulcherrima màximeque fragrantia ſinguli computabuntur. Velim tamen hîc advertas Leonem X. PP. (Conſtitut. 36. in collectione Privileg. Apoſtol. facta per Emman. Rodericum. Incipit: *Exponi nobis nuper feciſti.* Data eſt Romæ an. 1517. 14. Septemb.) varias coronas Domini, & Dominæ noſtræ approbâſſe. Verba Conſtitutionis ſic habent: *Prima corona Domini noſtri* IESV *Chriſti, quæ parva dicitur, continet 5. Pater noſter, & totidem Ave* MARIA, *in honorem quinque vulnerum ejuſdem Domini noſtri. Secunda continet triginta, & tria Pater noſter, totidem Ave* MARIA, *in honorem ætatis Chriſti, qua in hac vitâ mortali vixiſſe creditur, &c. Prima corona* MARIÆ *Virg. continet decem Ave* MARIA *ad honorem Euangelicarum virtutum ejuſdem B.* MARIÆ. *Secunda corona continet 72. Ave* MARIA, *ad honorem 72. annorum, quibus piè creditur Virgo* MARIA *in hac vita mortali vixiſſe, &c.* In his coronis, vel etiam ſertis, oratio Dominica habet ſeſe inſtar vividæ, pretioſæ, ac odoriferæ roſæ rubicundæ, quoniam ex divina areola horti ignitæ charitatis Domini noſtri IESV proceſſit, impinguata inſuper fimo meritorum ipſius, pluviâque lacrimarum: efficax autem, & rubicunda reddita per ſanguinis pretioſi effuſionem. Salutationem porrò Angelicam roſæ candidæ, vegetæ, beneque fragranti comparamus, quia ex tempe impollutorum viſcerum puriſſimæ ac Sanctiſſimæ individuæ Trinitatis germinavit; deinde per Spiritum S. operoſa reddita,

Corolla B. V. conſtat ex 12. ſalut. Angel. & 3. Pater noſter.

158. Modus orandi probatur per Leonem X.

Georg. Colvener. in Kalend. B. V. 1. Octob. n. 15.

159. Oratio Dominica comparatur roſæ rubicundæ ſalut. Angel. albæ.

reddita, atque tandem ab immaculato Dei nuncio mundiſſimæ Virgini MARIAE adminiſtrata. Oratio Dom. quaſi adamas in annulo. Intermixtio orationis Dominicæ non ſolùm ad ornatum, ut coccinea roſa, verùm etiam quaſi adamas annulo aureo intextus ad majorem pretioſitatem, ampliorem- Præſtantia orat. Dom. & valor. que ſplendorem apponitur. B. Iordanus, in generalatus officio D. Dominici ſucceſſor primus, tanti precem hanc pendebat, ut auſerit dicere, vel unicum *Pater noſter* devotè pronunciatum, abundè omnes eleëmoſynas Ordini elargitas remunerare. Nec abs ratione. Vna ſiquidem oratio Dominica plus æſtimanda, quàm cujuſcumque magnitudinis maſſa aurea, etiam cœlum ipſum attingens, prout eidem quandoque revelavit Deus. Præterea hâc prece, quod petimus facilè impetramus. Dicit enim *D. Cypr. de orat. Dom.* Salvator: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* quanto ergo efficacius juxta D. Cypriani ſententiam in nomine Chriſti obtinebimus, ſi per ipſius orationem poſtulaverimus?

§. II.

Roſarium B. V.

160. Uſus globulorum licitus. PLanè indubitatum redditur prædictos orandi modo per ſigna, ſive ſphærulas, nullam ſuperſtitionem, aut vanam obſervantiam continere: quin potius, ſicut univerſa ſentit Eccleſia, manifeſtam ac veram religionis noſtræ Catholicæ confeſſionem præ ſe fert, congruumque eſt medium torpidam mentem ad Dei ſervitium omnemque pietatem excitandi. Ratio. Neque enim in ſphærulis, neque in numero, neque in harum precum repetitione præcisè virtutem ſupernaturalem ponimus, ſed potius in meritis Chriſti, quæ ibidem implorantur, nec non in humilitate, probitate, ac devotione illorum, qui orant, aut fidei myſteria recolunt, ad quæ omnia ipſæ orationes, & exercitia meditationum excitant, & inſerviunt. Numquid ſuperſtitio in bono virtutis imitari Angelos? Vel numquid vana obſervantia ad mandatum Chriſti iterum, & iterum dicere *Pater noſter?* Abſit, abſit. Hæc diſciplina ſanctorum eſt. Nemo ſuperſtitionis Vatem Regium arguet, quòd centum quinquaginta Pſalmos compoſuerit, ac ſæpius cantaverit, aut cantari fecerit, quòd Dei magnitudinem ejuſque beneficia recolens, ſepties per diem laudem illi dixerit: minus Chriſtum, quòd eamdem orationem tertiò iteraverit, monueritque fideles vigilare in orationibus. Verùm Uſus globulorum, memoriæ adminiculum. ſignorum uſus forſitan damnabilis. Reſpondeo, non plus, quàm uſus librorum, ad cantandos Pſalmos David, vel baculus in corporis infirmi aſſumptus ſubſidium. Signa etenim inventa ſunt, & uſurpantur in ſublevamen, & adminiculum memoriæ labilis. Tanta in præſentiarum miſeria humana, ut vix ſine notis ac ſignis, vita hæc in negotiatio-

tiationibus tam ſæcularibus, quàm ſpiritualibus peragi queat.

161. Paulus Abb. author globulorum.

Primus opis hujuſmodi, & levaminis in orando author fuiſſe videtur Paulus Abbas, & 500. Monachorum Pater. Nam teſte veterum Patrum codice, ipſe 300. preces ſine omiſſione unius Deo offerre volens, 300. lapillos ſumebat, atque orationem quamlibet recitatam ſuo ſignabat lapillo. Quando autem numerus 300. lapillorum digitos pertranſiſſet, ipſe certior fiebat, atque lætabatur, quòd Deo votivum exſolviſſet penſum. Sanctam Claram eundem precandi ſervâſſe morem conſtat ex vita ipſius. Quòd autem magnum Roſarium cum ordine certa meditandi myſteria ſpectat, inſtitutorem ac ſimul propagatorem aſſerimus eſſe S. Dominicum. Colligitur ex Bullis Pontificiis Leonis X. Pii V. & Gregorii XIII. Hinc minus redditur probabile Aſſertum B. Alani, qui Roſarii uſum deducit ab Apoſtolis, & ab iis vult ad veteres tranſiiſſe Eremitas, Doctores, & Prædicatores. Dicit quoque hanc precandi normam viguiſſe in Anglia tempore V. Bedæ, ſcilicet per illius ſolicitudinem crebroſque ſermones: aſt cùm mos iſte torpore hominum dilaberetur, ac pœnè interiret, reſtitutus fuit per juges ac ferventes D. Dominici conciones. Quidquid hac de re ſit, id omninò credibile, quòd lectio orationis Dominicæ, inſimul ſalutationis Angelicæ (ex quibus Roſarium conficitur) à tempore Apoſtolorum paulatim in exercitium tranſierit. Quam enim Patrem cœleſtem preçandi congruentiorem formam Apoſtoli tradidiſſent fidelibus, quàm illam, quam à Chriſto, totius perfectionis magiſtro, didicerant? Qualiter item Incarnationis beneficium melius recolerent, Deique Matri aptius congratularentur de prærogativis ſuis, quàm eloquio Angelico, ſanctæque Elizabeth, cujus author exſtitit Spiritus S. quo illi pleni erant?

S. Clara uſa globulis.

S. Dominicus Roſarii author.

162. Uſus orat. Dom. & ſalutat. Angel. ab Apoſtolis introductus.

Longè itaque ab omni ſuperſtitione, aut vanâ obſervantiâ ſunt præfata orandi Catholicorum exercitia, verùm ad illorum augendam pietatem, & religionem ad Deum plurimùm conferunt. Majus Roſarium (quod item Pſalterium B. V. nuncupant) nil niſi fervorem cultus religioſi erga Deum, ejuſque matrem complectitur, & ſpirat. Primò, quia hoc in eumdem finem, quo Pſalmi Davidici ad Deum laudandum, eique gratias agendum, nec non opem illius implorandum, inſtitutum eſt; atque in rei veritate Roſarii verſiculi, & meditationes non aliud ſpirant, neque ſignificant. Secundò quia majus Roſarium à diverſis Pontificibus non ſolùm approbatum, verùm etiam magnis plurimiſque indulgentiis, & privilegiis condecoratum, tam pro illis qui legerint, quàm etiam, qui ex devotione portaverint. Tertiò, quod amplius eſt, Deus ipſe innumeris miraculis, gratiiſque affecit hunc

Roſarium non continet niſi devotionem.

Vide Kalend. Colvener. de B. V. 1. Octob.

Digitized by Google

hunc orandi modum obſervantes, atque contemptores ſeverè ultus eſt. Qui plura de Roſario hoc ſcire deſiderat recurrat ad libellum Confraternitatis Roſarii, nec dubium quin contrarium ſentientes aut docentes, fidei Chriſtianæ hoſtes judicabit. Religio quippè Chriſti ſincera amplectitur omne quod devotionem ſapit, vel ad perfectionem ſeu ſanctitatem adminiculo eſt.

§. III.

Corona B. V.

163. INter orandi formulas, quibus Deipara jam in Eccleſia colitur, meritò connumeratur minus Roſarium, quod *Coronam* vocamus, & conſtat 63. ſalutationibus Angelicis, interjectâ & præfixâ ad quamlibet decadem oratione Dominicâ. Ejuſmodi vero ſertum globulis diſtinctum, quemadmodùm & B. V. Pſalterium omnium ferè Catholicorum manibus teritur, à quibus penſo propemodum quotidiano alterutrum ex iis recitari ſolet. Quin etiam plures Catholici in regionibus tranſalpinis, ad pietatem erga Deiparam contra hæreticos proteſtandam, Coronam, vel Roſarium propalam geſtare conſueverunt. Hujus Coronæ recitandæ uſus non tantum à Sede Apoſtolica approbatus, ac indulgentiis decoratus, verùm etiam ſicut inſigni quodam miraculo invectus eſt, ita & aliis plurimis à fratribus Minoribus primitus amplexus, ab iiſdem per orbem verbo, & exemplo diligenter propagatus eſt.

Pelbartus Ord. Minor. in Stellario Coronæ B. Virg. refert, qualiter B. Ioannes Capiſtranus, ejuſdem Ordinis vir graviſſimus, & piiſſimus, de quodam juvene evulgârit, quòd ſæcularis exiſtens, quotidie ſerto florum Smæ Virginis imaginem pro more coronabat. Cùm autem Ordinem Minorum ingreſſus, & habitu indutus, inibi ſolitum ſertum Deiparæ offerre non poſſet, cogitavit ad ſæculum redire. Verùm Mater miſericordiæ MARIA non ſivit clientulum ſuum diutiùs in errore verſari, adeoque cœleſti circumdata lumine viſibilem ſe illi exhibuit, & multò magis benignitatis ſuæ radiis caliginem mentis ejus diſpulit, vetuitque ne tantum, quod jam capeſſiverat, bonum vocationis religioſæ à ſe projiceret, alioqui & ipſe poſtmodùm à Deo rejiciendus: unà docuit quomodo deinceps aliud ſertum ſibi odoratius longeque gratius offerret, confectum ſcilicèt ex 63. ſalutationibus Angelicis, & ſeptem orationibus Dominicis in memoriam ſeptem gaudiorum, quorum ſenſu ipſa quandoque perfuſa fuiſſet.

B. V. au-thor coronæ, FF. Minores propagatores.

B. V. ſuadet novitio legere coronam 63. ſalutat. & 7. orat. Dom. in Honorem 7. gaudiorum in terris.

1. In conceptione Filii Dei in utero ſuo.

2. In ejuſdem portatione, & S. Elizabeth Viſitatione.

3. In Chriſti Nativitate.

 4. In

4. In adoratione Magorum.

5. In inventione filii triduanò perditi.

6. In glorioſa Reſurrectione Chriſti ſibi apparentis.

7. Cùm ipſa Virgo in corpore, & anima glorioſé aſſumpta eſt in cœlum.

Sic quòd ſingula gaudia totidem orationibus Dominicis, & decadibus reſpondeant, excepto ultimo, quod uno *Pater noſter*, & tribus Ave Maria perficitur, ut numerus 63. ſalutationum, numero annorum, quibus vixit in terris, congruat. His B. Virginis monitis, & ſalutaribus conſilus paruit novitius, ac deinceps coronam, eâ, quâ par erat, inſtructus methodo ſimplici ore ac devoto corde indies
164. pertexuit. Aliquo poſt tempore, permagno miraculo, Deipara ſe clienti ſuo de vita periclitanti exhibuit, non minus potentem ac benignam adjutricem, quàm antea fuerat ſapiens erranti magiſtra.
B. V. parentem novitium à vitæ periculo liberat. Ipſe ſiquidem vice quâdam per ſilvam, latronibus obnoxiam, cum ſocio iter faciens ſubſtitit, Virginis opem per coronæ recitationem imploraturus. Lattones in dumo latitantes viderunt orantem religioſum, ſed non ſolum: cernebant
Ad ſingulam ſalut. Angel. roſa ex ore orantis egreditur. enim inſimul adſtare illi pulcherrimam Virginem, quæ ad ſingulas ſalutationes Angelicas ex ejus ore roſam colligebat, filoque aureo circulo cuidam annectebat, quod ſerti, & coronæ ſpeciem præ ſe ferebat. Ubi verò abſoluto Roſario receſſit Virgo, proſiliunt è latebris latrones, irruunt in fratres, importunè ſciſcitantur de Virgine unde venerit, quo abierit: negant illi ſe iſthæc aliquam vidiſſe, atque Deiparam, ut ab occurſu malo liberarentur, enixè obſecrâſſe. Ecce iterum Virgo Sma cœtu Angelorum ſtipata, & ſerto illo quaſi coronâ redimita apparens, graviter latrones illos increpavit, & ad Angelos converſa, ecce, ait, quali me corona frater ille ornavit; quod cùm dixiſſet, ab oculis eorum ſe abduxit. Mox latrones ſcelerum pœnitentiâ ducti religionem ingrediuntur. Fratres verò ex eo tempore ſingulis diebus eo diligentiùs coronam Virgini offerre non ceſsârunt, quo eidem acceptam eſſe experimento tam manifeſto didicerunt. Hoc ipſum miraculum refertur in Chron. Marc. Ulyſſip. 3. p. l. 1. c. 35. ubi additur fratrem illum ſanctè obiiſſe. Atque hoc miraculum ſub initium, quo cœpére fratres Minores (quos de obſervantia vocant) contigiſſe; qui omnes proptereà coronam hanc recitare ſolebant, & in concionibus ad hanc precandi formam ita omnes exhortati ſunt, ut in morem univerſi populi Chriſtiani jam ſit inducta. Ita in Chronic. ſup. Quod quidem ſatis conſtat, cùm nemo ferè ſit inter Catholicos, qui ſertum hoc ex globulis precatoriis ſecum non ferat. Vide Anton. Spinell. de Deip. cap. 35. ubi de ejuſdem Virginis Studioſis.

B. V. latrones de crimine increpat, & emendat.

Waddingus in Annal. Min. tom. 5. ad an. Chriſt. 1422. n. 6.

Poſſet quis ſecundùm exigentiam 165.

In corona quandoque recolendi 7. dolores B. V.

tiam temporis ſuamque devotionem loco ſeptem myſteriorum gaudioſorum in lectione coronæ contemplari myſteria doloroſa, videlicèt ſeptem dolores, quibus B. Virgo ex filii paſſione percita fuit, quando videlicèt uterque adhuc in terris velut peregrini degebant, & noſtræ ſaluti inſudabant.

1. Dolor B. Virginis cenſetùr communiter ille, quem percepit ex circumciſione pueri Iesv.

2. Quem percepit ex prædictione gladii, animam Virginis pertranſituri, factâ à Simeone ſene.

3. Ex fuga in Ægyptum cum infante, & Ioſeph.

4. Ex amiſſione pueri duodecennis.

5. Ex occurſu Chriſti lignum Crucis bajulantis ad Montem Calvariæ.

6. Ex dira affixione Chriſti ad Crucem, cui adſtabat.

7. Ex depoſitione ejuſdem à Cruce, &c.

166. Item gaudia B.V. cœleſtia recolenda.

Item pro opportunitate ac inſtinctu divino contemplatio gaudiorum ſeptem, quibus S. Dei Genitrix nunc præ omnibus cœlitibus cum filio fruitur in cœlis, plurimùm grata erit, atque devotæ animæ perutilis, quemadmodùm diverſis Sanctis viris revelatum legimus. De B. Arnulpho narratur, quòd quotidie coronam Virginis quantâ poterat devotione recitabat, inſimul ſeptem gaudia, quibus ipſa in terris agens delibuta fuerat, ruminaret, atque in eorum pia meditatione ſuaviter requieſceret. Verùm ejus pietatem ad ſublimiora gaudia transferre volens, Virgo Mater ipſi in Noſocomio exiſtenti apparuit, eumque his verbis affata eſt:

Quid, dilecte mi, meditaris tantum ea gaudia, quibus in hoc mundo feliciter affecta fuit, recole itidem ea, quibus nunc in cælis fruor. Quæ autem eſſent illa, declaravit, dicens:

Gaudia B. V. cœleſtia.

1. *Gaudeo, quòd cùm aſſumerer in cælum, ſupra quàm ſperaveram, vel cogitaveram, imò ſupra quàm dici, vel æſtimari poteſt, majorem mihi gloriam paratam inveni, ita ut ſolius gloriæ meæ plenitudo præcellat omnimodam gloriam Sanctorum omnium, & Angelorum.*

2. *Gaudeo, quoniam ſicut dies à ſole, ſic tota curia cæleſtis à mea beatitudine copioſiùs eluceſcens lætitiâ perfundatur.*

3. *Gaudeo, quòd ipſius curiæ cives morem mihi gerunt, & ut Regis ſui matrem venerantur.*

4. *Gaudeo, quòd ſummæ Majeſtatis, & mea una eſt voluntas, & quæcumque placuerint meæ voluntati ſumma individua Trinitas benigniſſimo, & paratiſſimo favore iis annuit.*

5. *Gaudeo quòd ſecundùm voluntatis meæ arbitrium mihi ſervientibus in ſæculo hoc, & in futuro merces rependatur.*

6. *Gaudeo, quòd ſupra choros Angelorum exaltata ſpeciali quâdam prærogativâ proxima ſim* S^{mæ} *Trinitati, Sanctorum omnium jucundam ſocietatem obtinens.*

7. *Gaudeo, quod omninò certa ſum, quòd gloria mea numquam decreſcet,*

Digitized by Google

creſcet, numquam deficiet.

Cùm hoc B. Virgo clientulo ſuo reſeràſſet, ei valefaciens diſparuit. Ille verò Dominæ ſuæ, & adjutricis roboratus admonitionibus deinceps ad inſerviendum ei devotior extitit. Ita Franc. la Croix in Horto Mariano areola 4. c. 4. Balinghem in Kalend. 30. Iunii.

§. IV.

Vſus Coronæ probatur miraculis.

167. VSum Coronæ pium, & ſanctum, præter ſupradicta de majori Roſario, conteſtantur plura miracula, & favores.

S. Bernardinus obtinet donum patrandi miracula.

S. Bernardinus Senenſis, teſte Pelbarto, quotidie coronam 63. *Ave*, & 7. *Pater noſter* recitabat, ea de cauſſa à Deipara donum concionandi, & miracula edendi conſecutus eſt. Vide Lib. Scintill. ubi de S. Bernardino.

Waddingus in Annal. Min. tom. 5. ad an. Chriſt. 1422. n. 9.

Dicens ſalutationes Angeli roſas exhalat, quas Angeli B. V. capiti imponunt.

Alius quidam Religioſus ex Ordine Min. ex pia, & uſu longo jam corroborata conſuetudine, nihil omninò guſtabat edulii, niſi prius B. V. coronam perlegiſſet, ſed ut naturâ obliviosi ſumus, & homini quantumvis ſolicito, nonnumquam, quæ agere decrevit, memoriâ excidunt, quâdam die jam accubuerat menſæ, adhuc tamen jejunus, cùm intermiſſæ conſuetudinis recordaretur; angitur vir pius, & urgente in Virginem affectu, petit & impetrat à Superiore veniam ſurgendi à menſâ, & in templum ſe conferendi gratiam, ut coronam legat. Iam penè perſolverat, cùm is, qui ad eum revocandum à Superiore miſſus fuerat, ipſe ſuis oculis contemplaretur Deiparam fulgidâ in ſpecie duobus comitatam Angelis, qui roſas pulcherrimas precantis ore excipiebant, eaſque capiti Reginæ ſuæ imponebant, ſed & hoc inter cetera diſtinctè adnotârunt; quotieſcumque in fine ſalutationis Angelicæ nomen ſacroſanctum IESV pronunciaret, non ipſum tantùm, ſed & Angelos, & B. Virginem caput reverenter inclinâſſe. Marc. Vlyſſip. in Chron. p. 3. l. 1. c. 36.

Quidam Novitius in Ord. Min. hoc mandatum ſeu monitum adversùs quaſvis tentationes, ut præſens antidotum, à magiſtro ſuo acceperat, ut priuſquam ederet, coronam Deiparæ recitaret. Hunc variæ occupationes ab obedientia impoſitæ ita ſemel diſtraxerunt, ut ſolitæ devotionis immemorem reddiderint. Itaque menſæ accubuit, necdum lecto roſario, cujus rei certior illicò factus Superior, graviter eum increpuit, juſſitque quamprimum à menſâ ſurgere, ad templum pergere, ac coronam ibidem legere. Dum paret viſus eſt ei adſtare Angelus, qui in aureum filum roſas decem, & aureum item lilium inſerebat, ex quibus, quam texuerat, coronam, ipſius novitii capiti imponebat: atque ejus miraculi monumentum ex eo loco ubi hic devotus, & obediens precator 168.

Idem accidit novitio.

cator flexerat, perdiu afflatus eſt odor roſarum, & liliorum ſuaviſſimus. Chron. ſup. c. 36. Tu itaque velut ſimili permotus ſpectaculo ſalutationes Angelicas offeres Virgini, quaſi totidem roſas, ipſi & Angelis, & tibi longè adoratiſſimas, eique ſupplicabis ut gratiam tibi impetret, boni exempli odorem,& ſancti nominis ſui augmentum juxta conditionem ſtatus tui longè latèque diffundendi.

Pietas F. Iacobi de Coronis. F. Iacobus de Coronis B. Virgini Dei Genitrici MARIÆ, cujus admodum ſtudioſus erat, multas quotidie coronas recitare, atque offerre, alioſque quibuſcum agebat, etiam Epiſcopos, & Cardinales ad Coronam recitandam hortari conſueverat, ut vel ex eo adeptus ſit agnomen, *de Coronis*. Poſt ſpiritum Prophetiæ quo claruit, miraculorum etiam virtus à Deo Virgine Matre deprecante eſt conceſſa, atque in coronæ recitandæ pietate perſiſtens, effœtâ jam ætate, perceptis Eccleſiæ Sacramentis, in Burgo S. Sepulchri demortuus eſt. Cùm autẽ ad exequias (quæ ejus erat ſanctitatis opinio) univerſus planè populus accurriſſet, quidam in oratione vidit in ſpiritu animam ejus è Monaſterio prodeuntem deducentibus Angelis in ſublime ferri, cœlique beatiſſima regna tranſcendere. Chron. ſup. c. 37. & Waddingus in Annal. Min. tom. 5. ad ann. Chriſti 1422. n. 13.

169. B. Bernardinus de Feltre pro ſuggeſtu publicè dicere ſolebat, fratrem quemdam Veronæ in Oratorio Porcariæ ex Provincia S. Antonii cùm ob Coronam Deiparæ recitandam poſt aram remotis arbitris receſſiſſet, deprehenſum tamen in ea devotione ab altero fuiſſe, qui quidem obſervavit, quoties is inter recitandam coronam *Ave* MARIA pronunciaret, Angelos, qui coram Virgine adſtabant, auream, quam manu gerebant, coronam in Reginæ noſtræ caput imponere, mox de capite deponere, & ad ſingulas ſalutat. Angelicas rurſus apponere, alios verò Angelos ad ſingulas ſalutationes eidem Deiparæ roſam, aut lilium offerre. Chronic. ſupra.

Cùm matrona nobilis filios ſuos aſſuefeciſſet ad Coronam flexis genibus junctiſque manibus ſingulis diebus primo quoque mane, antequam in ludum litterarium abirent, recitandam: accidit quodam die, ut, dum quidam ex iis iret in gymnaſium, ex ponte in ſubjectum caderet flumen: re cognitâ, mater, non jam ad fluminis aquam, ſed ad Deiparæ opem ſtatim accurrit, eique filiorum ſalutem impensè commendavit, ac ſalutatione Angeli recitatâ præceps concedit ad fluvium, illic reperit multos,qui filium ex aquarum fundo extrahere moliebantur. Verùm vix ea pervenerat ad pontem, cùm filius aquas ſupernatans exiſtit, matremque appellat incolumis. Tunc omnes extrahunt puerum, & periculo eripiunt, ad — Matronæ filius à mortis periculo liberatur.

Digitized by Google

matrem adducunt, ea lætabunda Dei Genitrici acceptum retulit Filium, qui inſuper affirmavit, ſe ab ea Domina ante cujus imaginem quotidie primo manè coronam recitare ſolebat, à præſenti diſcrimine liberatum. Ex quo multi ad coronæ pietatem ſuſcipiendam ſunt excitati. Chronic. Marci Vlyſſip. ſup. c. 37. plura vide apud Waddingum in Annal. Min. tom. 5 ad ann. Chriſti 1422. n. 14. 15. &c.

§. V.

De Corolla B. V. M.

170. Corolla complectitur 12. ſalutationes Angelicas, & tres orationes Dominicas hoc modo dicendas. 1°, recitatur unum *Pater noſter* in honorem patris cœleſtis, cui immediatè quatuor *Ave* MARIA ſubjunguntur: deinde legitur alterum *Pater noſter* in honorem Filii, quod iterum quatuor *Ave* MARIA ſubſequuntur. Demùm tertium *Pater noſter* dicitur in honorem S. Spiritus, cum quatuor etiam ſalutationibus annexis.

Duodecim *Ave* MARIA leguntur, & Virgini offeruntur ad congratulandum ei de 12. eximiis, & admirandis privilegiis ſibi ab infinitâ Dei bonitate collatis: triplex autem oratio Dominica, eſt gratiarum actio triplex. ad ſingulas divinas directa perſonas.

In prima oratione Domin. redduntur gratiæ Deo Patri, 1°, quia ab omni æternitate Smam Virginem MARIAM ſingulariter elegerit, ac prædeſtinaverit in Matrem Filii ſui dilecti. 2°, quòd in conceptione eam ab originali macula contrahenda præſervârit. 3°, quia ingenti gratiæ plenitudine illam dotaverit cum auxiliis ſpecialibus ad vincendum omni ex parte peccatum, etiam veniale. 4°, quòd Incarnationem Verbi ſui in illa, & ex illa fieri volens, Angelum miſerit, ut tantum myſterium nunciaret, deinde Spiritum S. qui eam habilitaret, Filium demùm Vnigenitum, qui compleret.

In ſecunda oratione Dominica aguntur gratiæ filio; 1°, quia novem menſibus in ejus utero manſerit ſine ullo gravamine, nec non inde egreſſus, & natus ſalvâ ipſius integritate. 2°, quòd ad ubera ejus pependerit ſuxeritque ad ſuæ infantiæ nutrimentum. 3°, quia eam vitæ ſuæ minorennis rectricem, nutricemque fecerit. 4°, quia, ſicut eam in tribulatione paſſionis ſociam habuit, ita & in gloria Reſurrectionis conſolationis voluerit eſſe conſortem.

Ad tertium *Pater noſter* fiunt gratiæ Spiritui S. 1°, quia in eam ſupervenerit ad fœcundandam, remotâ viri operâ, matremque Dei fecerit illibatâ virginitate. 2°, quòd in ea tamquam in templo ſibi dicato ſeu throno habitaverit. 3°, quòd hominum Angelorumque Reginam effecerit. 4°, quòd peccatorum Advocatam, afflictorum conſolatricem, nec non theſaurorum

Digitized by Google

rum ſuorum diſpenſatricem conſtituerit.

171. Corolla miraculo illuſtris. Quàm grata Virgini hæc corolla, pulcherrimo miraculo oſtenſum eſt. Cùm enim viri tres quamdam peregrinationem inſtituiſſent, die quâdam cupidè iter aggreſſi, ex iis duo à viâ aberrantes ſilvam ingreſſi in latrones inciderunt, à quibus ſpoliati, & interfecti ſunt. Tertius ſolitus corollam 12. *Ave* MARIA, & tria *Pater noſter* in honorem duodecim privilegiorum, à S^ma^ Trinitate B. Virgini cõceſſorum, recitare, ſubſequebatur, periculi ignarus, ſed cùm eoſdem graſſatores offendiſſet, qui eum pariter necare cupiebant, impetrato tantillo ſpatio temporis, in quo ſuam corollam devotus Virgini offerret; mira res, inter recitandum, ei, nec videnti, nec ſcienti, adſtitit, ut ſol reſplendens in aureo throno, Virgo glorioſa, & cum ea S. Catharina, & S. Lucia, quarum ille erat unicè amans, & ſtudioſus: hîc ad ſingulas orationes Dominicas rubicunda, ad ſingulas ſalutationes Angelicas candida roſa ex ejus ore prodibat, eaſque juſſu Virginis legens S. Catharina tradebat S. Luciæ, quæ eas circulo aureo filo argenteo colligabat. Abſolutâ corollæ recitatione, Deipara coronâ illâ, roſis nimium redolentibus diſtinctâ, hominem illum, ſui peramantem ac devotum, redimivit, ac ſtatim abſceſſit. Latrones hæc omnia adſpicientes, rogant hominem quænam mulieres eſſent? Reſpondit is, neminem ſe vidiſſe, ſed Deiparæ penſum perſolviſſe: narrant illi quæ viderant, coronam in ejus capite, veſtigium hujus beneficii admirantur. Intellexit tandem ille Virginis beneficium, & coronâ ex capite reverenter acceptâ, ingentes gratias egit Virgini. Ea re permoti latrones vitam emendârunt; ille verè Monachus factus B. Virgini devotus manſit. Spinell. de Deip.

§. VI.

Praxis devotè recitandi Roſarii.

MArtinus Navarrus vir doctiſſimus, & piiſſimus, cùm ſexaginta amplius annos in more habuiſſet quotidie Roſarium recitare, negat ſe melius quidquam hac exercitatione reperiſſe, quàm ut, antequàm decadem aliquam inchoës, myſterium, quod in ea meditandum eſt, breviter in memoriam revoces, retinendum poſtea, dum decadem abſolvas. 172. Praxis Navarri dicendi roſarium.

2° monet, ut ſub initium orationis Dominicæ Deum præſentem animo ſubjicias, ut Patrem: ſub initium ſalutationis Angelicæ B. Virginem, ut Matrem.

3° Velim uberius, ut reflectens ad immenſam illam divinam Majeſtatem, potentiam ipſius, & clementiam infinitam, nec non MARIÆ Deiparæ ineffabilem dignitatem, authoritatem ejus ac benignitatem, , è contra verò tuam vilitatem, ac multiplices miſerias, prius

T 2 brevi

Angeli, & beati invitandi ad laudes B. V.

brevi aliquâ oratiunculâ, ſaltem mentali, invites omnes Angelos, & curiæ cœleſtis Beatos ad tecum laudandum, atque pro te precandum Deum ejuſque Matrem, quorum Beatorum Regina eſt. Deinde ut te ante horum pedes ſtatuas, 1o, ut infirmum, & vulneratum; talem te reddunt ſpiritualiter peccata tua, paſſiones indomitæ, & affectiones inordinatæ, à quibus tot vulneribus confixus es, ut à vertice capitis uſque ad pedum plantas non ſit in te ſanitas. 2o, ſiſte te coram IESV, & MARIA ut pauperem, extremâ virtutum, meritorum & chariſmatum cœleſtium penuriâ laborantem. 3o, ut famelicum, qui eſurit, & ſitit juſtitiam, perfectionem, & unionem cum Deo in hac vita indiſſolubilem, & in altera glorioſam, qui admodum deſiderat & ſanari ab infirmitate ſua, & nuditati inopiæ ſuæ proſpicere, ac proinde quaquaverſum circumſpicit, ſi quem fortè opulentum, & miſericordem Dominum nanciſci poſſit, qui ſibi tam miſero, tam infirmo, tam inopi, tam famelico ſtipem præbeat.

Homo oret, ut infirmus, pauper, & famelicus.

173. Itaque homo multorum criminum, & infirmitatum ſibi conſcius ſuper offenſis doleat, atque emendationis propoſitum habeat, deinde ad Virginem preces pro venia, & gratia fundat, proculdubio non confundetur. De quodam narratur adoleſcente, cui Bma Virgo per quietem ſpectandam ſe dedit hâc ratione: Vinum ei, ut videbatur, generoſiſſimum porrigebat, ſed poculo immundo. Miratus adoleſcens tam nobile donum in vaſe tam ſordido. Cui Virgo; Vide, ait, fili: Roſarii tui preces, mihi gratæ ſunt, & inſtar optimi potus; ſed calix, quo hunc offers, non placet. Oratio tua bona eſt, non item vita tua; pulchrè precaris, & turpiter vivis: ut in utroque placeas, caſtius vivas. Motus juvenis tam ſalubri ſpectaculo, caſtiores mores induit, ut ſe cœlo probaret, tam vivendo, quàm precando. In quocumque nihilominùs ſtatu ſit homo, ſolitas devotiones ad Virginem non omittat, ſed juxta conſilium D. Hieronymi perſolvat: *Si Virgo es*, inquit ille, *lauda; quia meruiſti eſſe quod laudas: ſi continens es, venerare, & lauda, quia non aliunde conſtat ut poſſis, quàm gratia Chriſti, quæ fuit pleniſſimè in* MARIA, *quam laudas. Quod ſi fortè conjugata aut fortè peccatrix, nihilominùs confitere, & lauda, quia inde miſericordia omnibus profluxit, & gratia, ut laudent. Et quamvis non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris, noli tamen ceſſare; quia inde tibi promittitur venia, unde & omnibus.* Ita Hieron.

Drexel. in Triſmeg. Chriſt. l.1. c.4. §.1.

Peccator ante orat. pœniteat de peccatis.

4. Conſidera, quanta cum reverentia, gravitate, & mentis in Deum elevatione Archangelus Gabriël Virginem ſalutârit, atque ex Dei nomine ipſe cœleſtis, & ſummus Spiritus ante hominis terreni, & quidem puellæ pedes pro totius humani generis ſalute ſupplex ſteterit. *Cum in eo*, inquit D. Bernard. *tam reverenter atque officioſiſſimè ab Archangelo ſalutata eſt,* 174.

Orandum reverenter.

Serm. Sign. Magn.

ut

ut jam in regali ſolio ſupra omnes cæleſtium ordines regionum exaltatam cernere videretur: & paulò minùs adoraturus fœminam, qui ſolebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari, excellentiſſimum nobis Virginis noſtræ meritum, & ſingularis gratia commendatur. Sic Bernard. Hujus ergo exemplum imitare homo, cujus & ſumis officium, quin-imò quanto Angelo miſerior, quanto flagitioſior, atque ex omni parte indigentior, quantò demum in infinito major quam ſupplicas, & laudas, tanto ſubmiſſius ac circumſpectius cum eadem ſuper ſalutis æternæ negotium agendum. *Humilium enim, & manſuetorum ſemper Deo placuit deprecatio*: atque juxta ſententiam B. Iacobi c. 4. Epiſt. *Humilibus Deus dat gratiam, ſuperbis autem reſiſtit.*

175. Orandum attente. 5. Non vago animo, ſed corde attento, Virginis laudibus, ſicut & Dei, inſiſtendum. *Alioqui, quomodo*, ait D. Cyprian. *te audiri à Deo poſtulas, cùm teipſum non audias? Vis Deum memorem eſſe tui, cùm rogas, quando tu ipſe memor tui non ſis? Hoc planè eſt vigilare oculis, & corde dormire: cùm debeat Chriſtianus, & cùm dormit, oculis cordis vigilare, ſicut ſcriptum eſt: Ego dormio, & cor meum vigilat. Hinc Apoſtolus commonens Epheſios: Implemini*, ait, *Spiritu S. cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris.* (Epheſ. 5.) Hoc eſt, ut notat D. Chryſoſt. in Pſal. 41. cum intelligentia, ut non os quidem verbum loquatur, mens autem extra verſetur, ſed ut lingua ab anima audiatur. Et B. Laurentius Iuſtinianus: *Ipſa*, inquit, *eſt ſuaviſſima orationis harmonia, quando vox cognoſcitur animo conſonare: nam ſi hæ duæ res diſcrepabili ſibi varietate diſſentiunt, nequaquam poſſunt gratam Deo facere cantilenam.*

176. Orandum ferventer. 6. Non flaccidè, ſed fervidè, & inſtanter orationi vacandum. *Tepida oratio*, inquit Bern. *in adſcenſu langueſcit, & deficit: fervens cælum ſine dubio penetrabit, unde certum eſt, quòd vacua redire non poterit.* Præſtat preces paucas cum devotione, quàm ſine ea multas diffundere. Legimus in Specul. Exempl. d. 9. n. 116. quamdam Virginem religioſam ſolitam quotidie centum quinquaginta ſalutationes Angelicas cum totidem veniis minus dignâ devotione Deiparæ offerre, adeoque ab eadem monitam acceptius fore ſi 50. ſalutationes cum ſuis veniis cum animi affectu, & attentione, quàm ſi multas & negligenter ſine devotione perſolveret. Adverte autem D. Virginem hîc non tam multitudinem precum, quàm indevotionem, negligentiam, & torporem arguere: Sicut Chriſtus etiam dum cavendum dicit: *Orantes, nolite multum loqui.* (Matth. 6.) Vnde & ſe declarans ſubjunxit: *Sicut Ethnici faciunt.* Aliàs ſibi contradiceret, dum ait: *Oportet ſemper orare, & non deficere.* (Luc. 18.) Et Paulus 1. Theſſal. 5. *Sine intermiſſione*, inquit, *orate.* Itaque multum, & ſemper orandum, ſed devotè, ſed humiliter, ſed reverenter, ſed attentè, ſed fervidè.

177. 7. Devotiones noſtræ Virgini offe-

Orandum conſtanter.

offerendæ non facile, & quâvis occaſione omittendæ, ſed conſtanter retinendæ. Neque enim una aut altera unius diei, vel etiam hebdomadæ unius aut menſis precatiuncula, vel excellentiarum hymnus ad Virginem directus ſtudium noſtrum versùs illam, & affectum declarat; ſed continuatum præconium, ſed conſtans obſequii exercitium hujus teſtimonium apertum eſt. Hinc B. Virgo per viſum Thomæ à Kempis, religioſo homini, & integerrimo, cùm eſſet juvenis, ſolitas ad eam preces omittenti, amplexum, quo alios conſodales dignata fuerat, denegavit, quas poſtea diligentiſſimè exſolvit. Sanctus quoque Edmundus Epiſc. Cantuar. cùm ſtudiis operam daret, orationem illam cujus initium eſt: *O intemerata, &c.* in honorem Dei Genitricis, & S. Ioannis Euangeliſtæ, quotidie reverenter dicere ſolitus, aliquando ſtudiorum occupatione illius dicendæ oblitus eſt. Proximâ nocte B. Ioannes ei apparens cum ferula, immanem, & lethalem ictum minitari viſus eſt, ſed mox placatus, blandè, & familiariter eum admonuit, ne precationem illam umquàm omitteret. Si tamen juſtis de cauſis, v. g. ex obedientia Superioris, ex charitate ad proximum, ex obſervantia conformitatis ſui inſtituti cum aliis multùm poſtulantibus ut privatas devotiones omittamus, id non fore Virgini ingratum certum eſt; modò id, quod in nobis eſt, facientes, aliâ ratione ſtudeamus compenſare. Quidam frater (ut habent Chron. Ord. noſtri) Virginis ſtudioſus, quotidie coronam ejuſdem piè recitare ſolitus, ſemel ob hoſpitum multitudinem, quibus excipiendis occupatus fuerat, valde defatigatus, cœpit veſperi eamdem recitare: attamen vel invitus ſomno oppreſſus fuit: verùm & à B. Virgine, & ab Angelo, ut melius quieſceret, in ſtrato, ita ut erat dormiens, deponitur. Qui expergefactus audivit à Virgine ſibi gratum fuiſſe cum ſua devotione charitatis opus, quod exercuerat. Ibid. l. 6. c. 31. Frater Thomas Caponus nobilis Florentinus Ord. noſtri propter occupationes, quibus miniſtrans fratribus diſtentus fuerat, ſolitas preces antequam cibum ſumeret, cùm recitare non potuiſſet, in templum ad aram Virginis Annunciatæ eas recitaturus ſe contulit. Verùm ex Deiparæ imagine vox ad eum facta eſt, quâ jubebatur ad menſam cum aliis accedere, & poſt cibum precum penſum perſolvere, cùm bona ipſius voluntas accepta eſſet, quippe qui obedientiâ, & charitate impeditus fuerat.

Marc. Vlyſſip. p. 3. l. 1. c. 36.

Supra memoravimus Martinum Navarrum virum doctiſſimum ſexaginta amplius annos Roſarii quotidie recitandi conſuetudinem habuiſſe.

S. Carolus Borromæus Pii V. Papæ nepos, Rom. Eccleſ. Cardinalis, præter quotidianas prolixas Sacerdotum preces, officium, & coronam B. V. quotidie, idque genibus

Digitized by Google

nibus flexis, recitare conſuevit, & nec in itinere quidem moris ſui negligens fuit. Idem S. Antiſtes quandocumque æris campani ſignum ad Angeli ſalutationem audiret ,ubicumque loci eſſet, in viâ etiam fractâ , & cœnosâ , mox in genua ruebat,ab equo etiam deſiliebat, & humo poplites figebat, ſalutans cœleſtem Virginem.Drexelius in Triſmeg. Chriſtian. l.2. c. 4. §. 1.

Ioannes Godefridus Bambergenſis, & Wutzburg. Epiſcop.D. Matris officium , & Roſarium quantiſcumque negotiis diſtineretur , etiam in itinere, præter ſtatas Sacerdotum preces, quotidie recitavit,idque adeo conſtanter,ut illa ipſa, qua obiit , nocte, Canonicas preces, matutinum, & laudes una cum officio, & Roſario B.V. recitârit.Drexel. ſupra.

LECTIO III.

II. *Medium Patrocinii B.V. obtinendi fortiſſimum,* Amor.

187. ALterum medium Patrocinii B.V. obtinendi, eſt amor versùs eam,quem omni labore noſtro ac ſtudio maximè promovere ac fovere intendimus : tanto magis quòd ipſa tanta Princeps , & Domina tam glorioſa nos miſeros exules pluſquam effari queat, diligat, bonumq; noſtrum indeſinenter curet. Amor quippe non niſi amore compenſatur, & quo majore te quis proſequitur, eâdem amoris menſurâ te ad alterum ferri oportet , vel ſecundùm facultatem , & vires huic clariſſimæ virtuti incumbere. Verùm ut id exequi opere valeas, prius dilectionis alterius amplitudinem noſſe neceſſe eſt.Aſt MARIÆ ad genus noſtrum, quis ponderabit? Quis dimetietur? Quis comprehendat,& eloquatur? Etenim ſi æſtimanda ex munere, Virginis dilectio impretiabilis eſt, quia IESVM Redemptorem mundo peperit. Si ex perſonæ amantis magnitudine ac excellentia , illius dilectio imperſcrutabilis , atque humanâ linguâ non effabilis redditur. Cùm enim Mater Dei ſit , ipſa ex Deo infinitam quamdam dignitatis excellentiam participat. Meritò exclamat Paulus, dicens: *O altitudo divitiarum ſapientiæ , & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & ineſtimabiles viæ ejus!* Judicium Dei fuit , ut ſuus Vnigenitus homo fieret , & pateretur : Via autem ad hujuſmodi negotium congruenter auſpicandum MARIA fuit. IESVS quoque & MARIA præcipuæ divitiæ ſunt ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Nos dimiſſâ profundâ judiciorum Dei , ejuſque viarum indagine, pro indubitato aſſerimus, quòd numquam aliqua carnalis mater tantum uteri ſui dilexit filium, neque vir proximum, ſicut MARIA Eccleſiam.

Amor B. V. ad genus humanum.

Probatio dilectionis , eſt exhibitio operis, ait S.Gregorius. Opus ergo cujuſque penſemus. Grandis revera Rebeccæ matris dilectio, erga filium Iacob. Timebat ille paren-

Magnitudo amoris B. V. ad nos declaratur per collationem cum Rebecca.

parentis optimi Iſaac iram, & væ incurrere, ſi fratris Eſau, natu majoris, benedictionem præripere attentaret. Verùm matre urgente, ac dicente: *In me ſit maledictio illa, fili mi, tantum audi vocem meam, &c.* Confidenter acceſſit grandævum, & cæcutientem patrem, atq; oblato edulio, poſt refectionem, ſenioris fratris benedictionem, & præeminentiam, ſicut aliàs primogenita, feliciter acquiſivit. Adverte tamen parentum veteris Teſtamenti maledictionem, aut benedictionem haud circa æternorum, ſed temporalium bonorum lucrum damnumve, poſſeſſionem aut privationem conſtitiſſe; adeoque ſicut anima, infinitis prope gradibus præſtantior eſt corpore, aut etiam cœlum terrâ latius digniuſque, ſic bonum, quod per MARIAM adipiſcimur, ac malum, quod per eamdem evadimus, nulli alteri bono, aut malo conferendum venit. Quoniam ipſa per benedictum ventris ſui fructum, quem mundo mirabiliter effudit, maledictum gehennale ſuſtulit, atque cunctis jus hæreditatis cœleſtis, per Hevam deperditum, reſtituit. *Quidquid maledictionis*, ait D. Hieronymus, *infuſum eſt per Hevam, totum abſtulit benedictio* MARIÆ. D. Thomas: *Ideo*, inquit, *benedicta in mulieribus, quia ipſa maledictionem ſuſtulit, & benedictionem portavit, & januam paradiſi aperuit.* Demum Eccleſia Romana in offic. Virg. *Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.*

Jacob obtinet benedictionem à Patre agente matre.

Benedictio parentum Vet. Teſtam. verſabatur circa res temporales.

B. V. amor circa æternas.

B. V. reſtituit quod per Hevam deperditum.

Opuſc. 8.

Et in Feſt. Aſſumpt. *Per te paradiſi portæ nobis apertæ ſunt, quæ hodie glorioſa cum Angelis triumphas.*

§. II.

Amor B. V. confertur cum amore Chananææ.

VEhemens fuiſſe dignoſcitur 179.
anxietas, & cura mulieris Chananææ circa filiam ſuam, plurimum à malo ſpiritu divexatam, Matth. 15. Ipſa ſiquidem Chriſtum ſæpius pro liberatione puellæ deprecata, & ut indigna toties rejecta; nihilominus præ ardentiſſimo affectu, & commiſeratione ſingulari fiducialiter interpellare non deſtitit: ut ſi forſitan juxta Domini ſententiam indignitas poſtulantis, vel ſeveritas Iudicis exauditionem retardaret, improbitas tamen petitionis animum ejus flecteret. Non fefellit eam ſpes ſua. Tulit quidem amor maternus acerbitatem repulſæ; aſt fiducia, & importunitas piiſſimi Salvatoris viſcera commoverunt ac devicerunt, ut etiam indignæ daret, quod peteret. Sed, ut quid Chananææ affectum, & ſolicitudinem profero, ut MARIAE Deiparæ ad nos probem. Audi de hoc diſſerentem Bernardin. Senenſ. Ex *charitatis quoque ardore etiam humanæ ſalvationis, toto affectu deſiderabat Incarnationem Filii Dei. Nam & totus impetus primæ ſanctificationis mentem hujus ſanctiſſimæ Virginis impellebat ad hoc deſiderandum pro ſalute om-*

nium

Charitas B. V. erga genus humanum.

Serm. 51. art. 1. c. 3.

nium electorum. Proinde omnes virtutes ardentiſſimæ mentis in id, quod poſtea factum fuit in ea, toto conamine inflammabant animam ejus, &c. Ideo nobis inexpreſſibile eſt illud fervidum deſiderium, & languentis orationis ſuſpirium, quo ſuſpirabat ad Deum, ut Filium ſuum mittere dignaretur ad noſtram aſſumendam naturam, &c. Ita D. Bernardinus. Ipſa ergo Virgo beata, non tertiò, aut quartò, non etiam triduo, vel quatriduo tantùm, ſed tredecim, aut quatuordecim annorum ſpatio, non pro corpore, ſed pro anima, non pro unius, aut alterius hominis, ſed pro totius generis humani æterna ſalute ac beatitudine Patrem cœleſtem religioſiſſimè & ardentiſſimè ſupplicavit, quatenus dum viveret, Redemptorem mittere dignaretur; nec ab oratione ceſſavit donec tandem per Angelum legatione pro Deo fungentem, declaratum eſt, in ſe & per ſe adimplendum iri, quidquid miſericordiæ Patribus promiſſum, ſive etiam à Prophetis ſanctis prænunciatum fuiſſet. Ecce quantæ virtutis, & quàm placitæ extiterunt orationes & vota Virginis MARIAE. Ante ipſam oraverunt Deum Abraham, Iſaac, & Iacob, oraverunt Moyſes, Aaron, Samuël; oraverunt David, Salomon, Ezechias; oraverunt Iſaias, Ieremias, Daniel; oraverunt multi alii Patriarchæ, Sacerdotes, Prophetæ, ac Reges Dominum: item juſti plurimi, tam viri quàm mulieres, ingeminârunt clamore magno: *Obſecro Domine, mitte, quem miſſurus es.* Vel etiam: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Audivit quidem eos Deus, ſed non exaudivit. Abrahæ datum eſt in ſpiritu videre diem Domini: Moyſi ac Prophetis Incarnationis divinæ, paſſioniſque myſterium revelatum: Davidi præterea promiſſum de ſemine ſuo Meſſiam Chriſtum fore ſuſcitandum: ceteris denique humanæ liberationis ſpes, at non res facta eſt, utpote MARIAE humilitati ac meritis reſervata. Vnde de prioribus Paulus Hebr. 11. ait: *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non ſuſceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas ſalutantes, & aſpicientes.* De Virgine verò noſtra ita Euangeliſtæ: *Reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ:* adeoque, *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Divus verò Gregor. *An non,* inquit, *ſublimis* MARIA, *quæ ut ad conceptionem Verbi æterni pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros uſque ad ſolium Deitatis erexit.* D. Bernard. *Mirabatur,* ait, *Salomon, & velut deſperantis ſimilis ajebat: Mulierem fortem quis inveniet? Nimirum propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quòd necdum intercederet is, de quo loquimur, aquæductus,* MARIA ſcilicèt. Poſt pauca: *Sed quomodo hic noſter aquæductus fontem illum attigit tam ſublimem? Quomodo putas, niſi vehementiâ deſiderii, niſi fervore devotionis, niſi puritate orationis?*

Patres vet. Teſtam. Chriſtum à longè ſalutârunt: B. V. in orbem introduxit.

Diſcrimen precum B. V. & Patrum Vet. Teſtam.

Serm. de Nativit. B. V.

Digitized by Google

tionis, &c. Richardus à S. Victore docet Deiparæ Virginis charitatem non tantùm ad Judæos, ſed ad omnes homines dilatatam fuiſſe, & pro his indeſinenter oráſſe, & orando exauditam fuiſſe, dicente ei Angelo: *Inveniſti gratiam apud Deum*, quam quærebas. Deinde addit: *Omnium*, inquit, *ſalutem deſideravit, quæſivit, & obtinuit; imo & ſalus omnium per ipſam facta eſt, unde & ſalus mundi dicta eſt.* Sic ille. Fuit certè Bma Virgo Maria veteris Synagogæ vel optima pars, quemadmodum inſinuat Rupertus: Synagogæ, inquam, tot tantoſque priſcorum Patrum gemitus ad impetrandum ſibi Meſſiam olim ad Numen cœleſte mittentis fuit iſthæc vera Eſther, ſummo Regi unicè grata, & ad ſingularem populo, mortis terrore perculſo, gratiam emerendam efficax: fuit deniqne pluſquàm Salomon in omnibus, & præ omnibus amabilis Domino, in precando præpotens, & ad incomparabile templum Deo vivo fabricandum idonea.

Charitas B. V. extendit ſe ad omnes homines.

Lib. 1. de op. Spir. S. c. 8.

B. V. vera Eſther.

B. V. pluſquàm Salomon.

180. Non ſtetit hîc ſolicitudo Virginis. Etenim Christo ex ea nato, eumdem Patri cœleſti offerre non deſiit, ac per triginta amplius annos cum gemitu, & lacrymis Filium adorans obſecravit, ut juxta vaticinium Prophetarum ac Patris cœleſtis decretum, ſalvationem, quam ſuâ Nativitate auſpicabatur in Bethlehem, tandem conſummare dignaretur in Ieruſalem. Exaudita eſt pro ſua reverentia Mater à Filio. Ipſe enim ibidem propter nos homines, & propter noſtram ſalutem fuſo pretioſo ſanguine in ara Crucis mortuus eſt, ac deinde glorioſè reſurrexit. Nimirum crucifixus, & mortuus eſt, ut morte ſuâ mortem omnium noſtrùm deſtrueret; reſurrexit autem, & ad cœlos adſcendit, ut vitam beatam redemptis præpararet. Demùm Maria Chriſtum Dominum jam ad dexteram ſedis Patris reſidentem pro communi Eccleſiæ bono invocare non deſtitit, donec tandem hâc miſerâ relictâ vitâ ad felicem Beatorum glorioſa migravit, ut ibidem multò ferventius negotia fidelium pro munere ſuo, & dilectione uſque ad conſummationem ſæculi promoveret. Crediderim tamen Dominam noſtram benedictam, & pientiſſimam Mediatricem clientes eos filio Salvatori magis commendare, quos novit devòtius ac frequentius ad ſe confugere, atque patrocinii ſui ſuffragia humillimè implorare. Qui exempla efficaciæ orationum ſive opitulationum Deiparæ ab Aſſumptione illius in cœlum, & deinceps ſcire deſiderat, repetat Lect. 9. & 10. vel etiam recurrat ad Scintillas noſtras, quas, Deo ejuſque Smâ Matre juvantibus, dabimus. Ex his doctrinæ noſtræ veritas luculenter comprobatur.

B. V. per totam vitam oravit pro ſalute hominum.

His non obſtantibus, ſilere minimè poſſum Hiſtoriam, quam in ſuo Quadrageſimali refert venerabilis ac eruditus P. F. Ioannes Grits Ordin. Min. cùm quia pulcherrima eſt, tum quia cum mu- 181.

Digitized by Google

lieris Chananææ repulſa, importunitate ac fiducia, nec non felici ſuo ſucceſſu permagnam affinitatem habet. Eſt autem hujuſmodi. Miles quidam, rapinæ omnique ſpurcitiæ deditus, uxorem devotam habebat, quæ eum induxerat, ut ad honorem Virginis MARIAE diem Sabbathi jejunaret, & *Ave* MARIA quoque, cùm procederet, coram imagine B. Virginis diceret. Cumque ſemel iret ad peccandum, Eccleſiam, quam prætcribat, caſu ingreſſus, vidit imaginem Virginis cum ſuo puero in ſinu; & cùm cœpiſſet Virginem ſalutare per *Ave* MARIA, vidit puerum Chriſtum vulneratum, & ejus ſanguinem fluere in gremio matris, quo viſo obſtupefactus dixit: O Domina, quis fecit hoc? Et Virgo reſpondit, tu, & alii peccatores; qui amplius crucifigitis Filium meum, quàm Iudæi: volebatque Virgo ſanguinem Filii tergere, & reſtringere, nec poterat. Tunc peccator ille compunctus, ad Virginem dixit: O Mater miſericordiæ intercede pro me. At illa, vos peccatores vocatis me matrem miſericordiæ, qui non ceſſatis me facere matrem miſeriæ atque triſtitiæ. At ille: non Domina clementiſſima loquere ſic, ſed memento te eſſe advocatam peccatorum, & intercede pro me. Tunc, ait Mater ad Filium: O piiſſime Fili, amore mei miſerere huic peccatori ſupplicanti. Et filius, noli Mater gravari quòd te non audio; quia ego rogavi Patrem meum, ut ſi poſſibile foret, ſcilicèt alio modo redimere genus humanum, transferret calicem paſſionis à me, & noluit me audire. Tum Mater ait: O Fili, memento quod materno te amore viſceribus meis alui, & condona huic peccatori. Et Filius ait: ex juſtitia tibi oſtendo, quòd exaudire te non teneor. Et Mater ait; non ſecundùm juſtitiam cauſemur, ſed ſecundùm miſericordiam, quia ego ſum Mater miſericordiæ, ergo propter me miſerere peccatoris. Et Filius; ego ſecundò rogavi Patrem transferri calicem, & nondum audivit. Tunc Mater iterum dixit: O Fili, memento omnium laborum noſtrorum, & dolorum quos ſuſtinui, & dona mihi hunc peccatorem. Et Filius, ô Mater noli gravari, ſed memento, quòd ego tertiò rogavi Patrem, & non audivit me. Statim autem Mater depoſuit Filium ſuum ad altare, volens procidere ad pedes ejus genuflexa; quod Filius videns, dixit: O Mater, quid ſic vis facere? Et illa, tamdiu ante pedes tuos cum peccatore iſto jacebo, quouſque veniam concedas. Et Filius, abſit hoc à me, quia lege divinà ſancitum eſt, ut Filius honoret Matrem, & cùm ſim Filius tuus, te honorare volo: tunc ait, peccatori iſti, propter te, ô Mater, indulgeo, & in ſignum pacis accedat peccator, & oſculetur vulnera mea. Quod cùm ille feciſſet, ecce oſculando ſanabantur omnia vulnera, & ſic cognovit miſericordiam ſe promeruiſſe, & maximas gratias agens

Prædo ope B. V. veniam conſequitur.

Peccatores crucifigunt Chriſtum.

Chriſtus ægrè exaudit Matrem.

Chriſtus honorat Matrem preces exaudiendo.

Deo, & Matri ejus abſceſſit, & domum rediens malè ablata reſtituit, & mundum deſerens, cum ſancta uxore intrantes communi conſenſu ad ſui ſexûs monaſteria, ibi felici fine quievêre. Ex dictis autem ſatis innoteſcit quantum ſupra modum MARIÆ pietas Chananææ excedat pietatem: transſeamus ad alios.

Prædo reſipiſcit, & fit Monachus.

§. III.

Amor B. V. confertur cum amore Moyſis, & Pauli.

182. EXcellens fuit amor Moyſis ad populum, ſimiliter Pauli ad fratres: quin-imò & Abrahæ cultus ad Deum ſingularis deprehenditur. Horum prior: *Aut dimitte eis*, ait ad Dominum, *hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro, quem ſcripſiſti*. Alter verò palàm confitetur: *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*. Tertius demùm unicum ac maximè dilectum filium ad montem Moriam duxit, ut ibi propriis manibus, ſicut deſuper ſibi juſſum erat, cùm mactaret, tum Deo immolaret. Horum quidem obſervantia, & zelus amoris tantus, tamque ſtupendus, ut inter natos mulierum vix pares reperias; verumtamen comparatione B. Virginis MARIAE, exiguus convincetur. Neque enim patres IESV fuerunt, quemadmodùm MARIA, vera Mater, neque tantis prærogativis, & gratiis donati fuerunt, quemadmodùm MARIA: neque tales dolores ex Chriſto, & cum Chriſto ſuſtinuerunt, quemadmodùm MARIA, neque talem oblationem Patri cœleſti fecerunt, & quidem pro perditiſſimis ac perduellibus mancipiis, quemadmodùm MARIA. Ipſa ſiquidem & ſe, & filium pro univerſali genere humano in monte Calvariæ obtulit in hoſtiam pacificam, atque cum eodem furori Patris ſe opponens, ut alter murus, ſimul illuſa eſt, & paſſa. Mandat Chriſtus in Euangelio imitationem Patris ſui cœleſtis, dicens: *Eſtote perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt, qui facit oriri ſolem ſuum ſuper bonos, & malos*. Sanè B. Virgo præ omnibus mandatum hoc perfectiſſimè adimplevit. Vnde D. Antoninus: *Quod dicitur*, inquit, *de Patre æterno, ita & de ejus temporali matre dici poteſt illud* Rom. 8. *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, ſcilicet paſſum voluntate, & affectu, & quomodo cum illo non omnia nobis donavit?* 4. p. tit. 15. c. 20. §. 11.

Commendans inſuper divinus magiſter charitatem mutuam diſcipulis: *Majorem*, inquit, *hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. MARIA verò non tantùm Filii animam, ſed etiam vitam ſuam expoſuit, & quidem pro inimicis. Audi D. Ambroſium l. de inſtit. Virgin. c. 7. *Stabat*, inquit, *ante crucem mater, & fugientibus viris ſtabat intrepida. Spectabat piis oculis filii vulnera, per quem ſciebat omnibus futuram redemptionem: ſtabat* 183.

Digitized by Google

non degeneri mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in Cruce filius, mater ſe perſecutoribus offerebat. Plus aliquid aſſeverat D. Antoninus, cujus hæc ſunt verba, ſecundùm Albertum Magn. ſuper Miſſ. *Non tantum Virgo quantum ad actum interiorem, id eſt, diſpoſitionem & deſiderium, ſed etiam quantum ad operis exhibitionem poſuit animam ſuam pro proximis: imò animam Filii ſui, & ipſum Filium, quem magis quàm animam ſuam dilexit, pro proximo & propriam animam ſine neceſſitate paſſioni obtulit propriâ voluntate: & eam in paſſione Filii crucifixit cum Filio, ut pluſquàm Martyr fieret ſecundùm omnes Doctores. Vnde & duas animas obtulit pro proximo, & effectum dilectionis ad proximum duplicavit, propter quod Simeon dixit: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ſcilicèt doloris.* Luc. 2. *Et ut addamus aliquid ſimplicibus auribus vix credibile; ita proximum dilexit, quòd ſi defuiſſet, qui Filium crucifixiſſet, ipſa pro ſalute generis humani conſequendâ eum cum manibus ſuis in Cruce poſuiſſet.* Ita Antoninus.

4. p. tit. 15. c. 17. §. 3. B. V. ſe & Filium obtulit pro ſalute hominum.

184. Quocirca in monte Calvariæ Virgo Deipara, velut terræ maledictum, à lupis rabidis undique circumdata, inde à diriſſimis tormentorum morſibus immunis non receſſit, ut meritò de illa intelligi poſſit illud Cant. 1. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Et c. 3. *Percuſſerunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Quod enim in carne Chriſti agebant tormenta, hoc idem in Virginis corde operabatur naturalis, & ſupernaturalis affectus: ac proinde quot flagella filii corpus lacerantia, quot ſpinæ caput pungentes, & transfigentes, quot clavi manus pedeſque perforantes, quot mallei percutientes, carnemque rumpentes, quot linguæ maledicæ, & blaſphemæ filii gloriam offuſcantes, tot jacula per oculos, & aures intrantia, & totum cor animamque Virginis vulnerantia, adeò ut etiam externum hominem immutarent. Vnde & illa dicit Cant. 1. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol.* Daniël Mallonius in l. de Chriſti ſtigmatibus c. 7. n. 18. c. 5. n. 16. &c. refert ex B. Germano B. Virginem poſt uberrimum lacrymarum effuſum fluvium, tandem ſanguineas etiam lacrymas fudiſſe. Idem aſſerit Franciſcus Collius S. Theol. Doctor l. 3. de ſanguine Chriſti diſp. 5. c. 3. Vide Georg. Colvener. in Kalendar. B. V. 18. Martii §. 7.

Omnia tormenta Chriſti tranſierunt ad cor Matris.

Magnitudo dolorum, & pœnarum juſtitiæ ſolis Chriſti à creatura intellectu comprehendi nequit: quare & Patrem affatus dicit Pſal. 68. *Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam.* Quaſi dicat: Tu, ô Pater æterne ac immenſe, ſolus noviſti honorem, & reverentiam Majeſtati meæ à creaturis dignè exhibendam, ſic ſolus comprehendis atrocitatem injuriarum, & ignominiarum ab iiſdem mihi injuſtiſſimè illatarum. 185. Ad eumdem modum cùm B^mæ^ Virginis præcel-

Digitized by Google

cellentem dignitatem ac reverentiæ illi debitæ magnitudinem non capiamus, ſic dolorum ejuſdem, & confuſionum vehementiam minimè capimus. Hinc S. Anſelmus: *Quis*, inquit, *æſtimare poterit, quantâ triſtitiâ, mœrore, & dolore vulnerabatur cor* MARIAE *ſuper unici ac naturalis Filii ſui paſsione, quem caſtè ſuſcepit, tam gaudiosè peperit, tam dulciter aluit. Vidit eum ligatum, & eum ſolvere non potuit; vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit*. Sic Anſelm. Hæc omnia facta ſunt, ut impleretur ſermo, dicens: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Porrò licèt gladius Simeonis ex mille partibus acutus vitam corporalem Matri non abſtulerit, ſicut clavi aliaque tormenta Filio: tantæ nihilominùs aciei, virtutis atque ferocitatis fuit, ut millies potius illi necem, quàm ſemel conſciviſſet, ſi ad libitum ſævire potuiſſet, ac Virgini robur deſuper non adveniſſet. Vide rurſus quid hac de re ſentiat D. Anſelmus: *Non crediderim*, ait, *te potuiſſe ullo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere, niſi Spiritus dulciſsimi Filii tui te confortaret, & conſolaretur, te intus doceret, non eam eſſe mortem abſumentem, ſed magis triumphum omnia ei ſubjicientem. Quidquid enim*, eodem aſſeverante, *crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione ſuæ paſsionis, quam in Filii morte, gladio Simeonis animam ejus dividente, ſuperavit*. Hinc & D. Bernardinus Senenſ. *Tantus*, inquit, *fuit*

Serm. 61. art. 3. c. 3.

dolor Virginis, quòd ſi in omnes creaturas divideretur, omnes ſubitò interirent. B. Margaretæ Cortonenſi quandoque datum eſt guſtare ſolummodò amaritudinem B. Virginis, & ipſa præ vehementiâ fermè ſpiritum exhalavit. Vide Scintill. ubi de B. Margareta Corton. Quamobrem miraculi loco habendum, naviculam tenerrimi cordis peramantiſſimæ Matris tot tamque violentis dolorum procellis concuſſam, neque tamen undique diſruptam; Deo nimirum illam pro ſolatio ſuorum fidelium roborante, ac reſervante.

§. IV.

B. V. amore generis humani Martyrium ſubiit.

SAncti Patres dolorum Virginis Genitricis Dei acerbitatem atque multitudinem, & magnitudinem altius contemplantes, & ponderantes, eam non tantùm Martyrem, ſed pluſquàm Martyrem appellant. Inprimis D. Damaſcenus: *Ipſa*, inquit, *ſupernaturalium donorum digna effecta, dolores partûs, quos effugit pariens, illos tempore paſsionis ſuſtinuit ex materna compaſsione viſcerum quodammodo reparturiens. Et quem Deum per nativitatem agnovit, ut maleficum interfectum videns, tamquàm gladio cogitationibus diſcerpitur; & hoc eſt: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, quemadmodùm illi prædixerat Dei expectator Simeon, Dominum geſtans in ulnis.* 186.

Digitized by Google

ulnis. D. Bernard. Sermon. Sign. Magn. *Poſteaquàm*, inquit, *emiſit ſpiritum tuus ille* Iesvs (*omnium quidem, ſed ſpecialiter tuus*) *ipſius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipſius* (*nec mortuo parcens, cui nocere non poſſet*) *aperuit latus, ſed tuam utique animam pertranſivit. Ipſius nimirum anima jam ibi non erat, ſed tua planè inde nequit avelli. Tuam ergo pertranſivit animam vis doloris, ut pluſquàm Martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis excesserit compaſſionis affectus.* Ejuſdem ſententiæ eſt D. Antoninus ſupra §. præced. qui & omnium Doctorum affirmat eſſe. D. Ildephonſus, D. Anſelmus de excell. Virg. c. 5. S. Birg. l. 1. Revelat. c. 25. Rupertus in Cant. c. 4. Alii. Inter ceteros Guilielmus Pariſienſ. elegantius idem adſtruit explicans verba illa Cant. 3. *Aſcenſus tuus purpureus*. Ex illis enim evectionem Virginis ad præcellens Martyrium deducit his verbis: *Cùm pia Mater ſe Martyrem profitetur, & ſibi mori lucrum, inquit aſcenſum ſuum eſſe purpureum. Illuſtre ejus martyrium à prophetante Simeone evidenter inſinuatum fuit, cùm loquens de Filio, diceret: Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit. Planè gladius acutiſſimus dolor Dominicæ paſſionis, animam piæ Matris penetrans atque tranſverberans, eam ſpiritualiter commori Filio fecit. Martyres alii fuère moriendo pro Chriſto, hæc commoriendo Chriſto Martyr fuit, & commartyr Chriſti: illorum corporale, Matris ſpirituale, & proindè præſtantius Martyrium fuit. Plus eſt eſſe commartyrem Chriſti, quàm Martyrem Chriſti. Martyres ſuo, id eſt, hominum ſanguine, ſed* Maria *filii, hoc eſt ſanguine Dei intus rubebat.* Demùm D. Bernard. quoſdam redarguens pluſquàm oportet ſapientes: *Quiſnam tu*, inquit, *frater, aut unde tibi hæc ſapientia, ut mireris plus* Mariam *compatientem, quàm* Mariæ *Filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, iſta commori corde non potuit? Fecit illud charitas, quâ majorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit.*

Chriſtoph. Caſtro Hiſt. Deip. Spinell. de Deip. c. 11.

187.

§. V.

Confirmatio Prioris.

EX dictis collige iò Marianæ erga nos dilectionis magnitudinem. Nempè non ſatis illi fuit Filium ſuum Vnigenitum ſummèque dilectum pro noſtra ſalute immolatum eſſe, niſi quoque cum eodem pateretur, moreretur, ac immolaretur. In hunc finem montem myrrhæ, & collem thuris, Calvariam ſcilicèt aſcendit, ibique manſit donec inclinaretur dies, & adſpirarent umbræ. *Stabat*, inquit Euang. *juxta Crucem* Iesv *Mater ejus*. Ad quæ verba alludens D. Bonavent. Virginem interrogat: *O Domina, ubi ſtas? Numquid juxta Crucem? imò in Cruce cum Filio cruciaris. Ibi enim crucifixa es ſecum: hoc ſolùm reſtat, quòd ipſe in corpore, tu verò in corde es paſſa, nec non ſingula vulnera* 188.

Digitized by Google

vulnera per corpus ejus diſperſa, in tuo corde generaliter ſunt unita. Quia nempè: Tuam ipſius animam gladius pertranſivit. Tu Domina in corde es lanceata, tu amoris clavis inclavata, tu de ſpinis coronata, tu illuſa, & exprobrata, tu contumeliis, & maledictis affecta, tu etiam felle, & aceto potata. O dulciſsima Domina, cur iviſti immolari pro nobis? Numquid ſufficiebat Chriſti paſsio, niſi crucifigeretur & Mater? O ſuaviſsimum cor amoris, cur converſum es in cor doloris? &c. Quaſi voluiſſet dicere Seraphicus Doctor. Si quæris Dolorum B. V. cauſam, alia non eſt, quàm amoris. Bernardus verò dicit: *Ad reſtaurationem humani generis ſufficere poterat ſolus Chriſtus, ſicut omnis noſtra ſufficientia ex ipſo eſt. Sed bonum non erat hominem eſſe ſolum; congruum magis erat, ut adeſſet noſtræ reparationi ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.*

189. Addo differentem, & circa idem diſtinguentem Arnoldum Carnotenſ. tractat. ſuper verba Chriſti: *Mulier, ecce Filius tuus. Moriebatur Virgo,* inquit, *& mori non poterat, nec poterat ex facie colligi Crux illa animæ, & patibulum ſpiritûs, in quo erat hoſtia viva, & beneplacens Deo, & medullarum holocauſtum; quod cùm ipſa incenderet, tantum conſcientiæ miniſterio utebatur, ipſaque ſine ſtrepitu ſeipſam mactans in altari interiori, & ligna, & flammas, & latices offerebat. Nimirum in tabernaculo illo duo videres altaria, aliud in pectore* MARIAE, *aliud in corpore Chriſti, Chriſtus carnem,* MARIA *immolabat animam, optabat verò ipſa ad ſanguinem animæ, & carnis ſuæ addere ſanguinem, & elevatis cum Filio manibus celebrare ſacrificium veſpertinum, & cum Domino* IESU *corporali morte redemptionis noſtræ conſummare myſterium. Sed hoc ſolius ſummi Sacerdotis privilegium erat, ut de ſanguine munus intra ſancta inferret, nec poterat ei hæc eſſe cum aliquo dignitas communis. Nam in reparatione hominis, nulli Angelo, nulli homini, cum illa fuit, aut eſſe potuit communis auctoritas. Coöperabatur tamen plurimum ſecundùm modum ſuum ad propitiandum Deum, cùm tam propria, quàm Matris vota charitas Chriſti perferret ad Patrem: cùm quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret. Diligebat Filium Pater, & Filius Matrem: Mater verò poſt utrumque ardebat; unum erat, quod diverſa exhibebant officia, quod Pater bonus, Filius pius, quod Mater ſancta intendebat, quod in commune elaborabat dilectio, ſimulque ſe complectebantur pietas, & charitas, & bonitas, Matre ſupplicante, Filio interpellante, Patre propitiante. Filius ad pectus Matris, & ubera; Pater ad Filii Crucem, & vulnera reſpiciebat: & quid inter hæc, tanta pignora non moverent? &c.* Sic Arnoldus.

Diſcrimen inter Chriſtum patientem, & B. V. compatientem.

§. VI.

Obligatio hominis ad B. V.

COllige 2ò obligationem hominis ad Virginem Deiparam. Quid ergo retribuemus ei, pro omnibus quæ retribuit nobis? 190.
Puſillos

Digitized by Google

Puſillos Angelorum miniſterio inſtruit, & propugnat, Salvatorem Iesvm orbi univerſo edidit, gratiam cunctis impetrat, ſerpentis caput contrivit, nec conterere deſinit, gaudium tribulatis parit, clientes ſuos à devoratione gehennæ liberat, ſibi devotos lumen cœli videre facit, & (ut uno verbo complectar ſingula) bonis omnibus per eam repleti ſumus. Quid illi adhæc poterimus dignum dare? Reſpondeo ſuæ perſonæ digniſſimæ, ac beneficiis tantis, tamque innumerabilibus, nihil umquàm ab homine, quantumvis præcellenti (etſi mille corpora, & mille animas haberet ac illi conſecraret) condignum præſtari poſſe: præterea bonorum noſtrorum non eget. Regnum enim cœlorum cum filio communiter poſſidet, eoque fruitur non more famulæ ſeu ancillæ, ſed ut Mater Regis Regum, Domina, & Regina totius curiæ Beatorum. Vacuum tamen coram illa apparere, ut nefas reor. Canes iis, à quibus educantur, ſervitium atque animalem affectum fideliter exhibent. Ne ergo brutis pejores ſiamus, & ingratitudinis ſcelere contaminemur, indeque à Iudice ſupremo aliquando redarguamur, ad minus illam, à quâ panem vitæ cœleſtis accepimus, amemus, ejuſque virtutum exempla conſectemur. Matres carnales, licèt filii ad æqualitatem merita ſua nequaquàm rependere queant, nihilominùs gaudent; ſibique abundè ſatisfactum putant, quando eoſdem cernunt, vel audiunt vehementer erga ſe affici, honorificè de ſe loqui, juſſis omnibus promptiſſimè obſequi, ſanctis in moribus indies progredi, ac laudabiliter converſari. Haud ſecus Mater noſtra Maria ſummoperè lætatur, ſibique affatim repenſum exiſtimat, dum animadvertit, vel intelligit filios ſuos ſpirituales rectè de ſe opinari, facta ſua heroica prædicare, ac, quod potiſſimum, & manifeſtum præſtantis dilectionis teſtimonium eſt, inſequi. Accipe S. Ildephonſi ſalutare monitum: *Imitamini*, ait, *Matrem Virginem, & Sanctos, quos laudatis, quoniam illis prodeſt noſtra laudatio, quantum nobis eorum imitatio. Vnde ſponſo magis placet imitator devotus, quàm laudator otioſus; tamen vera laudatio cordis, imitatio eſt operis.* Non abſterreat vel animum divertat perfectio exemplaris, quin-imò hujuſmodi magis amplectere, & gratulare, ſicut pictor ſibi applaudit de invento prototypo elegantiſſimè formato: *Prudentis enim, & cordati viri eſt*, ait Nazianz. *magnâ menſurâ vitam ſuam metiri, atque ad excellentium virorum ſe imitationem componere. Præſtat enim ſecundas inter homines magnos, & locupletes ferre, quàm primas inter pauperes, & abjectos. Sicut maioris utique gloriæ eſt paulùm infra aquilam, quàm ſupra humiles alaudas volitare.* Licèt ergo ſanctitatem Marianam nemo plenè aſſequi poſſit, declinando tamen à vitio, & virtutem proſequendo, niſi minus perfectè, ſaltem eam

B. V. redamanda, & imitanda.

191.

quiſque pro viribus exprimere ad-laboret. Eo vel maximè, quòd cùm imitari B. Virginem, ſit imitari Chriſtum (quid enim aliud eſt Deiparæ vita, quàm vividè expreſſum morum Chriſti exemplar?) imitatio Dei per mediam Virginem facta, peculiarem quamdam conciliat ſuavitatem, quam non conciliat eadem imitatio Chriſti facta per alios Sanctos. Quâ viâ & modo facilior quoque efficitur vitæ Chriſti imitatio. Dum enim ſervus Dei totus incumbit contemplationi virtutum ac morum Virginis ſanctiſſimæ, vitamque ſuam vitæ illius conformare ſtudet, memor pietatis, benignitatis, charitatis, humilitatis, devotionis, ceterarumque virtutum, molleſcit, ac quaſi liqueſcit animus, & in amorem Dei rapitur, qui talem nobis matrem impertiit.

192. B. V. in quibus imitanda. *Curemus, itaque*, juxta conſilium Damaſceni, *ut mentem memoriamque noſtram Dei Genitricis promptuarium efficiamus: quomodo autem id aſſequemur? Et Virgo eſt, & Virginum amans, pura eſt, & purorum amans.* In Puritate. *Quocirca ſi corporis, & animi caſtitatem colamus, ipſius gratiam adipiſcemur: ſiquidem lutum omne fugit, & cœnoſas affectiones averſatur. Ingluviem execratur: fœdiſſimis fornicationis vitiis infeſta eſt; hujus impuras, & ſceleſtas cogitationes non ſecus ac viperarum fœtus fugit: ſermones fœdos ac ſcurriles propellit, cantuſque ac meretricia unguenta ſubmovet: iræ tumorem odio habet: inhumanitatem, & invidiam ac ſimultates non admittit: inanem gloriam, vanis laboribus ſe frangentem, rejicit: ſuperbiæ faſtui animo hoſtili reſiſtit: injuriarum memoriam, tamquàm ſalutis hoſtem odio inſectatur; vitium denique omne tamquàm lethale venenum execrationi habet. Horum autem contrariis delectatur: contraria enim contrariorum medicamenta ſunt. Iejunio, &* In Parcimonia. *parcimoniâ, Pſalmorumque cantibus gaudet: cum puritate, & Virginitate ac pudicitia pulchrè illi convenit, ſempiternamque cùm illis pacem colit, eoſque humanè, & comiter exoſculatur,* In Mititate. *pacem animique lenitatem complectitur, charitatem, & miſericordiam atque humilitatem tamquàm alumnas ſuas ulnis fovet;* In Humilitate. *Atque ut rem breviter perſtringam, quolibet vitio offenditur, ac diſcruciatur, quâlibet autem virtute, ut peculiari ſuâ notâ, lætatur, & exultat. Quamobrem ſi vitia prompto atque alacri animo vitemus, virtutes autem omni ſtudio atque amore complectamur, eaſque ſocias adhibeamus, frequens ipſa ad famulos ſuos veniet, ac ſecum bonorum agmen trahet, Chriſtumque Filium ſuum omouſionque regem ac Dominum in cordibus noſtris habitantem aſſumet.* Hactenus Damaſcenus Orat. 2. de Dormit. B. V.

§. VII.

Affectus erga B. V. qualiter excitandus.

HIc obſervandum, non modicum ad Virginem affectum atque devotionem præ ſe ferre 193.

Digitized by Google

ferre deſiderium illam laudandi, diligendi, miniſtrandi dilatatum per omnia tempora, per ſingula locorum ſpatia, & immenſitatem, tam intensè ac perfectè, quam faciunt, & facient omnes Angeli, & Beati in cœlo. Quamvis verò hujuſmodi ſimplex affectatio à ſingulari creaturâ ad effectum deduci implicet; nihilominùs in animo formatum optimum, & valdè meritorium eſt, nec non abundantis amoris teſtimonium ſingulare. Nam ſicut maxima nequitia, atque millies gehennâ extremâ digna cenſetur, optare corda, & corpora innumera ad fornicandum, alitervè peccandum, ſic è contra ſumma bonitas, & cœlo digniſſima eſt, iſta ipſa deſiderare ad benefaciendum, & ſanctè cogitandum. Rurſum, non minùs meritorium arbitror gaudium animi, & benedictio Dei ſuper omnibus bonis, & prærogativis Virgini Matri conceſſis.

Praxis laudandi B. V.

Quamobrem illius cultoribus conſulo primò ut invitent cœlum, terram, mare, cum omnibus habitatoribus ſuis ad unà ſecum laudandum, honorandum, & diligendum Dominam, & Reginam univerſorum. Deindè congaudeant, & congratulentur de cunctis encomiis, affectibus, cultibus, oblationibus, & obſequiis, quæ cœleſtis patriæ cives, terræque incolæ eidem parenti Dei diuque noctuque exhibent: imò & gratiſſimum erit benè adprecari eis, qui Virginis præcipui amatores, atque in ejus ſervitiis ferventiores extitêre. Demùm ſuper omnia lætari, applaudere, congratulari, Deumque benedicere oportet, quòd ipſe Matrem ſuam innumeris gratiis, & privilegiis præ omnibus creaturis dotârit in terris, & quòd eamdem ſecundùm corpus, & animam exaltaverit ſupra omnes choros Angelorum in cœlis, nec non divitiis, & deliciis inæſtimabilibus ſatiet, ac denique ſuper Reges, & Principes totius imperii magnificæ gloriæ ſuæ dominari juſſerit in perpetuas æternitates.

§. VIII.

Cautela.

Servus B. V. non ſuperbiat, ſed humiliet ſe.

194. SCio pleroſque ſibi perſuadere, velleque tales æſtimari, & haberi, quaſi valdè Dei parenti afficiantur, præſertim illi, qui in Sodalitio ejus aliquo nomina ſua dedère, aut Roſarium ipſius, ſeu officium ſacrum perlegunt, vel denique jejunium, eleëmoſynam, aliudvè pium opus ad ipſius gloriam, & honorem peragunt. Laudandus quiſque pro ſua pietate in Virginem Deiparam, & pro quovis obſequio cœlorum Reginæ præſtito: ut tamen horum quemvis ob tantillum exercitium (quod etiam peccator enormis obire poteſt) inter ipſius verè devotos amicoſvè recenſeam induci planè nequeo, niſi præſtantiores charitatis actus conſociatos perſpèxero. Nam ut habet axioma vulgatum ex 3. Ethic.

Amor ſimiles facit aut invenit.

Ethic. Ariſtot. petitum: *Amor, aut ſimiles invenit, aut facit.* Vel ſicut dicit D. Gregorius: *Numquàm amor Dei otioſus eſt; operatur enim magna, ſi eſt: ſi verò operari renuit, amor non eſt.* Ita ego tantumdem de affectu ad Virginem dico, nempè ubi eſt, morum uniformitatem cum ea efficere, adeoque ruminari ac moliri caſta, pudica, ſancta, divina. Quiſque itaque opus ſuum probet, & tunc demùm judicet, qualis ſit. Si corde bene diſcuſſo, repereris, quod ob affectum Deiparæ omnibus te ſubmittas, etiam minoribus, nec ullo te ſanctiorem æſtimes, neque ægrè feras à quovis contemni, vilique pendi ceu inutilis, & peccator: item quòd nullis moleſtiis, & adverſis à rectitudine juſtitiæ Chriſtianæ dimoveri, ſeu avelli te permittas; quòd ſuperioribus obtemperes in magnis, parvis, ſine murmure ac præcepti diſcuſſione; quòd colloquia prava, aſpectus curioſos, nec non malarum cogitationum vulpeculas primo aggreſſu occidas, aut elimines, ut animæ nitorem ſerves: ſi uſqueadeo proximum diligas, ut non modo malum pro malo nullatenus reddas, neque cogites, ſed lædentem quoque quantumcumque, & qualitercumque honore ac beneficiis proſequaris, &c. Si inquam, hæc aut ſimilia Dei Genitricis intuitu, atque ſecundùm exemplar vitæ ejus perficias, tum demùm apud temetipſum exiſtimare potes, & ego credere, quòd ſincere illam diligas, interque devotos ejus cenſeri merearis: *Charitas enim*, teſte Apoſtolo, *patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, &c.* Quod ſi virtutes à Paulo recenſitas, utpote fructus charitatis in te non reperias, vel niſi valdè imperfectè ac impurè, argue temetipſum, confundere de ſuperbiâ tuâ, ſocordiâ & pravitate cordis. Deinde pœnitentiam age animo humili, & contrito, atque ſic ad ſinum piiſſimæ Matris advola, patefac illi miſerias tuas, & imperfectum: ſupplica demùm illam pro venia, pro gratia, pro auxilio, &c. tibi ſpondeo, quòd non invenies alibi adeò amantem tui, neque adjutorium ſimile illi.

Hom. 30. in Euang. Amor magna operatur.

Charitas parens virtutum.

Dato item ac ſuppoſito, quòd eximios dilectionis actus quotidie exerceas: attamen non eſt, ut hinc vanè extollaris ultra proximum, ſive multum de te præſumas. *Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis.* Tolle à te quidquid Dei eſt, & redde illi quod ſuum eſt; ſimiliter denuda te ab omnibus, quæ Virginis ſunt, vel ejus reſpectu ac meritis tibi donata: tum prius innoteſcet quis ſis, quid valeas, quò deveneris. Sanè hoc facto comperieris ſicut umbra evanuiſſe, adeo ut cum Propheta fateri poſſis: *Sicut umbra, cùm declinat, ablatus ſum.* Vel etiam: *Ad nihil redactus* 195.

Servus B. V. humilitatem ſectetur.

Homo non habet unde glorietur.

Digitized by Google

redactus ſum, & neſcivi. Conſidera præterea obligationem quam habes ad Deum, Chriſtum, illiuſque Matrem; ad Deum, cauſa creationis; ad Chriſtum, cauſa redemptionis; ad MARIAM, cauſa ſubſidii, & interceſſionis. Poſtremò perpende immenſam Dei ejuſque Genitricis dignitatem, tuamque ſimul puſillitatem, & vilitatem, & vide, ac ſcrutare an ſervitia tua vel in minimo correſpondeant meritis tam eminèntium Majeſtatum. Sin minus, unde ergo pulviſculus, unde vermiculus erigitur contra formantem, & ſuſtinentem ſe? ſive quoque, unde gloriatur ultra id, quod eſt, aut poteſt? Ex nobiſmet-ipſis nihil poſſumus; ne quidem bene cogitare: omnis noſtra ſufficientia, omnis facultas eſſendi, vivendi, movendi, atq; merendi per Chriſtum eſt, ejuſque merita. Et Chriſtus unde? An non de Virgine MARIA, dicente Euangeliſtâ; *De qua natus eſt* IESVS, *qui vocatur Chriſtus?* Quare auſculta, quæſo Auguſtinum: *Vnde gloriabitur,* ait, *omnis caro? Numquid de malo? hæc non eſt gloria, ſed miſeria. Sed numquid gloriabitur de bono? Numquid de alieno? Tuum Domine eſt bonum, tua eſt gloria. Qui enim de bono gloriam ſibi quærit, & non tibi quærit, hic fur eſt, & latro; & ſimilis eſt diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. Qui enim laudari vult de tuo dono, & non quærit in illo gloriam tuam, ſed ſuam, hic licèt propter tuum donum laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur; quia de dono tuo non tuam, ſed ſuam gloriam quæſivit. Qui autem ab hominibus laudatur, vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec liberabitur, condemnante te.* Sic Auguſt. in Solil. c. 15.

Homo totus à Deo dependet.

196\. Qui laudem de bonis Dei quærit, fur eſt.

Itaque ne velut fur, & latro à ſupremo Iudice judiceris, & condemneris, de omni opere bono, ac gratiæ illius beneficio, da gloriam Deo, age gratias Chriſto, illi adſcribe converſionem tuam, compunctionem cordis, converſationem bonam; refer ad illum omnem profectum, & perfectum tuum. Per illum quippe facta ſunt omnia, & ſine illo factum eſt nihil. Denique Deiparæ Virgini devotus eſto, cujus favore, meritis, & interceſſione Chriſtum tibi propitium, & amicum habuiſti.

Famulus ergo Marianus ſummopere caveat inaniter extolli, ſupra id quod eſt, aut ex ſemetipſo poteſt, ſed magis timeat, ne ipſe, qui plus ceteris in hoc mundo aliquid accepiſſe cernitur, ab auctore mundi gravius inde judicetur. *Cùm enim augentur dona,* ut dicit Greg. *Rationes etiam creſcunt donorum. Tanto ergo eſſe humilior, atque ad ſerviendum Deo promptior, quiſque debet eſſe ex munere, quanto ſe obligatiorem conſpicit in reddenda ratione.* Eapropter juxta Spirit. S. conſilium: *Quanto major es, humilia te in omnibus, & coràm Deo invenies gratiam. Quoniã magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Humilia te, inquit, in omnibus, quatumcumq; ſis ſanctus, & præcellens, & placebis Deo: cave ſuperbire, ne tu, qui clementiâ

Dei exigebaris ad magna, ejuſdem quoque potentiâ deprimaris ad ima: *Excelſus*, ſiquidem *Dominus*, & *humilia reſpicit in cœlo, & in terra, & alta à longè cognoſcit. Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles; eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Beati ergo pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*

PARS IV.

LECTIO I.

De Excellentiis B. V. MARIAE.

197. DE honore (ſeu medio Patrocinii B. Virginis obtinendi) acturus, lectiones aliquot de quibuſdam ejus prærogativis, & excellentiis præmittere oportuit; utpote juxtà quarum magnitudinem ipſa æſtimanda, honorque ex æquâ proportione deferendus: Excellentiarum magnitudo præcipuè attenditur ſecundùm ampliorem, ſive dignitatem, ſive Sanctitatem, ſive beneficentiam; quantoque hæc ſubjectum ſuum perfectiùs afficiunt, tanto magis illud elevant, nobilitant, & honorabilius reddunt. Quod MARIAE noſtræ perſonam ſpectat, ipſam dignitate, ſanctimoniâ, & beneficentiâ præditam, illuſtremque nemo niſi hæreticus, impiuſvè inficias ibit. Mater enim eſt, non cujuſcumque ſed Chriſti, Principis Regum terræ, Deique Opt. Max. Virgo eſt, & quidem Virginum Regina, ſancta, & corpore, & ſpiritu: benefica eſt toti humano generi, illiuſque ſingularis Advocata. Glorioſa magis de homine, nec dici, nec concipi, nec obtingere valent. Stupent Angeli miraculum fœcunditatis in Virgine, nec capiunt myſterium Incarnationis *Verbi* divini; caligant juſtorum oculi in contemplatione ſplendoris de vultu Deiparæ radiantis: extra ſe rapiuntur ſapientes ad tantam humanæ naturæ evectionem, miranturque ad gratiæ plenitudinem Spiritûs S. ſupervenientum: Lingua, calamus, mens in ſanctitatis illius magnitudine, ac beneficentiæ mul-

Dignitas B. V. Mater Dei, ſanctitas, & beneficentia.

Digitized by Google

multitudine declaranda, deficiunt. Hinc, teſte Bernardo, Ioſeph, *indignum, & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, à tali, & à tantâ non debere ſibi ultra familiare præſtari contubernium, cujus ſupra ſe mirabilem expaveſcebat dignitatem. Videbat, & horrebat divinæ præſentiæ geſtantem inſigne, & quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam.* Hinc etiam Dionyſius Areopagita, Pauli diſcipulus: *Cùm ductus fui,* ait, *ad Deiformem præſentiam altiſſimæ Virginis, tantus me immenſus divinus ſplendor circumfulſit exterius, & plenius radiavit interius, ut nec corpus infelix, nec ſpiritus poſſet totius ac tantæ felicitatis inſignia ſuſtinere; defecit cor meum, defecit ſpiritus meus, tantæ gloriæ majeſtate oppreſſus.* Hinc D. Ambroſius: *Tanta eſt*, inquit, *hujus Virginis excellentia, ut in ejus narratione omnes balbutiant linguæ, cæcutiant omnes intelligentiæ, deficiant omnes parabolicæ ſimilitudines.* Hinc demùm S. Bernardinus Senenſ. *Magna*, inquit, *extitit gratia, & virtus Virginis Matris Dei: tam utique magna, ut cum Hieronymo, & multo amplius quàm Hieronymus dicere poſſumus. Quid nos tantilli, quid nos actione puſilli, quid in laudibus ejus referamus? Cùm etiamſi omnium noſtrûm membra verterentur in linguas, eam laudare non ſufficerent. Altior enim eſt cœlo, de qua loquimur Virgo; abyſſo profundior, cujus laudes dicere conamur. Si cœlum, inquam, te vocem, altior es: ſi verò matrem gentium, præcedis: ſi formam Dei te appellem, digna exiſtis: ſi Dominam Angelorum, per omnia eſſe probaris.* Sic ille. Ecce viri juſti in præſentia majeſtatis fœcundæ Virginis vix audent comparere, atque in ejuſdem contemplatione ſpiritu à ſe abeunt: ecce verè ſapientes ac Eccleſiæ lumina quaſi infantes elingues fiunt, & quaſi ſtellæ in ſolari Deiparæ ſanctitudinis fulgore obtenebreſcunt. Quamobrem ego de Excellentiis illius nihil à memetipſo proferam, niſi juxtà doctrinam, & ſenſum S. Matris Eccleſiæ, Sanctorum Patrum, atque virorum in Eccleſia nominatorum: imò plerumque ſententiam eorum atque judicium ad verbum referam: nec ſingula magnalia perſcrutari præſumo, ac ponere. Nam ut quidam ævi noſtri veridicus cecinit,

Tot tibi ſunt dotes Virgo, quot ſidera cœlo.

Verùm pauca electim, maximeque obvia breviter commemorabo.

Serm. Miſſ.

S. Joſeph ad dignitatem B. V. expaveſcebat.

S. Dionyſius rapitur in extaſim ex conſpectu B. V.

In narratione excellentiæ B. V. omnis lingua inſufficiens.

B. V. cœlo altior, abyſſo profundior.

B. V. forma Dei, Domina Angelorum.

Bern. Bauhuſius epigram. l. 2. circa fin.

C A P. I.

MARIA *Mater Dei.*

Titulus *Matris Dei* principium eſt, & fundamentum, ex quo Theologi eximia innumeraque dona, & prærogativas ſingulares Virgini MARIÆ à Deo collatas deducunt. Deus enim noſter haud ſimilis eſt mundi hujus Regibus, qui miniſtros ſuos titulo dignitatis nudo, ſive Ducis, ſive Comitis, &c. honorant, evehuntque: opes ſtatui congruentes, aliunde habendæ, & conquirendæ: non ſic conditor omnium.

198. Theologi ex titulo, *Mater Dei* ſingulares B. V. prærogativas deducunt.

Digitized by Google

omnium Deus; ipſe quos ad eminentes Eccleſiæ dignitates promovet, una illos juxta exigentiam ſtatus, quo idoneos reddat miniſtros, ditat, & providet: quanto magis credendum Dominum id eminentius ac copioſius feciſſe cum Maria, quam non in famulam modò, ut reliquos omnes, ſed & in filiam, & ſponſam, & Matrem aſſumebat. In filiam videlicèt Pater æternus; in ſponſam Spiritus S. in matrem verò Filius Dei. Quoniam ergo evectio Virginis ut eſſet *Mater Dei*, &c. fundamentum eſt omnium munerum, & gratiarum, & prærogativarum, quibus cœlitùs perfuſa eſt, & condecorata, ideò prius de præfatis titulis, & quod hos proximè conſequitur, aliquid dicendum cenſui.

Titulus Matris Dei quàm excellens.

Stupendus titulus, admiranda dignitas nuncupari, & eſſe *Mater Dei. Intendat*, inquit D. Anſelmus, *mens humana, & contempletur, videat, & admiretur: Unum Filium ſibi conſubſtantialem Deus Pater genuit, hunc ſibi tam unicum, & in omnibus omnino æqualem, non paſſus eſt remanere ſolummodò ſuum, ſed eumdem ipſum voluit in rei veritate eſſe B.* Mariæ *unicum, & naturalem Filium. Nec ita ut duo eſſent, unus videlicèt Filius Dei, alius Virginis; ſed unus idem ipſe, qui Filius Dei, in unâ perſonâ eſſet Filius Virginis; & qui Filius Virginis, unus & idem ipſe eſſet in unâ perſonâ Filius Dei. Quis hæc audiens non obſtupeſcet? Et quod Deus tale quid velle potuerit, non ultra omne, quod dici poteſt, admirabile ducat?* Ita Anſelm. Bernardus

Idem qui Dei, & Virginis Filius.

verò Hom. 1. Miſſ. *A ſæculo*, ait, *non eſt auditum, ut aliqua ſimul Mater eſſet, & virgo: quod ſi & cujus mater attendas, quò te tua ſuper ejus mirabili celſitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas, nec ſatis poſſe mirari? Nonne tuo, imò veritatis judicio, illa, quæ Deum habuit Filium, ſuper omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? An non Deum, & Dominum Angelorum* Maria *ſuum audacter nuncupat Filium, dicens: Fili, quid feciſti nobis ſic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quod, cùm ſint Spiritus ex conditione, ex gratia facti ſunt & vocati Angeli, teſtante David: Qui facit*, inquit, *Angelos ſuos Spiritus.* Maria *verò Matrem ſe agnoſcens, majeſtatem illam, cui illi cum reverentia ſerviunt, cum fiducia ſuum nuncupat Filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod eſſe dignatus eſt.* Sic Bernard.

B. V. Mater & Virgo.

B. V. Dei Filium ſuum vocat quod non audent Angeli.

D. Thomas Aquin. in Sum. p. 1. quæſt. 25. art. 6. ad 4. tribus rebus creatis quamdam infinitatem tribuit, & hoc ob maximam quam habent cum Deo conjunctionem. Inter has complectitur, de qua loquimur, Virginem. Aquinatis verba hæc ſunt: *Humanitas Chriſti, ex hoc quod eſt unita Deo; & Beatitudo creata, ex hoc quod eſt fruitio Dei: & B. Virgo, ex hoc quod eſt Mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod eſt Deus: & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis.* Sententia ergo D. Thomæ eſt, humanitatem Chriſti, beatitudinem cœleſtem, Virginemq; ſanctiſſimam ex Deo infi- 199.

D. Thom. docet maternitatem Dei eſſe dignitatem infinitæ excellentiæ.

Digitized by Google

infinitam participare excellentiam. Nec immeritò. Dignior enim homo ac melior, quàm Deus homo, eſſe non poteſt, quia ſuppoſitum eſt divinum. Melior etiam ac felicior poſſeſſio, quàm fruitio Dei excogitari non valet: quoniam objectum beatitudinis omne bonum eſt, & ſummum. Major demùm ac melior Mater eſſe non poteſt MARIA Virgine, quia nulli præterquam ei datum eſt concipere ac parere tantum Filium, quantus Chriſtus. Vnde D. Bonavent. in Spec. B. V. lect. 10. *Virgo*, inquit, *eſt Mater, quâ majòrem Deus facere non poſſet. Majorem mundum poſſet facere Deus; majus cælum poſſet facere Deus: Majorem Matrem, quàm Matrem Dei, non poſſet facere Deus.* Fatendum igitur cum D. Auguſt. quòd hujus dignitatis effectum, nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.

D. Bonav. docet Deum non poſſe facere majorem matrem Matre Dei.

200. A parentibus filii genus, & nobilitatem trahere conſueverunt, at Sma parens MARIA, à Filio (ſicut Luna à Sole) claritatem ſplendoremque vitæ, & nominis, & ut dictum eſt, infinitam quamdam dignitatem accepit. Audi Cardinalem Damianum: *In humano genere*, ait, *ille nobilis dicitur, qui claris majorum titulis inſignitur. B. V. MARIA, licèt de generoſa ſit Patrum ſtirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentiſsima nobilitatis genus, qui de illa eſt novo naſcendi genere procreatus, & per clariſsimam ſobolem omnem humani generis ſtemmatis excedit nobilitatem. Clara proavorum titulis, ſed incomparabiliter clarior generoſitate prolis: filia ſiquidem Regum, ſed Mater Regis Regum, &c.* Ita Petrus Damianus.

B. V. ſuam præcipuam nobilitatem trahit à Filio Deo.

Ex hinc B. V. conjunctiſſima, & familiariſſima Deo facta eſt, pluſquam ſupremus Seraph. Chriſto item Filio quàm ſimillima, non tantum ſecundùm carnis ſubſtantiam, ſed magis ſecundùm ſpiritum, in ſumma virtutum omnium perfectione, gratiarum plenitudine, ac prærogativarum multitudine. Ex hinc Regina eſt cœli, atque dominatur ſuper omnes Ordines Angelorum, ſuper cunctos Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas, Martyres, Confeſſores, Virgines, Beatos omnes. Supra MARIAM ſolus Deus, cetera omnia, quantumcumque ſublimia, infra illam ſunt.

Ex hinc Domina mundi eſt, & communis hominum, ſive juſtorum, ſive peccatorum advocata, in omnibus votis, & prætentionibus proſperrima, juſtorum militantis Eccleſiæ patrona eſt, procurans illis gratiam, quâ in bono perſeverent. Lapſorum verò fidelium mediatrix eſt, impetrans illis veniam delictorum, vitæque ſanctioris progreſſum.

CAP. II.

MARIA *Patris æterni Filia.*

INter alia digniſſima nomina, quibus Virgo cenſeri ſolet, haud extremum locum obtinet, quòd 201.

Patris æterni Filia nuncupatur. Nam quoties Patres deſcribunt modum, quo Virgo toti Trinitati devincta eſt, tradunt quidem illam eſſe Patris Filiam, Filii Matrem, & Sponſam Spiritus S. Sic D.Bernardus paſſim, D. Ildephonſus, & alii. Ergo de nobiliſſima iſta Virginis prærogativa hæc Salomonis verba (juxta textum Chaldaicum) accipi debere exiſtimo: *Propè ipſum eram quaſi nutritia.* Id eſt, velut delicioſè educata. At, inquis, quorſùm tantopere extollis, & laudi magnæ ducis MARIAM æterni Patris filiam dici? Nam ſi quidem ejus filia dicatur, non alio modo hoc nomen illi evenire poteſt, quàm aliis hominibus juſtitiâ præditis, hoc eſt, ex adoptione; omnes enim juſti filii adoptivi ſunt. Profectò quamvis MARIA Dei filia ſit adoptione, & non naturâ; tamen contendo illam nobiliorem quamdam adoptionem adeptam fuiſſe; non modò quia majorem gratiam ſortita eſt; ſed quia ex peculiari, & proprio quodam capite glorioſum illud filiæ nomen fert. Præmitto autem non ſolùm jure civili, ſed etiam naturali conſtans eſſe, ſponſam non tantum proprium mutare, & viri domicilium ſortiri, ſed etiam forum, & omnia mariti jura ſequi. Quia cùm vir ſit uxoris caput, non poteſt non uxor ſuo capiti cohærere. Hinc factum eſt ut obſervat Theodoretus in cap. 3. Cant. Vt ſponſa in domum viri tranſlata jam deinceps non proprios, ſed mariti ſui parentes patres ſuos appellare debeat. Quemadmodùm ſponſam feciſſe putat, cùm ait: *Introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum Genitricis meæ.* Vbi ſponſi Matrem, in cujus jam domum tranſlata fuerat, ſuam Matrem appellavit. Et ut ait Baldus apud Tiraquellum in leg. 1. Connub. n. 28. *Puella, quæ tuo nupſit filio, filia tua eſt, arctiori vinculo quàm adoptionis.* Ratio autem ſic efferri poteſt, quia cùm vir, & uxor fiant una caro, eo modo quo vir refertur ad patrem ſuum, uxorem etiam referri neceſſe. Ex quo fit hanc filiationem majorem, & arctiorem eſſe quàm adoptionis, & proximè ad naturam accedere: ita ut filii naturalis uxor quodammodo etiam naturalis filia ſit parentum ſui mariti. Sanè MARIA 202
Verbi divini Mater, ſimul & ſponſa fuit, & ſub eo ſponſæ nomine à Salomone depingitur in Pſal. 44. ab illis verbis: *Adſtitit Regina à dextris tuis;* ut in Serm. de Annunciat. docuit Athanaſius, & alii ex Patribus, qui pleraque ipſius Pſalmi verba Virgini adſcribenda eſſe cenſent. Inter quos eſt Rupertus, qui putat eum ſenſum *à naturali* non abhorrere. Hujus autem tam ſolemnis apud Patres appellationis, quâ Virgo dicitur ſponſa Chriſti, rationem obtulit Auguſtinus; quia ſcilicèt Chriſtus, & MARIA una caro ſunt. Et quidem carnis unitas duplex eſt, alia quæ inter parentem, & filium intercedit; per hanc verò unitatem parens

Prov. 8. v. 30. Cùm eo eram cuncta componens. Sic Biblia vulgata.

B.V. nobiliori modo filia adoptiva quàm cæteri.

caput

caput exiſtit, filiuſque membrum eſt huic capiti coaptatum. Alia eſt unitas carnis, quæ virum inter & uxorem verſatur, & ſecundùm hanc vir caput dicitur, uxor verò membrum illi ſubnexum. Iam intelligis, quo tendam. Sanè inter MARIAM, & Chriſtum una & altera unitas debet apprehendi. Nam inprimis conſtat utrumque unam, & eamdem eſſe carnem eâ unitate, quæ inter Matrem ac Filium intercedit, juxta quam MARIA caput exiſtit, & Chriſtus membrum illi ſubjectum. Deindè cùm ex altera parte ſecundùm dignitatem Redemptoris Chriſtus novâ conſideratione caput ſit, & Virgo membrum illi ſubnexum, ſanè hic ordo cum carnis identitate conjunctus, nihil habet in rerum natura ſimile, niſi viri atque uxoris ſocietatem. Propterea Virgo ſpeciali, & proprio jure dicitur ſponſa Chriſti. Ergo ſecundùm eum titulum quà ſponſa eſt, viri ſui domicilium, & jura ſequi, inſuper & oblitis propriis parentibus, ſponſi ſui parentem ſuum appellare debet. Et quidem ejùs officio fuit admonita Virgo in eo Pſ. 44. Statim enim addit: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui. Quoniam concupiſcet Rex ſpeciem tuam.* Quaſi apertiùs diceret: jam poſtquam Rex te connubio ſibi adjunxit, oblivioni tradere debes patrem tuum, & domum ejùs, & Regis parentem, tuum appellare. Itaque Virgo ſpeciali jure ſponſa Filii, & Patris æterni filia eſt. Nam quemadmodùm Chriſtus, in quantum homo, Dei Filius eſt, non ex adoptione, ſed naturalis: ita etiam Virgo, quæ eo nomine filia eſt, quatenùs ſponſa, aliquid adoptione majus habet, propter quod quodammodò latiori ſignificatione etiam naturalis Dei filia appellari poſſit, modo ſupra explicato, id eſt, arctiori vinculo, quàm adoptionis, ut docuit Baldus ſupra cit.

CAP. III.

MARIA *Sponſa Spiritus Sancti.*

DIvus Anſelmus de Excellent. Virg. ait: *Ipſe Spiritus Dei, ipſe amor omnipotentis Patris, & Filii, ipſe per quem, & in quo amatur omne, quod bene amatur; ipſe, inquam, corporaliter (ut benè dicam) venit in eam, ſingularique gratiâ præ omnibus, quæ creata ſunt, ſive in cælo, ſive in terrâ, requievit, & Reginam, & Imperatricem cæli, & terræ, & omnium, quæ in eis ſunt, fecit ſponſam ſuam.* Ita Anſelm. Spiritus S. Virginem obumbrans, illam ſingulari modo ſibi ſponſam ſociavit. Quia verbum *obumbro* eſt maritale aut ſponſale, ductum ex veteri conſuetudine ſponſas nubendi atque tegendi. Itaque cùm Angelus dixit: *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, perinde fuit ac ſi diceret: Ipſe Spiritus teget te, & ſine viri opera, viri ſeu ſponſi

203

B. V. ſingularius ſponſa quàm ceteri.

Digitized by Google

vices compenſabit, fœcundans uterum ſine ſemine, ac gravidam de Filio Dei efficiens. Ex his verò colligitur Spiritum S. non tantùm Virginis ſponſum dici eo modo, quo ſponſus in univerſum omnium ſanctarum animarum appellatur, ſed ſpeciali quodam modo & jure, non animæ ſolùm, ſed quodammodò etiam carnis virgineæ ſponſum vocari poſſe, quatenùs illam obumbravit, id eſt, omnes viri vices compenſans fœcundavit, & gravidavit.

C A P. IV.

MARIA *Regina, & Domina Vniverſorum.*

204. IMperii MARIÆ in res omnes veram, & genuinam radicem aſſignârunt Patres, quotquot illud ex maternitate deducunt, quorum verba ſubſcribere opus eſt. D. Athanaſius in Serm. in Euang. de Deip. ſic habet: *Quandoquidem ipſe Rex eſt, qui natus eſt ex Virgine, idemque & Dominus, & Deus, eapropter & Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propriè & verè cenſetur.* Subditque in hunc modum: *Licebitque nobis ita congruenter dicere, dum ad ipſam, atque ad illius Filium carniſerum reſpicimus. Nunc ſcilicèt adeſt Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumamicta, variegata; ex quo ſecundùm ſexum fæmineum, Regina, & Domina, & Mater Dei appellatur.* Hæc ille. Quibus luculenter germanam Mariani imperii radicem attigit, atque illam non impropriè, & per aliquam ſimilitudinem, ſed verè & propriè Reginam, & Dominam eſſe affirmat. Damaſc. l. 4. fid. Orthod. c. 15. ſic habet: MARIA *rerum omnium conditarum Domina effecta eſt, cùm Creatoris mater extitit.* Et in Theodoſ. ode 7. *Quocirca te Reginam omniumque Dominam, uti Matrem Creatoris omnium, annunciamus.* Rupertus in Cant. c. 4. apertiſſimè in hunc modum loquitur: *Hæc in cœlis Regina Sanctorum, & in terris Regina regnorum eſt, quandoquidem eſt Mater Regis coronati, quem conſtituit Dominus ſuper opera manuum ſuarum: ac proinde Regina conſtituta totum jure poſſidet filii regnum.* Item obſervanda ſunt illa verba, *jure poſſidet*, quibus excluditur improprietas & Metaphora. D. Anſelmus hujus rationis etiam meminit l. de Excellent. Virg. c. 9. *Super hoc*, inquit, *cùm ipſam Dominam, per quam tanta bona illis provenerunt, præ oculis habuerint juxta Deum, quem de ſuo utero Virgo peperit, reſidentem, & jure materno cœlo terræque cum eodem filio ſuo præſidentem.* Vbi etiam *juris materni* meminit. Ex quo ſequitur quòd B. Virgo non metaphoricè ac impropriè; ſed germanè & propriè omnium creaturarum Regina eſt.

B. V. verè & propriè Regina, & Domina cœli terræque.

B. V. regnum Filii poſſidet.

B. V. jure materno cœlo terræque cum Filio præſidet.

Sed tamen ut vim hujus rationis capiamus, quædam præmittere oportet. 1o. Si jus naturale ſpectetur, dignitatem honoremque filii ad parentes recurrere certum eſt. Ratio autem deſumpta eſt ex Ariſt. 205.

Iure naturali honor filiorum recurrit ad parentes.

Digitized by Google

riſt. l. 8. Ethic. c. 11. ubi cùm filiorum ad parentes, & ſubditorum ad reges non juſtitiam, ſed amicitiam eſſe dixiſſet, & de ſubditorum erga Reges obſequio aliqua præmiſiſſet, de poteſtate patria ſic decernit: *Amicitia paterna beneficiorum magnitudine differt: eſt enim cauſa pater eſſendi, quod maximum eſſe certum eſt, & enutritionis, & eruditionis, unde naturâ pater filiorum imperium obtinet. Hæc autem amicitia in excellentia conſiſtit, propterea honorantur ipſi parentes: & juſtum igitur in his non eſt, ſed quod efflagitat dignitas.* Hæc ille, qui paucis verbis vim naturalis juris complexus eſt. Aſſerit autem patrem naturâ ipsâ imperium in filios ipſos obtinere, hoc verò imperium in excellentia conſiſtere: quia nimirùm pater ſemper filio ſuo ſuperior eſt. Ita ut quantumlibet filius dignitate creſcat, & honore, ſemper parente ſuo inferior maneat; eſt enim illa poteſtas naturalis. Inde verò fit naturali conſecutione, ut filii dignitas honorque neceſſariò redundet in patrem, ne aliqua ratione filium ſupra patrem eſſe dicamus, quem natura ſuperiorem effecit. Id verò intelligendum ſublatis emancipationibus, quas jus civile adinvenit. Aliam etiam rationem reddit ibidem Ariſtot. quia parentes, & filii non cenſentur aliquid diverſum, ſed revera filius eſt, vel pars aliqua parentis, vel omninò idem cum illo. Ideò inter patrem & filium non intercedit juſtum propriè dictum, quia ejuſdem ad ſeipſum æqualitas, vel inæqualitas eſſe non poteſt. Ex quo fit, regnum, divitias, & in univerſum quemlibet filii honorem parentibus accedere jure naturali. Nam prædicta ſubſtantiarum identitas bonorum omnium communionem inducit. Si enim bona filii eâ ratione non cederent, ſanè inter patrem, & filium juſtitia propriè dicta intercederet. Et quidem ex hac identitate colligunt cum Ariſt. Juriſperiti, filium ipſum quamdiu ſub patria poteſtate exiſtit, verè Dominum eſſe paternorum bonorum, quamvis eiſdem uti non poſſit niſi ex veniâ patris. Quo ſpectavit Paulus ad Galat. 4. cùm dixit: *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cùm ſit Dominus omnium.* Si ergo impubes ob ſupradictam identitatem verè Dominus paternorum bonorum, potiori jure pater erit Dominus bonorum filii.

Naturâ pater filiorum imperium obtinet.

Filius quantumcumque dignitate creſcat, ſemper patre inferior.

Filius vel idem cum patre, vel pars.

206. Hinc colligo jure naturali parentem Regis Regem eſſe, & in univerſum nullâ dignitate filios gaudere poſſe, quo non illicò refundatur in parentes, niſi aliquid aliud obſtet. Confirmatur alio Ariſtot. teſtimonio ſupra c. 10. *Societas,* inquit, *patris ad filios regni præ ſe fert effigiem: nati namque patri ſunt curæ.* Itaque patris imperium in filios regnum quodammodo eſſe dicit, & patrem in filios regnare: ergo ſi filius Rex creatur, pater utique Rex Regis erit, atque potiori jure Rex. Præmiſi autem illa verba: *Si nihil obſtet.* Nam tri-

Pater Regis Rex eſt.

Digitized by Google

Modus triplex veniendi ad imperium, ex natura, à labore & induſtria, ex electione.

triplici modo alicui imperium evenire poteſt. Primus eſt à naturâ ipsâ. Sic Chriſtus Dominus imperium obtinuit, non electione aliquâ, ſed à naturâ ipsâ. Deitas enim, humanitati ſociata, illi ſupremum rerum omnium clavum, & imperium deferebat. Secundus modus eſt, cùm aliquis armis, arte, aut aliâ ratione regnum aliquod debellavit, & ſibi ſubjecit. Tertius modus eſt, cùm aliquis electione aut deditione multitudinis Rex creatur.

207. Ergo aſſero primò, ſi imperium regnumque vel in univerſum honor quilibet filio à naturâ contingat, non poteſt non in parentes remigrare: cùm enim filius patri naturaliter ſubjaceat, paterque naturâ ipsâ ſuperior ſit, quæcumque filius naturaliter obtinet, parenti neceſſariò cedunt, atque in illum redundant. Item cùm filius ſit præcipuâ quædam parentis ſui portio, vel idem omninò cum illo, non poteſt eſſe bonorum diſcrimen, & ſeparatio. Secundò etiam exploratum mihi eſt, quòd ſi aliquis filius per ſemetipſum imperium aſſecutus ſit, parentibus etiam accreſcit imperium, (loquor autem de jure naturali, omiſſis emancipationibus, quas quidem jus civile adinvenit, & moderatur.) Ratio eſt in promptu; quia ex naturæ legibus non ſolùm opes, quas filius nanciſcitur, ſed etiam omnia alia jura, & poteſtates parentibus accreſcunt. Tertiò, ſi filius imperium electione, aut deditione multitudinis obtinuit, tunc ſanè haud tranſit à filiis ad parentes, licèt inde non parum honeſtentur. Ratio eſt, quia auctoritas illa ſeu poteſtas tota ex electoribus pendet, atque eam illorum voluntas metitur: quapropter illi tantum perſonæ accedit, cui electores illam deferunt.

Filius electione obtinens regnum, illud non tranſit ad parentes.

His conſtitutis, cum præmiſſis Patribus decerno Virginem Deiparam verè & propriè, & non per ſimilitudinem Reginam, & ſupremam Imperatricem eſſe ex eo, quia Mater eſt ſummi Regis, & Imperatoris omnium rerum: non electione aliquâ, aut privilegio, ſed jure ipſo naturali. Ratio ducitur ex dictis ſupra, quia Chriſtus non ex electione, aut ex meritis (quamvis id quoque mereri potuiſſe exploratum eſt) ſed naturâ ipsâ verè & propriè, & non per ſimilitudinem Rex, & Imperator ſummus eſt, nimirum ex divinitate, quæ illum ſicut ſacerdotem, ita etiam Regem inunxit: Dixi autem *naturâ ſuâ*, ut excludam electionem, & affectum. Atqui omnis honor, & dignitas, quæ naturâ ipsâ competit filio, ad matrem neceſſariò redit, ergo Sma Deipara verè & propriè Regina eſt juxta Ariſtotelis principia ſupra adſcripta, quibus conſentaneè perbrevi, ſed luculentâ oratione Arnoldus Carnot. Bernardo coætaneus, & familiaris rationem iſtam complexus eſt tractat. de laudib. Virg. *Nec à dominatione, vel potentiâ filii mater poteſt eſſe ſejuncta: una eſt*

208. B. V. verè & propriè regina, & non per ſimilitudinem.

Ratio.

MARIAE,

Mariæ, *& Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas, & ex quo dictum eſt ei*, *Dominus tecum*, *inſeparabiliter perſeveravit promiſſum*, *& donum.* Obſerva illorum verborum *Dominus tecum* ſubtilem interpretationem. Voluit enim Arnoldus illis verbis ſignificari,& Virgini Deum adhæſiſſe, & in dominii communionem ,& ſocietatem illam adſciviſſe. Attexit enim : *Vnitas diviſionem non recipit*, *nec ſecatur in partes, & licèt ex duobus factum ſit unum, illud tamen ultra ſcindi non poteſt, & filii gloriam cum matre non tam communem judico, quàm eamdem.*

Gloria filii cum matre eadem.

209. Ceterùm operæ pretium eſt explicare,quàm latè pateat hujus Reginæ imperium. Præmitto autem Chriſtum duplex imperium obtinuiſſe, aliud ſpirituale in animas, aliud politicum ad civilem adminiſtrationem pertinens : rurſum non ſolum imperium regnumque ſortitum fuiſſe, ſed etiam ſingulare omnium creaturarum dominium. Ergo ſi de regno ſpirituali ſermo ſit, illud certè Chriſtus ſuæ paſſionis meritô adeptus eſt. Nam quamvis naturâ ipsâ ratione divinitatis, cui unita erat humanitas, ad eam dignitatem evecta eſt, ut poſſit ſibi animas ſubjicere, & ab imperio diaboli ad ſuum transferre : tamen per ſuæ paſſionis meritum reipſa tranſtulit, atque ſubjecit. Itaque regnum hoc non illi à Patre omninò liberaliter donatum, ſed meritis retributum. (Nec verò loquor de radice omnis meriti in Chriſto, ſcilicèt de unione hypoſtatica ; hanc enim liberaliter illi, & ſine meritis Pater impendit.) Ergo ut ad Virginem redeamus, hæc ſanè jure materno ſpirituale animarum imperium adepta eſt ; quia (ut ſupra diximus) dignitas, quam Filius per ſemetipſum aſſecutus eſt, & non electione, aut donatione alterius, ad Matrem redit: ergo cùm Chriſtus hoc regnum (quod illi congruit etiam in quantum homo eſt) ſuis meritis ſibi pepererit, ad illam redeat neceſſe eſt, quæ ipſum peperit, eo modo quo à filio ad matrem redire poteſt. Accipe verba D. Bonavent. in Spec. lect. 8. qui verba *Dominus tecum*, bonum ad ſenſum vocat : *Dominus*, inquit, *potentiſſimus tecum*, *& tu Domina potentiſſima ſecum. Dominus Iudex noſter*, *Dominus legifer noſter*, *Dominus Rex noſter. Dominus*, *inquam*, *legifer noſter in mundo, Dominus Iudex noſter in judicio*, *Dominus Rex noſter coronans in cœlis.* Ecce quomodo omnes ſpirituales regni partes complexus eſt Doctor Seraphicus; ſubdit ſtatim: *Iſte ergo ſpecialis noſter Dominus*, *ſic cum* Maria *fuit*, *quod etiam ſpecialem noſtram Dominam in his omnibus fecit.*

Imperium duplex ſpirituale, & politicum. Chriſtus utrumque adſecutus in omnia creata.

Chriſtus regnum ſpirituale qualiter adeptus.

Regnum ſpirituale Chriſti rediit ad B. V.

De 2o verò imperio, ſcilicèt politico, & civili certius eſt Virgini jure materno evenire : nam cùm Chriſtus imperii hujus dignitatem naturâ ipsâ, & non ex aliqua electione aut deditione obtineat, neceſſum eſt ut ad Matrem recurrat. Vnde meritò ab Ildephonſo Serm. 3. Aſſumpt. *Regina Regum* prædicatur ; 210.

Regnum politicum Chriſti etiam ad Matrem rediit.

catur; & à Ruperto *Regina regnorum*. Ex quo etiam fit, ut, ſicut filio pronunciare licet illa verba: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.* Prov. 8. Sic etiam Matri æquum ſit eadem uſurpare ſub eodem ſenſu. *Per me*, inquit, *non demandantem, aut conferentem illis imperium, ſed dimittentem; nam cùm ipſa poſſem jure regnare, illis tamen regnum dimiſi.* Hæc addidi, quia quemadmodùm Chriſtus eam ſupremam poteſtatem obtinuit, non tamen exercuit, ſed regibus exercendum dimiſit; ſic etiam de Virgine Deipara dicendum eſt.

211. Denique quod attinet ad dominium univerſale rerum omnium, non aliud judicium quàm de juriſdictione ferendum eſt. Nam pari ratione de filio ad matrem dignitas dominii retrocedit, quam filio à naturâ ipsâ convenire ſupra decrevi. Retroceſſionem iſtam imperii atque dominii à filio ad matrem eleganter attigit B. Damaſcen. orat. 2. de Aſſumpt. ubi ſic addit: *Oportebat Dei Matrem ea, quæ Filii erant, poſſidere, atque ab omnibus rebus conditis ut Dei Matrem adorari. Quamquam enim ſemper ita comparatum eſt, ut hæreditas à parentibus ad filios devolvatur; nunc (ut eruditi cujuſdam viri verbis utar) ſurſum ſacrorum fluminum fontes fluunt. Etenim filius matri res omnes conditas in ſervitutem addixit.* Denique hæc tria regni Mariani jura paucis verbis complexus eſt idem Damaſc. orat. 1. Aſſumpt. ubi ſic diſſerit: *In cælo ac regiis ſedibus, ſic Regina, Domina, Hera, ac verè Mater, & Genitrix Dei depoſita es.* Reginam ergo, Dominam & Heram appellavit. *Reginam* quidem ob politicum, & civile imperium; *Dominam* ob directum dominium rerum omnium; *Heram* ob poteſtatem in ſervos, & mancipia, de qua poſtea. Ex his pauca deducuntur.

10 Virginem Deiparam jure materno verè, & propriè Reginam eſſe, & cum Filio communem poteſtatem ſortiri, &c. Cùm verò dicimus à Chriſto ad MARIAM imperium redundâſſe, non ita accipiendum eſt, quaſi mater parem cum filio adepta ſit dignitatem, & poteſtatem; abſit: ſed licèt ſit inæqualitas, quam fateri neceſſe eſt, hæc tamen nihil detrahit de regia dignitate MARIAE. Nam ſicut fœmina privata, poſtquàm Regi connubio juncta eſt, etiamſi illi omnia cum Rege bona communia ſint, tamen haud æqualis poteſtas jus dicendi, imperandi, & bona diſtrahendi. Nihil enim horum niſi ex copiâ viri præſtare poteſt. Id verò non vetat, quo minùs idem imperium, dignitatem & nomen cum viro habere dicatur, & Regina ab omnibus appelletur. Sic etiam de MARIA dicendum eſt: ipſam quidem ſupremam eſſe Reginam, quamvis nihil hujus poteſtatis exercere poſſit, niſi ex Filii ſui veniâ, quæ illi ſemper præſto eſt ad nutum. 212. B. V. non habet æqualem poteſtatem cum Filio jus dicendi.

2. Colligitur MARIAM non modò

B.V. imperium habet in Angelos, homines, dæmones.

dò hominum, ſed etiam Angelorum verè, & propriè Reginam eſſe. Hoc autem Virginis in homines atque Angelos imperium venuſtè expreſſit D. Bonavent. in Spec. lect. 3. exemplo Eſther Reginæ, quam duæ comitabantut ancillæ, quarum altera Dominam ſequebatur, defluentia veſtimenta colligens; alteri ipſa Eſther delicioſè innitebatur, Eſth. 5. *Duæ enim famulæ, quarum Domina eſt Regina* MARIA, *ſunt Angelica, & humana creatura: humana eſt famula illa, quæ ſequitur Dominam ſuam in mundo, colligens veſtimenta Dominæ, hoc eſt virtutes, & exempla* MARIAE, *Angelica verò eſt illa altera, ſuper quam in cælo innititur ſe ſociando ac deliciando cum Angelis, innititur inſuper tamquàm potentiſſima, Angelis imperando.*

213. 3° deducitur, MARIAM etiam dæmonibus imperare ſeveriùs, cùm illi etiam à Chriſto ſubjugati ſint: ſic ibidem docet Bonavent. *Hoc etiam competit tantæ Imperatrici, quæ revera Domina eſt cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; Domina, inquam, hominum, Domina Angelorum, Domina dæmonum.* Ad id etiam ſpectat ſententia Arnold. Carnot. de laud. Virgin. & refertur tom. 6. Biblioth. Patrum: *Chriſtus, Dominus;* MARIA, *Domina; conſtituta quippè eſt ſuper omnem creaturam, & quicumque* IESV *curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicat.*

4° ſequitur in homines, Angelos ac dæmones non tantùm Reginæ jus, id eſt, poteſtatem juriſdictionis habere, ſed etiam jus dominii, ratione cujus verè, & propriè ſervi illi mancipati, vel mancipia ſub ejus ditione conſtituta appellari debent. Nam cum illud de filio fatendum eſſe ſuprà rationum momentis oſtenderimus, de matre ſanè haud poſſumus inficiari. Quod quidem non dedecori ſed magnæ gloriæ duxit D. Anſelmus ſup. Sic enim ait: *Servire huic Reginæ regnare eſt, & inter illius mancipia numerari pluſquam regium.*

B.V. habet dominium in omnes creaturas.

5° concluditur ex dictis omnes alias irrationales creaturas ſub tantæ Reginæ dominio eſſe, nihilque ulli eſſe tam proprium, cujus Virgo quaſi anticipatum dominium non habeat: non enim aliud de Matre quàm de Filio ejus Chriſto Domino judicium ferendum eſſe, hactenus perſpicuis rationibus oſtendi.

Ceterùm contra ea, quæ hactenus præfati ſumus, objicere quis poſſet, Chriſtum Dominum à patriâ poteſtate ab initio fuiſſe emancipatum & exemptum. Suadet hoc robuſtum ſatis argumentum. Quia quemadmodùm divinitas humanitatem ad eam extulit dignitatem, ut ab omni principatûs ſæcularis dominio, & poteſtate illam vendicaret, imò regiam & ſupremam in Reges omnes poteſtatem ei addiceret, ut ſupra probavimus; ſic etiam eadem a patriâ poteſtate illum eripere potuit. Ita enim tantam Chriſti Domini majeſtatem dicere videtur. Confirmatur: quia cùm emancipatum 214.

An Chriſtus a patria poteſtate exemptus fuerit: ſententia affirmativa.

eſſe, ſit quoddam libertatis, & excellentiæ genus, divinitas, quæ humanitatem non modo ſanctificabat, ſed etiam alias quaſdam dignitates, & excellentias præbebat; hanc illi utique præbuiſſe dicendum eſt. Accedit conſenſus Cardinalis Toleti in c. 2. Luc. qui ſuam ſententiam ſtabilire poſſet teſtimonio D. Gregor. Nyſſeni orat. ſuper illa verba Pauli: *Tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei.* Vbi initio id docere videtur. Cùm enim cauſas, ob quas filii parvuli parentum poteſtati ſubjacent, accurratius enumeráſſet, nimirùm, ignorantiam, & victus quærendi inſolentiam; has in Chriſto Domino nullo modo fuiſſe decernit, atque adeò ab ea ſubjectione immunem dicit. Accedit etiam Titus Boſtrorum Epiſcop. qui ita ait: *Ob id ſponte ſe illis ſubjecit, quo filios omnes exemplo ſuo ad hoc inducat.* Id eſt, voluntario obſequio & libero, non autem ex debito generationis.

215. Negativa ſententia probabilior. Ceterùm oppoſita ſententia mihi omninò vera, ac prorſus tenenda videtur: ſcilicèt Chriſtum Dominum ob divinitatis, & humanitatis ſocietatem in eadem hypoſtaſi à patriâ ſeu matris poteſtate minimè exemptum fuiſſe. Et quidem adversùm Toletum objicio virum per omnia æqualem Ioan. Maldonatum, qui hoc noſtrum placitum gravi ſuâ cenſurâ, & Ambroſii teſtimonio corroborat. Et quidem Ambroſ. in c. 23. Luc. de Chriſto Matrem ſuam diſcipulo commendanti ſic ſcribit: *Habemus pietatis magiſterium, docet lectio hac, quid affectus maternus, quid ſequi debeat reverentia, & pietas filiorum.* Quibus verbis Chriſto pietatem erga matrem tradit: pietas autem fundatur in debito naturali filii erga parentem; Chriſtus ergo haud liber fuit ab iſto debito. Si enim liber eſſet, nequaquam pius in parentem, ſed miſericors aut benignus diceretur. Sed tamen luculentiùs loquitur Ambroſ. in 2. Lucæ ad illa verba. *Et erat ſubditus illis. Quid enim,* ait, *magiſter virtutis, niſi officium pietatis impleret, non utique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubjectio eſt.* Ipſiſſima verba tranſcripſit Beda in ſua Comment. quibus tum Ambroſius, tum Beda difficultatis herculeum nodum uno ictu reſciderunt. Expendo ſingula: *Quid enim, magiſter virtutis, niſi officium pietatis impleret.* Quid apertius? Chriſtum Dominum officium, hoc eſt, debitum pietatis impleviſſe docet Ambroſius, ergò ab illo debito immunis non erat. Germanam autem hujus rationem attigit ſequentibus verbis: *Nòn utique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubjectio eſt.* Quaſi diceret, nemo Chriſtum patriâ poteſtate liberum dicat, quaſi infirmum ſit, & tantæ majeſtatis indignum alicui ex debito ſubjici: nam ſubjectio iſthæc, & obſequium erga parentes, non eſt infirmitas aliqua, vel ſervitus, ſed pietas. Itaque licèt ex divinitatis commercio Chriſtus Dominus liber ſit, & nulli alteri poteſtati ſubjectus: tamen patriam poteſtatem non excuſſit. 216.

Subjectio filiorum ad parentes pietas, non infirmitas.

Ratio

Digitized by Google

Filiî nomen libertatem ſonat, & dignitatem præ ſe fert.

Ratio à priori ducta ex Ariſtot. hæc eſt, quia debitum ſubmiſſionis, & ſubjectionis erga parentes nihil libertatis,& ingenuitatis adimit: imò filii nomen dignitatem habet,libertatem ſonat, & omnem ſervitutem prorſus excludit. Atqui ejuſmodi debitum naturale erga parentes, ita cum ipſa filiatione conjunctum, & connexum eſſe reor, ut quicumque Chriſtum Dominum eo debito erga parentem ſuam exſolverit, filium eumdem eſſe neget. Hoc debitum clariſſimè expreſſit D. Methodius in Serm. Purific. Virg. ubi ſic ſcribit: *Euge, quæ debitorem habes eum, qui omnibus mutuatur. Deo enim univerſi debemus, tibi autem etiam ille debet.* Item Hypolit. de ſanctific. *Qui dixit honora patrem, & matrem, ut decretum à ſe promulgatum obſervaret, omnem gratiam matri, & honorem impendit.* Accedit etiam Bernard. Serm. 2. Miſſ. qui elegantiſſimè expendit verba illa: *Et erat ſubditus illis. Deus,* inquit, *cui ſubditi ſunt Angeli, Principatus & Poteſtates, ſubditus erat* MARIÆ, *& Ioſeph propter* MARIAM. *Mirare ergo utrumlibet, & elige quod amplius mireris, ſive Filii Dei benigniſſimam dignationem, ſive matris excellentiſſimam dignitatem. Vtrimque ſtupor, utrimque miraculum. Quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo: & quòd Deo fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio. In laudibus Virginum ſingulariter canitur, quòd ſequantur Agnum quocumque ierit. Quibus ergò laudibus judicas dignam, quæ etiam præit.* In quo teſtimonio unam aut alteram rem obſervatione dignam adnota. Nam primò Virginem *præcellere, præire, ac principari* dicit *Filio ſuo*, quæ verba niſi de patriâ tantummodo poteſtate commodè accipi poſſunt. Rurſus Bernard. ex filii obſequio excellentiam MARIAE aucupatur. Quod ſi dicamus filium per humilitatem,& dejectionem ſui, non autem ex debito pietatis matri paruiſſe, hoc ſanè non tam ad ejus excellentiam faceret, quàm filii humilitatem extolleret. Nam ſi Rex v. g. ex humilitate procumbit ruſtico, inde quidem non ruſtici magnitudinem, ſed Regis immenſam dimiſſionem colligere licebit.

Chriſtum negat MARIÆ Filium qui ab eo debitum ſubjectionis tollit.

D. Bern. docet B. Virginem præcellere, præire ac principari Filio Chriſto.

217. De Nyſſeni autem ſententia illud aſſerere audeo, eum noſtræ potius, quam oppoſitæ ſententiæ opitulari. Nam poſtquàm dixit filios ſub patriâ poteſtate eſſe ob prædictas rationes, addit Chriſtum Dominum in nuptiis Cana ſic parentem ſuam affatum: *Maternum autem conſilium, quod minimè in tempore adhiberetur, rejecit, dicens: Quid mihi, & tibi mulier? Viſnè me ante ætatem præeſſe, ac imperare? Nondum venit hora mea, quæ præbet ætati, ut imperet, ac ſit ſui juris?* Exiſtimat ergo Nyſſenus Chriſtum ad illud utique tempus ſub patriâ poteſtate fuiſſe, & ſui juris non fuiſſe. Adhæc Titus Boſtrorum Epiſc. dum ait: *Chriſtum ſponte Virgini paruiſſe,* non excludit debitum naturale, ſed promptam illius ad obſequendum voluntatem commendat.

Solvuntur argumenta in contrarium.

Ergo cùm ex his conſtet Virginem Smam patriam in Filium poteſtatem obtinuiſſe, ne quid hanc univerſalem etiam ditionem effugeret, cum ex his, quæ ſupra diximus, liqueat parentes jure naturæ filiis imperare, & quaſi regiam in illos poteſtatem obtinere (teſte Philoſopho) MARIA etiam jure materno, quâdam ſupra Chriſtum poteſtate regiâ gaudebat. Et ſanè Virgo Sma hoc jure, & poteſtate ſua ſæpius uſa eſt, ſed tunc maximè utitur, cùm apud Filium pro nobis intercedit. Quod venuſtiſſimâ oratione complexus eſt Damianus his fermè verbis: *Accedit ad aureum illud divinæ ſeveritatis tribunal, non rogans ſed imperans: Domina, non ancilla. Quomodo enim poteſtati tuæ obviare poterat, poteſtas illa, quæ de tuis viſceribus traxit originem?* Id eſt, poteſtati illi, quam materno jure in illum obtinet, haud reſiſtet ille, qui parentibus deferendum eſſe rectè novit. Sic doctiſſimè argumentatur doctiſſimus Salazar in c. 8. Prov. verſ. 15. & 16. à num. 122. uſque ad num. 146. incluſivè. Ex quo cap. 4. de regno, & dominio B. V. deſumpſimus.

LECTIO II.

B. V. MARIA *in matris utero immaculatè concepta.*

218. ANtequam de Conceptione Virginis quidpiam dicamus, Sciendum primò, quòd peccatum originale macula quædam ſit, & deformitas ex radice arboris generis humani, per peccatum corruptâ, in omnem ejus propaginem ab ipſo conceptionis tempore in ventre matris transfuſa, juxta illud Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: in quo omnes peccaverunt.* Hæc autem macula verè peccatum eſt, & mors animæ juxta doctrinam Conc. Trid. ſeſſ. 5. n. 2. atque qui illo inficitur, Dei inimicus conſtituitur, filius iræ, ſervus & captivus ſatanæ, vas immundum, & abominabile, ita ut verè cum Propheta fateri debeat: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*: atque conſequenter cum Apoſtolo dicente: *Eramus naturâ filii iræ.* Adeò ut ſi quis in eo diſcedat, numquam viſurus ſit gloriam Dei. Quare D. Auguſt. ex præfata Apoſtoli ſententia: *Eramus naturâ filii iræ*, infert: *Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ.*

Peccatum Adæ transfunditur in filios.

Peccatum originale eſt mors animæ.

Homo naturâ filius iræ.

In Joan. Tract. 44. c. 9.

Sciendum 2° Doctores Scholaſticos aſſerere, originariam labem majorem atque pejorem eſſe veniali: quoniam illa à Deo ſeparet, hæc non.

Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 5. Azor. l. 4. c. 33. q. ult. & alii.

Sciendum 3° neminem hominum de viro in muliere conceptum ex lege ordinariâ hanc noxam evadere, ſed omnes indifferenter illam contrahere. Sic Conc. Trid. ſeſſ. 5.

Sciendum 4° B. V. MARIAM more ceterorum in ventre matris conceptam; intelligo quoad modum.

Digitized by Google

dum propagationis de viro.

219. An B. V. cum ceteris peccatum originale contraxerit. Ergonè MARIA à Deo ſingulariſſimè ab æterno electa, & prælecta, ut ceteri filii ac filiæ Adam, originalem labem contraxit? Ergonè MARIAM, ſingulariſſimè in Domini matrem præordinatam, dæmon quandoque captivam tenuit? Ergonè MARIA, in Sponſam Spiritus S. ſingulariſſimè prædeſtinata, vas quandoque ſordidum, abominabile, atque reprobum fuit? Ergonè MARIA, quam tota ſacroſancta, & individua Trinitas ſingulariſſimè in obſequium humanæ ſecum reconciliationis ut mediatricem jugiter adhibitura erat, mancipium perduellis ſatanæ extitit? Ergonè Deus, MARIAM, matrem ſuam mox futuram, non præoccupavit, non præpoſſedit, ſed peſtifer ſatan? Ergone meritò gloriabitur antiquus ſerpens prius Virginem, quàm ſe ab illa, ſupplantatam? Ergone dignitatem *Matris Dei* minus dedecebat originale peccatum, quàm veniale, cum quo divina amicitia ſtat, & à quo veniali omnes Patres, & Sacri Doctores cum Eccleſia Orthodoxa unanimiter Deiparam fatentur immunem, ut eſſet nimirùm idonea *Mater Dei*, non obſtante Scripturâ dicente: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Proh! Væ! Horret exhinc animus, ſtupet voluntas, obrigeſcit lingua, ne tale quid auſim propter honorem Domini de Virgine Matre illius vel effari, vel in eo conſentire, ne quidem vel leviter ſuſpicari; malo in eâ gratiæ effectum conſiderare, quàm culpæ.

1. Joän. 1.

Refugit animus in B. V. ſtatuere peccatum ob Chriſtum.

220. Si verum eſt, quòd perfectiones, quæ ſingillatim in creaturis habentur, ineffabiliter excellentius in Creatore juncta reperiantur, & mus Armenus mori malit, quàm locum, vel parum fœtidum, inquinatumque ſubire (quapropter & hoc de illo dicitur: *Malo mori, quàm fœdari.*) Dicendumne Deum noſtrum, qui ipſamet puritas, permiſiſſe ut domus, quam in habitaculum ſibi delegerat, vel aliquâ peccati fæce inquinaretur? cum de eo ſcriptum ſit, quòd ſit *candidus, & rubicundus, electus ex millibus*, quòd *inter lilia paſcatur.* Item, quòd *Emmanuël nomen ejus, ſciens reprobare malum, & eligere bonum.* Abſit, abſit, ut ille, qui in reliquarum creaturarum formatione bonus fuit, & valdè bonus, ſibi & Matri iniquus aliquando videatur. Specificatim de homine dicitur Eccleſiaſtes cap. 7. v. 30. *Fecit Deus hominem rectum*; quidni, & matrem? Quamvis enim poſt prævaricationem primorum parentum natura corruptelam induerit: hæc tamen prævaricatio libertati divinæ ac miſericordiæ præjudicare haud potuit, nec adſtringere, quo minùs ſibi & matri, imò & quibus ex indulgentia vellet, proſpiceret. Etſi verò MARIA (de ceteris taceo, Matris quippe Dei honorem zelo) in ſua conceptione adhuc non eſſet Chriſto conjuncta per maternitatem: divinâ tamen prædeſtinatione

Mus Armenus mavult mori quàm fœdari.

Peccatum nullum præjudicium intulit potentiæ, & miſericordiæ Dei.

B. V. per gratiam in Conceptione redde batur digna ut eſſet Mater Dei.

Digitized by Google

tione ad illam ordinem habebat, ad quam in ſua Conceptione per gratiæ plenitudinem diſponebatur. S. Mater Eccleſia propter hunc ordinem non patitur in eâ delictum veniale, & nos horridum illud ac lethale originarium in ipſâ locum habuiſſe dicemus? Abſit. Deus, qui potens & pius eſt, Virgini Genitrici ſuæ magna, & admirabilia fecit, adeoque de illa non niſi magna, admirabilia, eique digna & cogitemus, & loquamur, & ſcribamus. Noveris tamen me circa hanc materiam nihil planè definire velle, niſi quòd cum ratione, Patrum doctrinâ, & præſertim Eccleſiæ univerſalis ſenſu maximè conſentaneum probavero.

S. Mater Eccleſia non patitur in B. V. peccatum veniale.

221. Dicit ipſa Veritas de ſemetipſa: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Numquid ergo illam perfecit legem, quâ dicitur: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, &c.* Quis inficias ibit? Itaque ipſe, qui conceptam Virginem in ventre matris poſt infectionem (ut volunt quidam) ſanctificavit, ac poſtea natam per totam vitam (quod nemo negat) ſic efficaci gratiâ prævenit, direxit, munivit, ut numquam venialiter deliquerit: cur non potius, ut matrem honoraret, ſibique proſpiceret, ex ſingulari gratia ab originali labe eam omninò præſervavit? ut ſemper pura, ſemper Deo digna, & non dæmonis mancipium quandoque eſſet. Niſi fortè, ut blaſphemi, non credamus *Verbum* Patris æterni carnali matri præextitiſſe, aut id non potuiſſe; vel ſaltem, ut minus pii, non voluiſſe id honoris, & pulchritudinis ſibi, & parenti deferre. Attende differentem Anſelmum, ſuamque ſententiam candidè declarantem. *Inſciane fuit, & impotens Sapientia Dei, & virtus, mundum ſibi habitaculum condere, remotâ omni labe conditionis humanæ? Angelis ſuis peccantibus, bonos à peccato ſervavit, & fœminam matrem ſuam mox futuram, ab aliorum peccatis exortem ſervare non valuit. In æternitate conſilii fixum, ſtatuit eam dominatricem, & Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem Angelis natam, in conſortium acceptam eſſe credamus omnium peccatorum? exiſtimet hoc, & argumentis ſuis probet, qui vult, ego donec oſtendat mihi Deus aliquid dignius excellentiæ Dominæ meæ poſſe dici; quod dixi dico, quod ſcripſi, non muto. Ceterùm me, & intentionem meam filio ejus, & illi committo.* Huius tractatus Anſelmi de Concept. B. V. fidem commendat, quod ex eo non pauca habentur in lectionibus Breviarii Romani antiquioribus, quod excuſum fuit Venetiis an. 1550. In eodem tract. c. 9. *Ego,* inquit, *piiſſima Domina, qualiſcumque ſervulus, credo & fateor, quòd tu ex radice Ieſſe pulcherrima, ac per hoc ab omni, quod te decoloret, peccati vulnere aliena, integerrima permanens florem puriſſimum protuliſti, &c.* Ex hoc tract. Anſelm. Ioann. Bachon in 4. diſt. 2. q. 3. art. 3. plurima deſumpſit pro adſtruenda immac. Concept. B. V. qui Bachon ante annos 300. floruit Pariſiis, & ait: *Hunc librum* (ſcilicèt

Chriſtus ut Matrem honoraret eam præſervavit ab origin.

Lib. de Concept. B. V. c. 6.

Deus Angelos bonos ſervavit à peccato, cur non magis Matrem.

Iuxta Anſelm. B. V. potius immunis quia Regina Angelorum.

Anſelm. de Concept. B. V. c. 9.

Digitized by Google

(ſcilicèt Anſelmi de immac. Conc. B. V.) *vidi in multis locis, & ponitur in libro, qui eſt de vita* Mariæ, *qui vocatur, Magnum Mariale.* Item Dominicus Bolanus in tract. de Concept. B. V. Bernardinus de Buſto in Mariali Serm. 4. Serm. 9. & in offic. de pura Concept. B. V. alii, vide Salazar de Concept. B. V. c. 42. ſæc. 11. ubi de S. Anſelmo.

§. II.

Confirmatio Priorum.

222. Adam formatus ex terra impolluta, potiori ratione Christus, ita docet S. Andreas.

GEneſ. 1. Adam formatur ex terra nulli maledictioni obnoxia, an non conveniens magis, ut ſecundus, & cœleſtis Adam, Chriſtus videlicèt, ex Matre Virgine ab omni væ immuni naſceretur? Ecce quid reſolvat D. Andreas Apoſt. *Sicut Adam*, inquit, *formatus eſt ex terra, antequàm eſſet maledicta: ita & ſecundus Adam ex terrâ virgineâ numquam maledicta.* Addo teſtimonium D. Ignatii in Epiſt. ad Heronem, dicentis: *Corpus Adæ ex quatuor elementis eſt factum: Heva verò de latere Adæ: glorioſum verò habitaculum Domini, de ſola Virgine. Decebat enim opificem, non ſecundùm humanam conſuetudinem, nativitate uti, ſed glorioſè & novè, ut decebat naſci factorem, &c.* Sed dicis Ignatium hic intelligendum loqui de virginitate corporis. Nos, cùm non diſtinguat, & ratio ipſius æquè militet pro adſtruendâ virginitate animæ, de utraque intelligimus. Tu vis corpus Virginis purum, & impollutum fuiſſe, ego inſimul animam puriſſimam. *Decebat enim, &c.*

S. Ignatius docet Chriſtum nobilius debuiſſe naſci quàm ceteri.

Rurſus Deus parentibus primis paradiſum ad incolendum, & fruendum fecit, deditque, & quidem ex omni parte voluptuoſum, & jucundum. Angelis quoque cœlum omninò gaudioſum, cur non item ſibi formavit in Virgine thronum ſolidum, & glorioſum, ut impleretur illud Pſ. 86. *Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei?* Hinc D. Anſelmus *Propone*, inquit, *tibi palatium, quòd ſpecialiter ſuis uſibus aptum exiſtat, conſtruere volentem, in quo ipſe frequentiori, & feſtiviori curſu converſetur, patereturnè, quæſo, in principio palatii fundamentum invalidum, & ſtructuræ, quæ foret ædificanda, incongruum, & non cohærens? non puto, ſi ſaperet, & propoſitum ſuum ad effectum producere vellet. Ergo Sapientiam ante omnia ſæcula propoſuiſſe ſibi habitaculum, quod ſpecialiter inhabitaret, conſtruere, ſimiliter indubitatâ fide tenemus. Quod autem habitaculum iſtud fuerit, jam dudum innotuit: hoc enim habitaculum, illud ſacrarium Spiritus S. eſſe fatemur, in quo & per quod eadem Sapientia humanæ naturæ conjungi voluit, & incorporari, & omnibus ſe purâ mente confitentibus parcere, & miſereri. Quod ſacrarium, aula videlicèt univerſalis propitiationis cùm operante Spiritu S. conſtrueretur, ſi fundamentum illius, ſcilicèt initium ſive primordium conceptionis B.* Mariæ *corruptum fuit, ipſi certè ſtructuræ non congruebat, nec cohærebat.* Hactenus Anſelm. Quis umquam,

223. Deus Adæ & Hevæ dedit paradiſum, Angelis cœlum, cur non ſibi locum meliorem in Virgine providit.

Vide Salazar de Concept. B. V. c. 42. D. Anſelm. l. de Concept. B. V. c. 6.

B. V. aula univerſalis propitiationis.

Sapientiam Dei decebat ſibi formare domum congruam.

Digitized by Google

unquam, ait D. Cyrillus Alexand. *de architecto audivit, quod ſuum-ipſius templum conſtruxerit, & in eo habitare prohibitus ſit* ? Itaque Deus juxta Pſalm. 77. *Ædificavit ſicut unicor-*
224. Sicut unicornis ſic Chriſtus à domo ſua excluſit immundum. *nium ſanctificium ſuum in terra.* Quare ſicut unicornis? Quia, ut ajunt Titelm. & Lyranus hìc, zelans pro domo ſua ad modum unicornis, nullum animal immundum intrare permiſit in illam. Et Auguſt. & cum eo D. Bonav. *Vnde ſordes in domo, ad quam nullus habitator acceſſit? Solus ad eam fabricator ejus, & Dominus venit.* Rurſus Auguſt. *Dicit tibi Manichæe, Deus creator hominis, Filius hominis. Ego matrem de qua naſcerer feci; ego viam itineri meo præparavi. Hæc, quam tu deſpicis, mater mea eſt.* Præparavi, inquam, viam itineri meo, præſervando matrem ab omni turpitudine ac deformitate peccati, tam originalis, quàm actualis, & infundendo animæ ejus, etiam cum primordiis conceptionis, omnis gratiæ plenitudinem. Aliàs in grande dedecus ceſſiſſet mihi, ſi illud, quod Deitati hypoſtaticè mox uniendum foret, aliquando pollui permiſiſſem. Hanc ergo, ô filii hominum, quam vos primorum veſtrorum parentum ſordibus obvolvere, & commaculare vultis, ego Filius Dei, per quem omne bonum, & pulchrum creatum eſt, formavi mihi matrem optimam, pulcherrimam, ſplendidiſſimam,glorioſiſſimam; adeò ut de illa veriùs, quàm de throno Salomonis, enunciari queat illud 3. Reg. 10. *Non eſt factum ſimile opus in univerſis regnis.* *Nihil verius*, ait B. Petr. Damian. *nihil ſublimius, nihil dulcius miſeræ mortalitati, & mortali miſeriæ. Nam etſi multa magna facta ſunt in creaturis mundi, nihil tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei, uti Virgo Dei Genitrix, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirabitur.* Divus item Bonavent. Spec. lect. 7. *Non eſt factum*, inquit, *tale opus in univerſis regnis: non in regno cœleſtium, nec terreſtrium, nec infernorum. Hoc enim opus plenum eſt divinâ gloriâ; quia ſupra omnem puram creaturam reſultat, & relucet pleniſſimè in* Maria. *Nam præter aſſumptam à Verbo naturam, nullum eſt opus, nulla creatura, in qua tanta divinæ gloriæ materia reluceat, ſicut in* Maria.

Lib. contra 5. hæreſ. cap. 5.

Chriſto dedecus fuiſſet unire ſibi carnem quæ fuiſſet polluta.

Deus nullum opus matre excellentius creavit.

§. III.

Confirmatio Priorum.

GEn. 2. dicit Deus. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Heva prima, per quam genus humanum propagandum foret, ex coſta viri, & ad ſimilitudinem ipſius ſine ullo nævo à Deo tota formoſa, & gratioſa ædificata eſt: quanto magis Heva ſecunda, Maria nempè, in adjutorium divini incarnandi Verbi à Spiritu S. mox aſſumenda, ex qua & Chriſtus ſecundùm carnem naſceretur, & homines ſpiritualiter renaſcerentur; 225. Heva ſine macula formata, quanto magis B. V.

quantò

Digitized by Google

quantò magis, inquam, illa de parentum ſuorum lumbis, Deo agente, atque ab inquinamento præſervante, tota ſpecioſa, & gratioſa prodiit, juxta illud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*: quo inſimul verificaretur illud Pſalm. 44. *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et concupiſcet Rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Quod enim*, affirmante Bernardo, *vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe denegatum*. Hinc Bernardin. Senenſ. *Certum*, inquit, *eſt, quòd Deus creavit Adam ſine originali peccato, & ſimiliter Hevam de coſta ejus*. Ex quo infert: *Non eſt credendum quòd ipſe Filius Dei voluerit naſci ex Virgine, & ſumere ejus carnem, quæ eſſet maculata aliquo peccato originali; imò credendum, quòd ejus mater fuerit pluſquàm Heva & Adam, qui creati fuerunt ſine peccato originali*. Sic Bernardinus.

§. IV.

Confirmatio Priorum.

226. SS. Patres docent B. V. puriorem Angelis, ideo macula omnis ab ea excludenda.

Divus Hilarius, D. Anſelmus, D. Thomas, & alii innumeri docent B. Virginem in puritate vincere Angelos. Divus verò Auguſt. 12. Civit. 9. *Deus*, inquit, *Angelos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*. Itaque ex horum ſententia, & bona ſequela: *Defectus omnis ſub* Maria (utor verbis Bernardi) *& quidquid fragilitatis, & corruptionis eſt; quæ excellentiſſimâ quâdam ſublimitate præ ceteris omnibus excedit, & ſupergreditur creaturis, ut meritò ſub pedibus ejus Luna eſſe dicatur*. Serm. Sign. Magn.

227. Gen. 1. Dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cœli, ut luceant, & illuminent terram*. Sol, qui lumen ad illuſtrationem totius mundi producturus erat, ac de quo ceteræ planetæ participarent, ſine tenebris affluenti claritate donatus eſt, quantò magis Maria, electa ut Sol, à principio formationis ſuæ gratiæ nitore præfulſit, utpote de qua claritas omnium claritatum, & candor lucis æternæ, Dei Filius, qui illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, homo naſciturus erat. *In ſole*, teſte Scripturâ, *poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. In ſole*, ait, utique animato, & præclaro. D. Hieronym. in Pſalm. 18. ita hunc verſiculum exponit: *In ſole, in utero ſanctæ* Mariæ *Virginis.* Maria *interpretatur ſtella maris. Lumen ſolis magis lucet quàm ſtellarum; Sol juſtitiæ Dominus, ut ait Propheta: Orietur vobis Sol juſtitiæ, qui eſt Chriſtus: illuminavit Sol iſte ſtellam, id eſt,* Mariam, *ut eſſet ſicut Sol; ideò poſuit tabernaculum ſuum in Sole, quando corpus aſſumpſit in utero ſuo.* Quare idem ad Euſtochium ſcribit in hunc modum: *Nulli dubium eſt de Matre Domini, quin talis debuerit eſſe, quæ non*

B. V. velut Sol.

Matrem Dei argui de peccato non decebat.

non poſſet argui de peccato.

Gen. 2. *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave: lignum etiam vitæ in medio paradiſi.* Arbor in medio paradiſi voluptatis collocata, cujus fructus corpoream vitam in pristino vigore ac robore conſervaret, aut etiam dilabentem reſtauraret, cùm incorruptionis munere procreata fuit: quanto potius MARIA vera ſpiritalis vitæ arbor in medio Eccleſiæ militantis, in tantum præ aliis honorata eſt, ut ſine corruptela originalis maculæ conciperetur, cujus benedictus uteri fructus, non modo corporis, ſed etiam animæ vitam cùm reparaturus; tum conſervaturus erat. Hinc D. Cyprian. *Non ſuſtinuit*, ait, *juſtitia, ut illud vas electionis communibus laſſaretur injuriis, quoniam plurimùm à ceteris differens, natura communicabat, non culpa.*

Arbor vitæ cum incorruptione creata, multò magis B. V.

§. V.

Confirmatio Priorum.

228. ESth. 5. Amor Regis Aſſueri eum movit, ut à decreto mortis conſortem thalami Eſther eximeret: *Noli timere*, inquit, *non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Num minorem gratiam à Rege Regum Chriſto MARIAM Virginem aſſecutam dubitabimus? Niſi fortè credamus Dei Filium minus amare Matrem, aut non honorare voluiſſe, prout tantæ ſuæ bonitati, & perfectioni congruebat. Auſculta D. Anſelmum: *Eſtne putatis ulla mens hominis, quæ modum hujus dilectionis, quàm Deus ad Virginem habuit, queat penetrare: quando & ille, quod charius habebat, id eſt, virginitatem, ſic integrè ſervabat, & eam fœcundatam ſui-ipſius matrem fecit? Poteſtne ullus hominum, aut Angelorum ipſius amoris immenſitatem penetrare, vel dignitati honoris ipſius quidquam cogitatu percipere comparabile?* Ita ille. Sicut ergo Doctore Anſelmo nullus creatus intellectus amoris divini ad Virginem Matrem altitudinem comprehendit, ſic nec bonum quod Deus MARIÆ, voluit, & fecit, ullus, quantâvis eloquentiâ polleat, enarrabit. *Divinus* enim *amor* (ut eleganter deſcribit S. Dionyſius de divin. nom. c. 4.) *eſt circulus bonitatis à bono in bonum perpetuò revolutus.* Itaque quanto amplius hic circa aliquem dilatatur, & fertur, tanto etiam copioſiùs circa eumdem divina bonitas, & gratia effundetur. Circa nullam verò creaturarum charitas Dei ita ſummè omni tempore efferbuit ac præſtans fuit, quemadmodùm verſus MARIAM, adeoque nulla ei in beneficiis, & gratiis conferenda venit. Vnde D. Thomas: *Rationabiliter*, inquit, *creditur B. Virgin.* MARIAM, *quæ genuit Vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, majora omnibus gratiæ privilegia accepiſſe.* Et D. Baſilius orat. de Deip. *De Virgine*, ait, *qui omnia illuſtria, & glorioſa dixerit, numquam is à veritatis ſcopo aberrabit, attamen dignitatis magni-*

B. V. confertur cum Eſther Regina.

Amor Dei ad B. V. Matrem incomprehenſibilis, ſic & bonum, quod illi voluit.

Amor Dei circulus bonitatis de bono in bonum revolutus.

D. Thom. 3. p. q. 27. art. 1. B. V. majora omnibus privilegia accepit.

S. Baſilius: Omne illuſtre B. V. tribuens non errat.

Digitized by Google

magnitudinem nulla unquam oratione exæquabit. D. item Germanus de zon. Deip. *Omnia*, inquit, *in Virgine ſunt admirabilia, & naturæ vires excedentia, in quâ Deus ſuam exeruit potentiam: quippè in quâ fecit magna, qui potens eſt.* Denique apud Scotum inſtar axiomatis habetur: *Quod excellentius eſt, Dei Genitrici tribuendum.* Quare ex horum Patrum doctrinâ, & ſummo Dei amore ad creaturam aliquam, neceſſariò immunitas B. Virginis aſſerenda videtur: alioqui & doctrina hujuſmodi, & amor ſummus velut caduca ſubſidunt.

S. Germ. In B. V. omnia ſunt admirabilia.

Scotus. Matri Dei dandum excellentius.

229\. Deus partum, vitam & mortem Matris illuſtrem reddidit, quidni & conceptionem?

Immenſus ergò ad Virginem amor, quo fecit illi partum mirabilem, & inauditum, vitam etiam planè illuſtrem, ac mortem glorioſam, cur non item conceptionem gratioſam, & intaminatam? Aſſero Deum Virgini partum feciſſe admirandum, & inauditum. Peperit enim Filium Dei ſine dolore, ſicut & conceperat virginitatis gloriâ permanente, ubi tamen fert lex: *In dolore paries filios.* Et, *ſub poteſtate viri eris.* Vitam inſuper omnino præclaram reddidit, quia ne venialiter quidem, quoad vixit, peccavit; ubi nihilominus aſſeverat Scriptura Eccleſ. 7. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Mortem denique ipſius Virginis glorioſam effecit Deus: nam licèt mortem ſubierit, mortua tamen non computruit, nec in cineres redacta, nec corpus in ſepulchro inglorium manſit, ſed beatum mox cum animâ unitum reſurrexit, & ad cœlos aſſumptum; nihil obſtante ſupremi legiſlatoris decreto: *Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c.* Quidni vi' ejuſdem divini amoris conſequenter adſtruamus miram & illuſtrem ejus conceptionem? Vt quemadmodum nimirum B. Virgo in terra ſanctè vixit ac glorioſè mortua, ſic & intaminatè ac gratioſè in ventre matris concepta ſit. Sed objicis Scripturam dicentem Roman. 5. *In Adam omnes peccaverunt.* Scriptura in prioribus Deiparæ non obfuit, in ſola conceptione oberit? Attende circa hanc diſſententem Anſelmum: *Ille*, inquit, *aſſertor puræ veritatis, & à filio tuo jam cœlo præſidente, vas electionis cognominatus, omnes homines in Adam peccâſſe fatetur; vera utique ſententia eſt, & cui contradicere nefas eſſe pronuncio: ſed cùm eminentiam gratiæ in te conſidero, ſicut te non intra omnia, quæ facta ſunt, ineſtimabili modo contu.or, ſic nec lege aliorum in tua conceptione devinctam fuiſſe opinor, ſingulari & humano intellectui impenetrabili divinitatis virtute, & operatione ab omni peccati adjunctione liberrimam.* Sic Anſelm. Veritas decreti à Paulo aſſerti ſtat, ſi dicamus etiam B. Virginem (ſi modum conceptionis ejus cum ceteris filiorum Adam communem ſpectemus) obnoxiam fuiſſe primorum parentum peccato, aut ſaltem debuiſſe eſſe: nihilominùs tamen velut matrem, & ſponſam ſingularem ſummi Regis ex gratiâ ſpeciali præſervatam ſeu exemptam,

Anſelm. de Concept. B. V. lib. cujus initium: Principium, quo ſalus mundi proceſſit, c. 5.

230\. Aſſertum Pauli quoad B. V. intelligendum de debito, non de actuali incurſu peccati.

Digitized by Google

juxtà quod dicitur ff. de ll. in l. Princeps. *Auguſta licèt legibus ſoluta non ſit, Princeps tamen eadem privilegia ei concedit, quæ ipſe habet.* Sine peccato Chriſtus conceptus eſt, quod ipſe habuit, auguſtiſſimæ Matri conceſſit. Ipſe tamen tum ex vi conceptionis de Spiritu S. tum ex vi divini ſuppoſiti (quod in naturâ ſibi conjunctâ nulla ratione peccatum ferre poterat) ſine peccato originali conceptus eſt. Virgo autem nec vi conceptionis, nec ex virtute ſuppoſiti, ſed ex di- divina miſericordia teterrimam iſtam labem effugit. Quoniam ut argumentatur D. Thomas 3. p. q. 27. art. 4. *Quod Deus ad aliquid elegit ita præparat, & diſponit, ut ad id quod eliguntur, inveniantur idonei, juxta illud* 2. Cor. 3. *Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti. Beata autem Virgo fuit electa divinitùs, ut eſſet Mater Dei: & ideò non eſt dubitandum, quin Deus per ſuam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, ſecundùm quod Angelus ad eam dicit: Inveniſti gratiam apud Deum. Ecce concipies, &c. Non fuiſſet autem idonea Mater Dei, ſi peccâſſet aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem ſecundùm illud* Prov. 17. *Gloria filiorum patres eorum. Unde & per appoſitum ignominia matris ad filium redundaſſet. Tum etiam, quia ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem* 2. Cor. 6. *Quæ conventio Chriſti ad Belial? Tum etiam, quia ſingulari modo Dei Filius, qui eſt Dei ſapientia, in ipſa habitavit, non ſolùm in animâ, ſed etiam in utero. Dicitur autem* Sap. 1. *In malevolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Et ideo ſimpliciter fatendum eſt, quòd B. Virgo nullum actuale peccatum commiſit, nec mortale, nec veniale, ut ſic in ea impleatur quod dicitur* Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Ita D. Thomas. A fortiori ex his Doctoris Angelici rationum momentis inferre poſſumus eamdem Virginem, nec originale contraxiſſe. Qui enim ut conſulat dignitati, & honori Dei Genitricis non audet minorem venialem culpam ei adſcribere, neſcio quâ ratione in eam ſententiam ferri poſſit, ut ei maximam peſſimamque maculam originalis peccati attribuat, præſertim ubi tot ſolida in contrarium argumenta pugnent. Quãobrem D. Leo. *Oportebat*, inquit, *ædificari domum, in quam deſcendens cœleſtis Rex, haberet hoſpitium: hanc igitur domum Sapientia ædificavit, & in eâ excidit columnas ſeptem, Septem namque hæc domus ſuffulta columnis extitit, quia venerabilis Mater Domini ſeptem Spiritus S. donis dotata fuit. Neceſſe enim fuit prius erigi thalamum, qui venientem ad nuptias ſuſciperet ſponſum.* Addo Petrum Galatinum reddentem rationem cur B. Virgo Ierem. 17. dicatur *Solium gloriæ Dei. Quia*, inquit, *ſicut ſedes ornata, ac regio more parata ſedentis magnificentiam ac majeſtatem indicat, ita Deus in B. Virgine oſtenſurus erat gloriam ſuam.* Demùm D. Auguſt. ſeu Author Serm. ad Fratres.

Chriſtus per ſe immunis ab origin. B.V. ex gratia.

Deus quos ad aliquid eligit, etiam ad id diſponit.

Deus per gratiam B. Virginem reddidit idoneam matrem.

B. V. cum peccato actuali non fuiſſet idonea mater.

Si B. V. peccâſſet, iſta ignominia redundâſſet in Chriſtum.

Singularis affinitas cum Chriſto non patitur peccatum. Item ſingularis modus inhabitandi.

Argumenta D. Thomæ fortius urgent pro immunitate B. V. ab orig.

231

Digitized by Google

in Eremo apud Auguſt. ita ratiocinatur: *Quoniam pretium noſtræ redemptionis immaculatum eſſe debuerat, propterea* MARIA *Mater Chriſti electa eſt, & ſuper omnes creaturas præelecta, omnibus gratiis fœcunda, omnibus virtutibus ornata, omni ſanctitate in utero matris repleta; ut de mundiſſima Matre mundiſſimus naſceretur Filius. Quia ſicut in cœlo habuit Patrem immortalem, & æternum, ſic & in terrâ habuit matrem omni corruptione carentem. Igitur ſicut in cœlo qualis eſt Pater, talis eſt Filius; ſic & in terrâ, qualis eſt Mater, talis ſecundùm carnem eſt Filius. In cœlo cum Patre æternus, & immenſus, incorruptus & ſublimis eſt, & in terra cum matre immaculatus, & manſuetus.* Intellige hunc locum Authoris, ut ſupra expoſitum eſt: videlicèt, quòd Chriſtus ex proprietate ſeu vi divini ſuppoſiti, ac modo conceptionis novo, MARIA verò ex condecentia, & gratuita bonitate divina, ob merita paſſionis Chriſti prævisa, atque in hunc finem Patri cœleſti oblata, & ab eodem acceptata, omni corruptione careat. Vnde appoſitè Eucherius alloquens B. Virginem dixit: *Profundendum pro mundi vita ſanguinem de corpore tuo accepit, ac de te ſumpſit, quod etiam pro te ſolvat. A peccati enim veteris nexu per ſe non eſt immunis nec ipſa Mater Redemptoris.* Non minùs eleganter D. Ambroſius idem confirmat. *Non mirum*, ait, *ſi Dominus mundum redempturus divinam operationem ſuam inchoavit à Matre, ut per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore.* Ambroſium in Lucam ſequitur V. Beda item in Luc. Quocirca meritò D. Bernardinus Senenſ. MARIAM vocat *Primogenitam* Redemptoris filii ſui IESV, atque plus pro eâ redimendâ veniſſe dicit, quàm pro omni aliâ creaturâ.

Pretium redemptionis debuit eſſe immaculatum ideò & mater.

B. V. prima fructum ſalutis hauſit ex pignore, ideò primogenita.

Exhinc redditur inane argumentum, quod aliqui quandoque objecerunt; videlicèt ex aſſerta immaculatæ conceptionis B. Virginis ſententia præjudicium inferri amplitudini redemptionis Chriſti. Neque enim ut patet, excludimus Deiparam Virg. à beneficio redemptionis, ſed quia more ceterarum ex communi generis humani maſſa procedit, præſtantius tantùm redemptam volumus, nimirùm etiam à caſu, ſeu actuali obligatione ad caſum, ubi ceteri omnes poſt caſum redimuntur. De hoc redemptionis modo Gerſon in ſua Ioſephina ſic introducit Chriſtum de MARIA Matre teſtificantem. 132.

132. B. V. nobilius quam alii homines redemptor.

Et potui, & volui: redimens perfectius ipſam,
Præveniens caſum, quam ſit relevare jacentem.
Tota fuit pulchra, nulli umquam obnoxia culpæ:
Abſit, ut attritus ab ea ſerpens, caput ejus
Antea contrierit, peccati ſub pede fœdo:
Abſit, & ut fuerit jam membrum dæmonis umquam.

Digitized by Google

§. VI.

Concluſio pro immaculata Conceptione.

TAndem quo aliquid ſtatuamus circa præſentem materiam, dicit D. Auguſt. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, id ſcias feciſſe Deum, bonorum omnium Conditorem.* Atqui vera ratione nobis melius occurrit, nempe *Verbi* æterni, Matrem MARIAM nulla peccati labe in conceptu fuiſſe inquinatam, id ergo ſciamus, & credamus, & profiteamur feciſſe Deum. Vnde & hanc de B. Virginis mirâ conceptione ſubnectemus concluſionem:

BEATA VIRGO MARIA, Mater IESV, Dei Optimi, Maximi, *ab ipſo ortus conceptuſque ſui principio, ſemper ſancta, ſemper immaculata, renata priuſquam nata. Nec ante maternis excepta viſceribus, quàm à parentum communique hominum ſorte ac ſordibus libera; ut quam Heva filiam haberet, non fœdaret; ſed ex infecta naturæ maſſa, ceu ex ſpinis roſa, lux è nube, è nocte dies, ſole, nive purior prodiret.*

Pro concluſione noſtra ſtat univerſalis Eccleſia, Sancti Patres, & Scholæ omnes: confirmant Revelationes plurimæ, atteſtantur miracula non pauca. Iam ſingula Deo favente cum ſanctiſſima Matre demonſtrabo.

234 Dico Eccleſia, etſi nihil plenè circa Virginis Deiparæ Conceptionem definierit, multifariam tamen multiſque modis declarat verbo, opere, ſe partem tenere affirmantem *immunitatem ipſius à labe originali*, ut probabiliſſimam, & moraliter certam. *Eccleſia ſtat pro immaculata concept. B.V.*

Primò. Quid aliud feſtum Conceptionis, quod inſtituit, & obſervari mandat, inſinuat, niſi Beatam, ſemper Virginem MARIAM, non tantum ſanctè (ut omnes volunt) mundo editam; verùm etiam in corpore materno ſine rugâ, & maculâ originali feliciter conceptam? Præterea idem probant plurimæ, & magnæ indulgentiæ, quas plures Summi Pontifices in honorem Conceptionis Virgineæ conceſſerunt. Sixtus IV. celebrantibus Miſſam, vel recitantibus officium de immaculatâ Concept. magnum cumulum indulgentiarum conceſſit, eaſque ipſas, quas lucrantur ex conceſſionibus Vrbani IV. Clementis V. &c. qui interſunt officiis divinis in Feſto Sanctiſſimi Sacramenti, eaſdem poſtea Leo X. in Bulla, *Supra gregem Dominicum* an. 1517. confirmavit. Illud etiam officium conceſſit Sixtus V. recitari in perpetuum à Fratribus Minoribus per octavas Conceptionis, ad celebrandum, inquit, *puriſſimam Conceptionem.* Conſtitut. *Ineffabilia beatæ.* An. 1588. Leo X. Fratribus Minoribus præfatam Miſſam dicentibus, aliiſque tam Fratribus, quàm Monialibus eam audientibus, indulgentiam conceſſit plenariam, &c. Quis autem credat Eccleſiam à Spiritu S. directam indulgen-

Sixt. IV. Conc. Trid. Pius V. Greg. XV.

Argumenta 1. à feſto. & indulgentiis.

dulgentiarum muneribus honorare, aut feſtivare Conceptionem maculatam, turpem, fœtidam, abominabilem, Deoque exoſam, qualis omnium ceterorum eſt. Doctrina graviſſimorum Patrum eſt non celebrari feſtum qualecumque in Eccleſia, niſi pro aliqua re ſancta, nec alicujus Sancti nativitatem, mortem, aut quodcumque vitæ ejuſdem tempus, coli in Eccleſiâ, niſi ratione ſanctitatis pro tunc in eo exiſtentis, ita quod ipſo facto, quo Romana Sedes venerandum proponat quemcumque vitæ illius terminum, certò tenendum ſit, illum tunc nulli ſubjacuiſſe peccato. Hinc magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus rationem extraxit, quare D. Cypriani mors potius, quàm nativitas celebratur in Eccleſia, ideò videlicèt, quia illa fuit ſub gratiâ, hæc verò ſub peccato. Verba ejus ſunt: *Quid eſt hoc fratres? quando natus* (Cyprianus ſcilicèt) *ignoramus, & quia hodiè paſſus eſt, Natalem ejus hodiè celebramus: ſed illum diem non celebraremus, & ſi noſſemus; illo enim die traxit originale peccatum, iſto autem die, vicit omne peccatum.* Et inferiùs oſtendens nullam aliam eſſe rationem feſtivitatis præter ſanctitatem, addit: *Vnde nos celebraremus natalitia ejus, niſi eſſet pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus?* Quæ etiam fuit ratio D. Bernardi, & aliorum, ut dicerent Conceptionem Virginis non eſſe celebrandam, proptereà quòd in peccato factam judicaverint. Quod ut ſibi viſus eſt probare Bernardus, intulit: *Quænam jam erit ratio feſtivæ Conceptionis?* Quaſi doceat nullam aſſignari poſſe feſtivitatum Eccleſiæ rationem, niſi ſolam ſanctitatem; unde & conſequenter ipſe S. Ildephonſum Toletanum Antiſtitem imitatus, & utrumque D. Thomas ex eo colligunt ejuſdem Virginis nativitatem fuiſſe ſanctam, quia eam Eccleſia celebrabat, quaſi velint, & credant nullatenus Eccleſiam eamdem celebraturam eſſe, niſi judicaverit fuiſſe ſanctitate præclaram. *Non celebratur*, ait D. Thomas, *feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo Sancto.* Quod & univerſaliter de omnibus Sanctis, Sanctorum diebus feſtivis docuit D. Bonavent. *Statuta*, inquit, *univerſalis Eccleſiæ de Sanctorum celebritatibus omnia fundata ſunt ſuper ſanctitate, ut nullo die pro aliquo Sancto ſolemnizet in quo vel pro quo perſona ſancta non fuerit, cui honor ille defertur.* Quandoquidem ergo Eccleſia ſolemnizet Conceptionem B. Virginis, oportuit illam ſanctam fuiſſe. Hoc argumento utuntur omnes propugnatores Immacul. Concept. Virgin. placuit hìc aliquos in medium producere.

235. Eccleſia non celebrat feſtum, niſi de ſancto vel de ſanctitate.

Auguſt. Serm. 113. de S. Cyp. tom. 10.

D. Bern. Epiſt. 174.

D. Thom. 3. p. q. 27. art. 1.

Ex univerſali feſto Concept. B. V. colligunt eam Sanctam omnes ferè Doctores.

236. Primus ſit *Ioann. Eckius*, qui inter primos in Martinum Lutherum, & Bucerum, arma ſumpſit, & ei publicè reſtitit, cujus ſanctimoniæ non tenue aut obſcurum viget inter Germanos, & Belgas teſtimonium, qui ita in Homil. 2. hujus feſti ait ad populum: *Dilectiſſimi in Chriſto fratres, hic tam ſolemni*

Ioan. Eckius.

lemni

lemni feſtivitate per univerſam Eccleſiam Catholicam cum omni gaudio ſummaque alacritate exordium recolimus noſtræ ſalutis ; quando nobiliſſima anima MARIAE *creata, & ſanctiſſimo corpuſculo eſt infuſa citra omnem originalis peccati contagionem , quod nulli aliàs hominum contigit, niſi* MARIAE *& Chriſto Domino.*

Ludovicus Bloſius

Secundus ſit *Ludovicus Bloſius*, cujus virtutis , & vitæ religiosè tranſactæ non leve præbent indicium ejus opera , tantâ pietate referta. Hic inter cetera, quæ de hoc feſto , & opinione ſcribit , habet hæc; *Plerique ex antiquioribus Patribus dubitâſſe videbantur circa præſervationem Virginis* MARIAE *ab originali peccato , quum nondum feſtum ejuſdem Conceptionis in Eccleſia Romanâ celebraretur , módò verò in orbe Chriſtiano Catholici ſequuti ipſam Romanam Eccleſiam, (quæ omnium Eccleſiarum caput, & magiſtra eſt) feſtum illud olim receptum, alacri lætaque devotione celebrant , recolentes exordium noſtræ felicitatis , quando ſcilicèt nobiliſſima anima* MARIAE *à Deo creata , & ipſius ſanctiſſimo corpuſculo citra originalis culpæ contagionem infuſa fuit.*

Ioan. Trithemius.

Tertius *Ioann. Trithemius* Epiſt. 33 . ſcripta an. 1494. *Mihi viſum*, inquit, *eſt à S. Romana Eccleſia nullatenùs abhorrere puriſſimæ Conceptionis fidem , quam illa credit, & veneratur.* Et alibi: *Ego piam hanc de* MARIÆ *puriſſimâ Conceptione aſſertionem, & poſſum ſecuriùs admittere , quo me ſcio cum Eccleſia Romana ſentientem , non poſſe ullatenus errare.* Infra : MARIAM *ab originali ſorde præſervatam S. Romana ſentit Eccleſia.*

Trithem. in mirac. B. V. de Vrticeto c. 2.

Quibus verbis clarè oſtendit, quid de Romanæ Eccleſiæ cultu ſenſerit.

Laurent. Surius.

Quartus, *Laurentius Surius* ſedulò , & Chriſtiano zelo hominibus perſuadere conatur orthodoxis, ne pertinaces ſint in impugnandis rebus, quas certum eſt nihil officere pietati, *qualis eſt*, inquit, *opinio de immaculata ſanctiſſimæ Virginis Conceptione , quam videmus ab Eccleſia receptam.* Non aliundè verò magis receptam judicat ab eadem, quàm ex ſolemnitate, quâ eamdem colit Conceptionem.

237. Author manualis Prædicatorum.

Addam totidem Authores ex Ordine Prædicat. Primus ſit author illius libelli, *Manuale Prædicatorum* dicti, dum aſſerit, *totam ferè Eccleſiam aſſerere , quòd Virgo fuerit præſervata , & Eccleſiæ authoritati potiùs ſtandum eſſe, quàm cujuſcumque licèt eximii Doctoris*, quam Eccleſiæ authoritatem ex ejus cultu deſumpſit , & per quem eoſdem Prædicatores voluit à ſua ſententia removere.

Ioan. Viguerius.

2dus ſit *Ioan. Viguerius*, vir ſanè eruditus , qui poſtquàm ex authoritatibus S. Scripturæ hoc probavit Virginis privilegium , addit; *idem haberi maximè ex authoritate Eccleſiæ , quæ non poteſt errare :* Vbi tamquàm certam reputat Virginem à peccato originali fuiſſe immunem , quia Eccleſia , quæ in ſuo cultu omninò non poteſt errare, ita celebrabat.

Ambroſ. Catharinus tract. de Concept. ad Conc. Trid. p. 1. c. ult.

3us *Ambroſius Catharinus*, Compſæ Archiepiſc. qui datâ operâ largiſſimè , & doctiſſimè probat non ſanctificationem, vel inſtantia hæc moralia ſanctitatis,

Digitized by Google

tis, ſed Conceptionem ſanctam celebrari determinatum, & certò. Quòd & in cap. 3. controverſiæ exortæ inter cives Senenſes, & Prædicatores, ad finem ulteriùs probat, & celebrationem hanc eſſe de Conceptione immaculatâ, ſicut de verâ, & determinatâ, adnectens, *nihil ſtultius, imò periculoſius eſſe, quàm celebrare non ſolùm de re dubiâ, ſed etiam de re, quam quis exiſtimat eſſe dubiam, & ita non adorari Deum in ſpiritu, & veritate, ſed in dubietate.*

Vincentius Iuſtinian. in addit. ad vitam Beltram. §. 3.

Vincentius Iuſtinianus, ex profeſſo probat, ita intelligi hoc feſtum, & ex Eccleſiæ manifeſto ſenſu in hac ſolemnitate deducit indubitanter Virginem fuiſſe abſque originali macula conceptam. Sò *Bartholomeus à Medina*, olim apud Salmanticenſ. primarius Theol. Profeſſor, qui dum negativam ſententiam judicavit ſatis probabilem, voluit etiam reſpondere ad argumenta pro affirmativa à ſe adducta, ad quorum 3. deſumptum ab authoritate, & multitudine Doctorum, ait: *Ad tertium Reſponſ. quòd omnes Doctores Sancti & Catholici plus adhærent determinationi Eccleſiæ, & approbationi ejus, quàm proprio ſenſui, cùm ergo Eccleſia nunc approbet, conſequens eſt, quòd ſi nunc Sancti vixiſſent, mutâſſent ſententiam.* In quibus verbis innuit determinationem, & approbationem Eccleſiæ (non alibi expreſſius quàm in cultu, & officio divino) negativam ſententiam & præſervationem Virginis ab origiali expreſsè atteſtari. Ita etiam alii non pauci Prædicatorii Ordinis ac omnes in univerſum ferè Doctores (ut moleſtior non appaream) intelligunt, & colunt ſolemnitatem Concept. Virgin. & pro opinione Conceptionis immaculatæ ex eâ deducunt argumentum, ut nullus ferè ſit ex eis, qui eamdem tueantur opinionem (quos ferè omnes eſſe conſtat, exceptis quibuſdam Patribus Dominicanis) qui vel leviter de hoc dubitaverit.

Bartholom. à Medina.

§. VII.

Idem feſti ſenſus comprobatur Sixti IV. *Conſtitutionibus.*

Per ſequentes aliquot paragraphos probabimus non ſanctificationem ut ſic, aut ſpiritualem Conceptionem, ſed veram naturalem, ac humanam, ſeu corporis, & animæ unionem, in ipſo primo inſtanti in gratia factam ab Eccleſia celebrari, & incipiemus ab ipſis Sixti IV. Conſtitutionibus, 238.

2. Argum. à Conſtitut. Sixti IV. deſumptum pro immac. Concept.

Sixtus IV. quorumdam in Italia adverſariorum ſiniſtras hujus feſti interpretationes tolli volens è medio, auctoritate, & litteris Apoſtolicis, & ſub graviſſimis verbis illius diplomatis, *Cum præexcelſa* (quod ad majorem auctoritatem tam ſui, quàm officii in eo inſtituti, repoſitum eſt in Corpore Iuris, tit. de Reliq. & Venerat. Sanctorum) obtulit recitandum, indulgentiis ſuperadditis, officium ac Miſſam propriam Conceptionis, in quibus expreſſa videretur ab omnibus in-

Officium feſti Conc. à Sixto IV. univerſali Eccl. traditum nil ſonat niſi Concept. immac.

tentio ipſius Eccleſiæ, & fidelium hoc feſtum celebrantium, ut jam nullatenus de ea poſſit dubitari. Et certè ſi officium hoc ipſum & miſſa, quæ per centum vel circiter annos in Eccleſia decantata ſunt, & adhuc apud quoſdam, mutatis quibuſdam, particulares perſeverant, conſulantur, & ſine paſſione liberè judicare liceat, videbitur ita expreſsè in Oratione, Invitatorio, Reſponſoriis, Antiphonis, Officii, & Miſſæ Collectis, præſervationem Virginis à peccato celebrari, ut nullus circa hanc rem remanere queat ſcrupulus. Nam in ipſo introitu ſeu principio ipſius officii in primis Veſperis, hæ ſunt primæ Antiphonæ; *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias Adæ, & Tota pulchra es* MARIA *& macula originalis non eſt in te.* Quæ verba in fine octavæ lectionis ejuſdem Nogaroli officii repetuntur, & in oratione quæ per omnes horas, & in miſſa cantatur, expreſsè dicitur: *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem &c. eam, ex morte filii ſui prævisa, ab omni labe præſervâſti:* Quaſi enim Sanctiſſimus Pontifex ſuam expreſſius voluerit declarare intentionem, illam originalem maculam, quam in 2. antiphona eam negavit contraxiſſe, & omnem aliam labem procul ab eadem ſanctiſſima Virgine removendo, dicit Dominus eam ab omni labe præſervâſſe, originali ſcilicet & actuali; quorum utrumque ſimul ab ea etiam expreſsè ablegavit in 5. Antiphona ſecundarum Veſperarum, dicens: *Hæc eſt virga in quâ nec nodus originalis, nec cortex actualu culpæ fuit.* Et ut alia pleraque ejuſdem officii hoc idem teſtantia omittamus, ipſa verba invitatoria, ſeu invitantia ad feſti jubilum, ad quid invitent, declarant. *Immaculatam* (hæc ſunt) *Conceptionem Virginis* MARIÆ *celebremus.* Quibus verbis non convocantur fideles ad conceptionem moraliter immaculatam, ſive in primo ſive in ſecundo inſtanti, ſed in omnibus & ſingulis momentis ſanctam: quippe quæ non fuerit ſanctificatio à contracto, ſed præſervatio à contrahendo peccato. Vnde & ad Chriſtum MARIÆ Filium, qui eam ita præſervavit, adorandum & collaudandum fideles invitantur. *Chriſtum* (inquit altera Invitatorii pars) *ejus præſervatorem adoremus Dominum.* Præſervatorem à contrahendo, non liberatorem à contracto, Chriſtum, qui Virginem præſervavit à macula, non qui ſanctificavit infectam, adorandum volunt hæc verba. Quibus & ejuſmodi aliis creberrimis verbis totum fermè officium reſperſum eſt, ita ut evidentiſſimè pateat feſtū Præſervationis ab originali peccato celebrari. Huic tam apertæ veritati, non defuerunt, præſertim in partibus Lombardiæ, qui ſe opponerent, & vellent, non ſine magnâ & feſti & Pontificis injuriâ, violenter interpretari, & in contrarium explicare ea, quæ nullam admittebant explicationem. Inſuper ex ſuis ſi-

nuoſis

B. V. ſicut lilium inter ſpinas.

B. V. concepta ſine nodo orig. culpæ

Eccleſia invitat ad Concept. immacul. colend.

Chriſtus B. V. præſervator.

Digitized by Google

nuoſis, & temerariis commentis inferentes non præſervationem Virginis à peccato, ſed ſanctificationem à labe contracta; non Conceptionem naturalem in ſanctitate factam, ſed ſpiritualem, quâ à peccato contracto ſanctificata eſt, celebrari, & qui aliter faciebat, vel faciendũ docebat, aut prædicabat, hæreſim, & mortale crimen incurriſſe aiebant. His temerariis auſibus, & erroneis aſſertionibus obviare volens idem Pontifex, alias Pontificias dedit litteras ann. Domini 1482. incipientes, *Grave nimis*. In quibus ſpeciatim illos Longobardos Prædicatores vehementer increpavit, eorumque aſſertiones, ut erroneas condemnavit, & explicitè docuit, non aliam Conceptionem ſpiritualem, quàm præſervationem à peccato originali celebrari ab Eccleſia, ſub his verbis: *Aſſertiones illorum, qui affirmare præſumerent Sanctam Romanam Eccleſiam de ſpirituali dumtaxàt Conceptione, & ſanctificatione ejuſdem Virginis glorioſæ feſtum celebrare; & eos, qui crederent, & tenerent eamdem Dei Genitricem, ab originalis peccati maculâ in ſuâ Conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore, utpote falſas & erroneas, ac à veritate alienas, auctoritate Apoſtolicâ reprobamus, & damnamus.* Hujus Bullæ meminit Emman. Rodericus tom. 1. q. regul. q. 57, art. 1, & in ſuâ benè authenticâ Bullarum ſub Sixto IV. Bulla 17. Waddingus in Annal. Min. an. 1482.

Dicere Eccleſiam in feſto Concept. celebrare ſpiritalem B. V. Conceptionem, Papa dicit eſſe aſſertionem falſam & erroneam.

240. Idem Pontifex aliam Extravagantem communem (quæ habetur in Corp. Iuris) dedit an. 1483. *in favorem*, inquit Cajetanus, *opinionis de præſervatione à macula originali*. Adverſarii etenim jam relatas aſſertiones erroneas inculcare non omittebant, dicentes, peccare mortaliter eos, qui officium ſic intellectum recitabant, aut feſtum, in ſenſu præſervationis à peccato, celebrabant, imò & hæreticos eſſe, & reatum incurrere mortalẽ, eos, qui prædicatores, Virginem ſine peccato originali conceptam fuiſſe docentes, audiebant. Quas aſſertiones eâdem cenſurâ, quâ ſuperiores, datâ per univerſum orbem communi hâc Extravaganti, damnavit Pontifex, & Conſtitutionem illam priorem, quæ ſpecialis erat pro Longobardis ad omnes extendit, in ea propoſitiones illas falſas, & erroneas, ac à veritate alienas eſſe decernens, non aliam aſſignans rationem, quàm, quòd *Romana Eccleſia de intemeratæ ſemper Virginis* Mariæ *Conceptione feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc officium ordinaverit*. Reprehendit ergo eos, ac condemnat eorum aſſertiones, quia condemnabant pro hæreſi, quòd Eccleſia celebrabat, & eos, qui illud, quod Eccleſia ſuo cultu profitebatur celebrabant, hæreticos dicebant, ex eo quòd hæreticum putabant dicere Virginem ſine peccato conceptam fuiſſe; unde conſequenter ac immediatè inferre neceſſe erat, Eccleſiam in ſuo cultu hæreſim amplexatam fuiſſe, cam-

eamque fidelibus in ſuis feſtivitatibus propinâſſe. Refert eorum propoſitiones, quibus expreſsè condemnant defendentes immunitatem Virginis à peccato originali, ac eamdem celebrantes, & his opponit Eccleſiæ feſtivitatem, propter quam judicavit Sanctiſſimus Pontifex abſtinendum ab hujuſmodi aſſertionibus, & illis ſufficere debuiſſe, videre Eccleſiaſticum de Conceptione immaculata cultum, ad hoc ut abhorrerent & vererentur ſimile quid proferre. Aliter namque ſi in hoc ſenſu non celebraretur, ex Conceptionis feſto, & Eccleſiaſtico cultu futiliter & inefficaciter argumentaretur ſapientiſſimus & doctrinâ ſpectatiſſimus Paſtor, dum facilè reſpondere potuiſſent adverſarii, ſe nihil contra Eccleſiæ cultum dixiſſe, quippe quæ non præſervationem Virginis à culpâ, ſed ſanctificationem ab eadem celebrabat, ſeque proinde nihil, quod eidem derogaret, affirmâſſe. At omnem hujuſmodi evadendi viam præclufit Pontifex, dum ex Eccleſiæ ritu, & ex eo quòd feſtum Conceptionis inſtituerit, propoſitiones illas adeò ſeverè rejecerit, ut non ſolùm falſas, ſed erroneas nuncupaverit. Nihil autem apud Theologos erroneum dicitur, quod aliquo modo ſaltem indirectè, aut mediatè, alicui non opponatur fidei principio. Illud verò apud verè Catholicos ſatis notiſſimum eſt, & indubitanter pro fidei articulo receptum, Deum ſemper ſuæ Eccleſiæ aſſiſtere, nec eam aliquando permiſiſſe, aut in æternum permiſſurum, in ſuis definitionibus, aut in communi, & univerſali ſuo cultu hæreſim amplecti, vel errorem. Propoſitiones illæ huic non immediatè opponuntur, non enim expreſsè & datâ operâ hanc negant veritatem, ſed aliud affirmant, ex quo conſequenter & mediatè veritas illa erat neganda. Affirmat Pontifex Eccleſiam Romanam ordinâſſe feſtum Conceptionis, idemque celebrâſſe, ſeque de eadem officium (in quo expreſsè ſenſus feſti habetur) inſtituiſſe. Aiunt harum propoſitionum aſſertores officium in hoc ſenſu dicere, aut feſtum, in ſenſu præſervationis à peccato, celebrare, hæreſim eſſe, & crimen mortale; hoc erroneum eſſe definit Pontifex, quia ſtatim per immediatam conſequentiam ſequebatur Eccleſiam in communi cultu ſuo hæreſim colere, & hinc inferre neceſſe erat, Deum ſecundùm datam fidem & promiſſum Eccleſiæ factum, non ſemper & infallibiliter eidem aſſiſtere; Quæ omnia non aliter inferebantur, quàm ex primo & unico illo aſſumpto, quod ad ſuæ illationis fundamentum propoſuit Pontifex, videlicet, quòd Eccleſia Romana de conceptione immaculatâ feſtum celebraverit, & proprium de eadem Conceptione officium ordinaverit, quod officium immaculatæ Conceptionis celebrare, aut recitare, hæreſim vel peccatum mortale eſſe dicebant adverſarii. Ex quo liquidiſſimè conſtat, quid Ec-

Digitized by Google

cleſia in hoc feſto celebraverit.

Vlterius & non obſcurius; cùm dixerit in eadem extrav. Pontifex, ſpeciale ac proprium ſe ordinâſſe ac inſtituiſſe recitandum de Virg. Conceptione officium; illud videlicet Leonardi de Nogarolis tantis propoſitis indulgentiis, ut à populo Chriſtiano libentius frequentaretur, in quo paſſim (ut adverti) manifeſtiſſimè hic Eccleſiæ ſenſus propalatur, ſtatim hoc idem oſtendit eſſe officium, quod ab adverſariis impugnatur, dum refert eos dixiſſe mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos celebrantes officium non Sanctificationis ſeu Conceptionis utcumque, ſed *immaculatæ*, inquit, *Conceptionis*, quam propoſitionem reaſſumens inferius, condemnat eos, qui tali cenſurâ damnant *recitantes* hujuſmodi *officium Conceptionis*, videlicet *immaculatæ, Conceptionis ſanctæ, & à peccatis præſervatæ*, quod (ut ipſe dixit in principio Bullæ ejuſdem) *ſpeciale ac proprium Eccleſia de hoc feſto ordinavit*: evidenter ergo jam patet quid inſtituerit Eccleſia celebrandum, & quis ſit Eccleſiæ ſenſus in hoc feſto celebrando.

§. VIII.

Idem confirmatur ex Concilii Tridentini declaratione.

242. 3. Argument. eccl. pro immacul. Conception.

CORroborat non parum argumentum hoc illa Concilii Trid. declaratio, quâ cautiſſimè doceri & ſciri voluit ſe noluiſſe comprehendere Virginem MARIAM ſub illo univerſaliſſimo & ineffragabili decreto de peccato originali, & ulterius Sixtinas Conſtitutiones ſub pœnis in eis contentis obſervandas eſſe decrevit. Nam ſi paulò accuratius eius verba expendantur & diligentius obſerventur, quando vel quâ occaſione ea protulerit, ex mente ipſius ejuſdem Concilii, videbitur non aliud quàm præſervationem ab originali in primo inſtanti in feſto Conceptionis MARIÆ celebrari. Cùm etenim ſtatuiſſet pro fidei articulo ab omnibus credendo, nullum ex Adam per naturalem propagationem deſcendere, qui in primo inſtanti ſuæ animationis originale non contrahat, tunc meminit B. Virginis, illamq́ ſub gravi illo jugo & miſeria protoplaſti parentis non audet comprehendere; ſed obſervare in hac re jubet Sixti Conſtitutiones, in quarum una feſtum Conceptionis jam in Eccleſia, antiquâ conſuetudine receptum, promovet, & officium in quo ſenſus feſti exprimatur, inſtituit: in altera graviter invehitur in eos, qui feſtum hoc vel officium condemnant. Vnde cùm illo eodem tempore, quo de neceſſaria contractione originalis in primo inſtanti Conceptionis agit; circa controverſiam de Virginis MARIÆ Conceptione recurrendum dicat ad Sixti Conſtitutiones, eas voluit propriè, & in terminis difficultatis, quam derimebat, intelligendas, & per eas declarari, quid circa eamdem Virginis Conceptionem erat cenſendum. Quaſi dicat,

Conc. Trid. in decreto. ubi de peccato originali agitur, dicit ſe non includere B. V.

dicat, quando omnes homines in ipſa ſui animatione, & vera Conceptione, peccato infici decerno, nolo MARIAM ſub hac univerſali regula comprehendere. Recurrendum erit ad Sixti Conſtitutiones, quæ quid in MARIÆ Conceptione, vel animæ infuſione, de qua modo tractatur, acciderit, non obſcurè docebunt, dum ad immaculatæ Conceptionis feſtum & officium omnes invitant. Aliàs enim impropria eſſet declaratio generalis regulæ, ſi queſtio de Virgine in illis extravag. diverſi temporis caſum contineret, ab eo quem univerſalis continebat regula, maximè dum acceptâ occaſione ex illo univerſali decreto iſtas innovat, eaſque obſervari præcipit ſub pœnis in eis contentis; quod nihil aliud eſt, quàm idem ipſum, quod Sixtus in hac re ſtatuerat, denuò præcipere. At quid Sixtus ordinaverit, & decreverit jam ſatis ſuperque vidimus ex verbis ejus ſupra citatis, in quibus proprium & ſpeciale ſub manifeſto ſenſu (ut ſupra oſtendi) officium toti propoſuit & ordinavit Eccleſiæ recitandum, in feſto Conceptionis MARIÆ, & ſub graviſſimis pœnis prohibuit huic feſto vel officio contradicere, vel opinionem eorum, qui eam ab univerſali decreto excipiunt, condemnare; ſatis certè expreſſum, ſi intimius penetretur, pro expreſſo iſto ſenſu Concilium protulit judicium.

243. Conc. Trident. in feſto Conceptionis B. V. uſum eſt officio & miſſa Sixti IV. uti hodiè utuntur Franciſcani.

Vrgetur hoc argumentum ex eo quòd illo tempore quo Concilium Tridentinum dictam adhibuit declarationem univerſali Decreto, Catholica & ſancta Eccleſia Romana celebrabat feſtum Conceptionis naturalis, gratiâ divinâ ab originali labe præſervatæ: nam eodem officio & miſsâ utebatur in feſto immaculatæ Conceptionis, quibus nunc cum aliis utitur Religio S. Franciſci, & quæ à Sixto IV. approbata, in libris ritualibus Romanis illius temporis excuſa, ab omnibus recitabantur. Cùm ergo Concilii Patres in eâdem ſolemnitate Concept. hâc ipsâ miſsâ uſi ſint, & Extrav. Sixti in qua miſſam *Egredimini* à magiſtro Leonardo Nogarolo concinatâ ſimul & officium propoſuit recitanda, innovaverint, manifeſtum eſt voluiſſe eos & intellexiſſe feſtum in hoc ſenſu celebrari, dum ille tam expreſsè pateat, & manifeſtè declaretur in officio, quo tunc utebantur, & ſecundùm Sixti conſtitutionis tenorem frequentandum volebant.

§. IX.

Miracula pro adſtruenda immaculata Virg. Conceptione.

SEcundùm doctrinam Scoti in prolog. Sentent. 1. q. 3. Miracula præcipuè à Deo fiunt ad inducendum homines ut credant ea, quæ credere tenentur, vel certitudinem eorum habeant, ad quorum notitiam pervenire non poterant: hujuſmodi verò fuit qualitas Conceptionis Deiparæ Virginis, quæ etſi non ſit de fide, de illius tamen immuni-

Digitized by Google

munitate ab origin. peccato certa ſcientia haberi non potuit, niſi per revelationem, aut per miracula. Miracula verò cùm non fiant niſi vel à Deo, vel virtute Dei, ut oſtendit Auguſt. de utilit. credendi propè fin. ideo quando miracula fiunt in teſtimonium alicujus rei, certiſſimum eſt ita eſſe; quia Deus non poteſt eſſe teſtis falſitatis, ut demonſtrat Scotus ſupra. Sed ad confirmationem innocentiæ Virginalis multa coruſcavêre miracula, ergò pro certo tenenda B. V. innocentia origin. ſive quòd ſine origin. peccato concepta ſit, & gratia divina Conceptioni Virginis coæva. De miraculis patratis pro veritate immacul. Concept. legendi Ioann. Vitalis in Defenſorio B. V. Ioann. Carthagena de Concept B. V. Pelbartus in ſuo Stellario l. 4. p. 2. a. 3. Spinellus de Deip. Bernardinus de Buſtis in marial. de Concept. B. V. ſerm. 7. 8. 9. & in offic. immac. Concept.

Inſignis Doctor, Ioann. Americius in ſerm. Concept. B.V. quem coram ſacro Concilio Trident. habuit, refert plures Concionatores in graves morbos incidiſſe, alios mortem obiiſſe, quia contra immaculatam Virginis Conceptionem fuerant concionati: vide Carthagenam ſupra.

Bernardinus de Buſto ſerm. 7. de Concept. B. V. p. 2. In civitate Mantuæ, inquit, quidam frater cujuſdam Ordinis, cùm inſtituiſſet facere prædicationem, & probare quòd B. Virgo concepta fuit in origin. peccato, & hoc coram Marchione prædictæ civitatis, ac frequenti populo, atque etiam ad hanc viros doctiſſimos invitâſſet; horâ competenti aſcendit in eminentem locum cum fratribus ſuis, multis circumdatus libris. Cùm verò vellet arguere contra Virg. puram Concept. ipſa benedicta Virgo mutavit verba in ore illius; unde dixit ad populum: Propono vobis iſtam veram concluſionem, quòd B. V. Maria concepta fuit ſine peccato origin. Cùm autem eum ſui fratres redarguerent, dicentes, quòd malè loquebatur: ille reſpondit, nunc emendabo quæ dixi, & cùm vellet dicere contra Virginis Conceptionem, ipſa Virgo iterum coëgit eum, ut annunciaret innocentiam ejus, quòd diceret quòd fratres minores ſunt devoti ipſius B. Virg. & ſic pluribus vicibus cùm ille incitatus à fratribus ſuis vellet attentare loqui contra Virginis Conceptionem, nunquam potuit aliud dicere, niſi quòd B. Virgo ſine origin. peccato fuit concepta.

Idem ſupra conſequenter narrat, quod in alia civitate Italiæ à non multis elapſis annis, quidam magnus prædicator Ioannes de Viterbio impugnans Concept. immac. B. V. infirmitatem lethalem contraxerit; deinde quòd facto voto ad B. V. revocandi aſſerta priora, ac deinceps propugnandi puritatem Virginis, ejuſque Conceptionis feſtum celebrandi, priſtinæ ſanitati, medicis mirantibus, reſtitutus;

tus;

Digitized by Google

tus ſit, ac proinde votis ſatisfecit, ob quod graves in Ordine ſuo paſſus eſt perſecutiones, minas, carceres. Nihilominus perſtitit in aſſertione omnimodæ puritatis Deiparæ, edito de eadem tractatu, in quo affirmat, Divi quoque Thomæ Aquini nec non veri Ordinis Prædicatorum ſententiam fuiſſe, Virginem pro nullo inſtanti ſubjacuiſſe iræ Dei & caligini animæ; item aſſerit quòd Chriſtus maluerit homines de ſuo ortu dubitare, quàm de matris ſuæ ſacroſanctæ honore, ac famâ.

Idem ſupr. ſerm. 7. p. 2. Prope ait civitatem Mediolani à paucis annis citra miraculum evenit. Cùm enim quidam nobilis B. Virginem ſine peccato originali conceptam diceret, frater quidam Ordinis cujuſdam illius opinionem valdè pertinaciter impugnabat, quapropter nobilis ille, Virgini devotus, indignatus quòd ille frater contra puritatem Matris Dei obloqueretur, dicit ei: Rogo Deum ut faciat judicium inter me & vos. Mirabile dictu! cùm iſte nobilis per multos menſes febrem ethicam paſſus eſſet, quæ eum continuò valdè affligebat, ſtatim hoc dicto perfectè liberatus eſt; ipſum verò virgineæ puritatis adverſarium febris invaſit, quæ eum per multos menſes afflixit, & hoc mihi narravit nobilis prædictus (ait Buſtus) qui appellatur Dominus Franciſcus de Coriis.

Idem ſupra. Retulit mihi quoque Religioſus quidam, quòd in terra quadam Italiæ, dum inter duos Prædicatores eſſet contentio de Conceptione Virginis, quorum unus aſſerebat illam fuiſſe peccato maculatam; alter verò Ordinis minorum, affirmabat ipſam immaculatam. Tandem etiam inter mulieres exorta eſt altercatio. Cùm autem quædam mantellata habitu Ord. illius fratris impugnantis Conceptionem Matris Dei, pertinaciter tenere vellet contra Virginis Conceptionem, una devota mulier tertii Ordinis B. Franciſci dixit ei, accendatur ignis magnus, & ambo introeamus in illum, & quæ ex nobis combuſta fuerit, falſæ opinionis fuiſſe comprobetur. Cùm ergo ſermo ille alteri placuiſſet: utraque ignem ingreſſa eſt, illa autem mantellata ſtatim concremata eſt: ipsâ tertii Ordinis noſtri muliere in prædicto igne illæſa manente.

Idem. Stupendum miraculum, quod in Alemania accidit inter 144. ubi dum quidam frater Ordinis cujuſdam contra Conceptionem Virginis poſt prandium prædicâſſet, imprecans Deum, quòd ſi verum non dixerat, affirmando Dei Genitricem in peccato origin. conceptam, faceret eum eâdem die malâ morte perire. Finito ſermone ad dicendum veſperas cum aliis fratribus chorum intravit, ſtatimque lupus maximus adfuit, qui intrans eccleſiam totum chorum tribus vicibus circumgyravit, omnes illos fratres horribilibus oculis aſpiciens. Deinde

inde facto impetu magno illum prædicatorem invaſit, & in præſentia omnium ſuffocavit, & interfecit, & Eccleſiam exiens numquam amplius comparuit. Buſtus in mar. ſerm. 7. p. 2. paulò poſt init.

Idem. In regno Hungariæ quidam in Theologia magiſter contra Virginis intractæ Conceptionem coram Rege prædicavit illam ſanctificatam, & aſſerens non ſine macula fuiſſe conceptam. Qui talibus irreverenter dictis, audaciæ ſuæ pœnas perferens, protinus expiravit. Buſtus in offic. Concept. B. V. 3. die lect. 5. qui in eodem officio 4. die lect. 4. ait, quòd in Tholoſa quidam diſertiſſimus frater contra immaculatæ Virginis puritatem, in negatæ teſtimonium veritatis ſtatim finitâ prædicatione, quidam ex inſperato lupus adveniens, eum ſuffocando ac dilacerando occidit.

Idem in præfato officio 1. die, lect. 5. poſtquam lect. 4. retulit Scotum in civitate Pariſienſi obmuteſcere feciſſe adverſarios, ac proinde Scotum victorem pro immaculata Conceptione adſtruenda, Doctorem Subtilem appellatum ſubjungit. Eâdem etiam in civitate Sacerdotes erant quidam, Dominæ noſtræ innocentiam non credentes: qui, ut ſuam melius opinionem populis intimarent, quemdam nobilem virum, eorum communicantem operibus, obſecrârunt, ut pro confirmando ipſorum ſententia, poſtquam ſe aliquamdiu finxiſſet infirmum, mori poſtremò ſimulans, ad eorum Eccleſiam, quaſi pro ſepultura magno cum apparatu turbis comitantibus faceret deportari, depoſitoque in medio Eccleſiæ feretro, ſecundùm patriæ morem, unus ad populum peroraret: ad medium verò ſermonis veniens, ſic illi, qui mortuus videretur, ex parte omnipotentis Dei præciperet, ut ſi B. Virgo MARIA originali fuerat vitio maculata, protinus à mortuis rediret ad vitam. Præbuit aſſenſum nobilis prædictus ſuggeſtionibus iniquis, omnibuſque, juxta quod ordinatum fuerat, peractis, innumeris ferè Scholaribus, civibuſque, ac diverſorum Ordinum Fratribus ad exequias convocatis, prædictus Sacerdos nobilem illum per Dei virtutem ac potentiam conjuravit, præcepitque, ut ſi glorioſa Dei Genitrix originalem contraxerat maculam, protinùs evigilaret à mortuis. Dum autem iteratis juſſionibus ſæpius præcepta repeteret, nobilis ille immobilis perſiſtebat, qua de re mirum in modum admiratus preſbyter, cum ſequacibus ſuis intremuit. Conjux verò ſimulatoris illius tam nefandæ non inſcia fraudis, cùm uſque ad Eccleſiam ſuum virum comitata, dolorem lacrimis ſimulans, perveniſſet, illum poſt Sacerdotis juſſa videns immobilem, pertimuit B. Virginem mariti ſui malignam fictionem debitis mulctâſſe ſuppliciis, illicò ad feretrum currens invenit virum ſuum mortuum, qui vivus fuerat in Eccleſiam lect. 6.

deportatus. Propter quod magno ejulatu exclamans, talibus Sacerdotem convitiis impetiit. O ſceleratiſſime virum meum occidiſti. Omnibus igitur fraudibus adſtantibus per ordinem enarratis, mulier illa conjuge orbata lacrimans receſſit. Sicque glorioſa Virgo puritatem & integritatem ſuam hoc inſigni miraculo cum maxima adverſariorum confuſione demonſtravit. Sic in officio Buſti de B.V. quod Sixtus IV. PP. legit & approbavit, indulſitque ut recitari poſſet ab iis qui vellent.

Idem Buſtus in Mar. Serm. 9. p. 3. in civitate Mantuæ tempore illuſtris Marchionis Ludovici, Religioſus quidam prædicti Marchionis confeſſarius rogavit ipſum, ut Conceptionis B. V. feſtum, de libro feſtorum (quæ obſervantur in illa civitate) faceret deleri, cui ille reſpondit, ſe hoc facere nolle; quia hoc feſtum erat à ſuis prædeceſſoribus inſtitutum; tunc ille confeſſarius rogavit eum, ut ipſum permitteret dictum feſtum cancellare. Quo ex tædio permittènte, ille confeſſarius cancellato Conceptionis feſto, ad ſuum reverſus monaſterium mortuus eſt ſine lingua. Meruit enim illam linguam amittere, quâ B. V. Conceptionem præſumpſit impugnare. Circa finèm autem hujus ſerm. miracula ait, hìc poſita, aut ipſe propriis oculis vidi, aut à fide dignis narrata, vel ſcrpta, recitavi.

Pelbartus in Stellario l.4.p.2.art. 3. refert de fratre, quòd habitâ Toloſæ ad populum concione de maculata Conceptione, acceſſerit ad celebrandam miſſam in altari S. Michaelis, ubi pulchra Imago B. V. Mariæ erat ſculpta in lapide marmoreo, illa, velut irâ percita, vultum ſuum retro convertit. In cujus rei memoriam uſque in hodiernam diem in noſtro Conventu Toloſano facie retrò converſa perſeverat illa Imago. Quo miraculo ſtupefactus frater ille, & cæcus factus, continuò votum emiſit revocandi quæ dixerat, & ex Virginis clementia ſanatus eſt.

Franciſcus Mayro, Doctor Illuminatus, ſerm. de Concept B. V. refert quòd in civitate Pariſienſi quidam S. Theologiæ magiſter cùm deberet in Conceptionis die ſermocinari, & in mane vellet prædicare B. Virginem in pecc. origin. conceptam fuiſſe: nocte ſibi ſtudenti apparuit turba Sanctorum Doctorum, ſimul & Angelorum, & ſedes parata eſt, ſuper quam ſedit nobilis Regina, quæ miſit pro illo magiſtro, dicens: O magiſter, quid ego unquam tibi feci, quod hoc mane vis contra meum honorem prædicare, & juſſit eum flagellari. Quo facto genuflexus veniam poſtulabat. Tunc B. Virgo dixit Angelo Gabrieli: vade & doce illum ſermonem, quem manifaciat Vniverſitati Parienſi. Cui Gabriel ait: aperi os tuum, & implebo illud. Statim ergo magiſter ſenſit in corde ſuo ſermonem pulcherrimum, in quo demonſtrabatur, quòd Regina cœli concepta fuit

Digitized by Google

ta fuit ſine peccato orig. & illum prædicavit populo Pariſienſi mane ſequenti.

Oroſius in epiſt. ad Heliodorum ait; Coram Deo novi, & in veritate comperi, quòd nulla mulier in partu periclitatur, ſuper quam devotè MARIÆ gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur. Hæc ille apud Buſt. ſerm. de Concept. B. V.

apud Rodriguem tract. de virtut.

P. Ioannes Avila Soc. IESV, & vir inſignis ſanctitatis & prudentiæ narravit, quòd plures, cùm impucitiæ vitio tenerentur captivi, à Deo propter pium affectum ad Virginis Conceptionem, & Annunciationem, caſtitatem obtinuiſſe.

Memoriæ prodidit Antonius Salarius Carpinas lib. de invocat. SS. & venerat. decreto Ordinis univerſi Cœleſtinorum octavam celebrandi feſti Conceptionis inſtitutam eſſe, agente & procurante Nicolao Pratenſe ex eodem ordine, viro religioſo, ac Deiparæ ſtudioſiſſimo, qui cùm id impetrâſſet, præ lætitia hortum ingreſſus roſam omnium, quas ibi viderat, pulcherrimam coram ac Deiparæ imagine venerabundus repoſuit, illis verbis: Mater, ſi tibi gratum fuit, quod noſter Ordo de octava tuæ immaculatæ Conceptionis me agente conſtituit, roſa hæc rubicunda, quam tibi offero, vertente anno, recurrente hoc ipſo die, viriditatem, ſuamque pulchritudinem conſervet: quod & factum eſt, multis videntibus, ejuſque integritatem formoſitatemque mirantibus, à cujus appoſitione, dies ille anniverſarius erat. Hæc Antonius ab iis, qui miraculo interfuerunt, accepta, litteris conſignavit. Spinell. de Deip. tract. de feſt. fol. 710.

Tempore Blanchorum cum Mediolani eſſet maxima peſtis, fecerunt Mediolanenſes votum B. Virgini, quòd ſi eos liberaret feſtum ſuæ immaculatæ Conceptionis celebrarent. Quo emiſſo voto à dicta peſte liberati ſunt. Buſtus ſerm. 9. Mar. p. 1. ubi etiam aſſerit primum Ducem Mediolanenſium tam præclarum dominium conſecutum ob devotionem habitam erga immaculatam Conceptionem, quam ſuggeſſerat illi Petrus de Candia, qui poſteà fuit ſummus Pontifex, Alexander V. Buſtus ibidem enarrat de Rege catholico Fernando, quòd cùm per multos annos elaborâſſet pro capienda inclyta, & inexpugnabili Vrbe Granatenſi, tandem ad puriſſimæ Virginis adjutorium fugiens, vovit cum Sereniſſima conſorte Iſebella, ſi eis de prædicta urbe victoriam præſtaret, primum civitatis illius templum ad honorem ſuæ immaculatæ Conceptionis conſecrandum; hoc emiſſo voto glorioſam de hoſtibus victoriam reportârunt, urbe interceptâ anno 1442. votumque Deo & matri ſolemniter cum gratiarum actione perſolverunt.

Buſtus in officio immaculatæ conceptionis 3. die lect. 6. In Ducatu Sabaudienſi juxta montem

tem S. Bernardi frater quidam, videns mulieres ad Conceptionis prædicationem pergentes, increpavit eas, dicens, puriſſimam Virginem non fuiſſe à dilecto filio præſervatam; addiditque ſi non ita eſt, hoc in me obſecro à B. Virgine fieri miraculum, ut ante veſperas emittam ſpiritum. Ita igitur factum eſt: horâ etenim illâ invenerunt illum alii fratres per pedes ſuſpenſum, & mortuum.

S. Dominicus fundator Ordinis Prædicatorum tract. de corpore Chriſti, quem ſcripſit contra hæreticos Albigenſes: *Sicut primus*, ait, *Adam fuit ex terra Virgine, & numquam maledicta: ita decuit in ſecundo Adam fieri, ſcilicet Chriſto, cujus terra, id eſt, mater Virgo numquam fuit maledicta*; ita referunt Cucarus in Elucid. Galat. l. 7. de arc. c. 2. Caniſ. de Deip. l. 1. c. 7. Pineda de Conceptione B. V. qui etiam cum Cucaro & aliis narrat, dictum librum à prænominatis hæreticis, qui Euchariſtiam & puritatem Virginis impugnabant, in ignem conjectum illæſum exiiſſe. Ex verbis autem ſancti Dominici manifeſtum eſt B. V. MARIAM numquam habuiſſe orig. pecc. alioqui certè aliquando fuiſſet maledicta, quod S. Dominicus Virgini devotiſſimus negat. Vide Roſarium Cavelli ad 3. Scoti appoſitam.

Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat. Videantur authores in princ. hujus capituli citati.

§. X.

Vtrum Sancti Patres ſtent pro immaculata Conceptione B. V. M.

246. SS. Patr. doctrina in Eccleſia ſemper magni æſtimata

Lateran. V. ſ. 11. *Trid.* ſ. 4. 130.

SAnctorum Eccleſiæ Patrum doctrina & magnorum Doctorum authoritas in rebus fidei explanandis, & myſteriis quibuſcunque intelligendis plurimi ſemper fuit ponderis, & magno in honore obſervata eſt in Eccleſia. Vnde in Conc. Lateranenſi ſub Leone X. & Tridentino, ab eorum unanimi ſententia nec latum unguem diſcedere ſub anathemate cautum eſt; nec inſipienter, aut immeritò, quippe *hi Eccleſiæ lumen ſunt, & oculi* (ut ait Hilarius,) *& eorum labia cuſtodiunt ſcientiam.* Hinc evenit, ut quicumque opuſcula, vel lucubrationes ſuas in lucem edere propoſuit, & ſuam ſententiam ſtabilire cupit, doctrinamque ſive à ſe cogitatam, ſive ab aliis acceptam approbari deſiderat, ut quodcumque vel ſanè, vel minus rectè dixerit, auctoritatem conciliet, totum Sanctorum Patrum authoritate firmare laborat. Hic mos apud Catholicos, hoc ſemper obſervatū etiam apud hæreticos. Nullus eſt, qui non ſibi velit ſuffragari tantos Catholicæ veritatis teſtes, & magiſtros, per quos omnis ſuſpicionis, & falſitatis ſcrupulus removeri à doctrinis poſſit.

Hilar. in Pſalm. 38. *Malach.* 2. v. 7. Scriptores quivis ſuam ſententiam Patrum auctoritate ſtabilire ſtudent, etiam hæretici.

Nos quoque horum patrocinio duximus concluſionem noſtram de immacul. Conceptione fulcien-

cien-

Digitized by Google

Vide Scintillas noſtras. Cavelli Roſarium de immac. Concept. B. V. Salazar & Ægid. Luſit de immac. Concept.

ciendam: ideo pro illius probatione diximus Sanctos Patres, imò ſcholas, ſeu Academias ferè omnes ſtare à parte noſtrâ, & verè ſtant: hîc nullius producimus teſtimonium, ſed ad ſcintillas noſtras lectorem remittimus, ubi per ſingula ſæcula proferimus Marianæ puritatis aſſertores, etiam in ipſo conceptu. Verùm quia adverſarii quoad hoc prævalere contendunt, ideò viſum eſt illorum minorem in allegandis Patrum ſententiis & doctrinis ſinceritatem palam facere ex Hiſtoria Legat. Philippi Regis Hiſpaniarum ad Paulum V. Rom. Pontif. Quod verò inquit, ad authorum (quorum tam immenſum coëgit acervum Bandelus, ejuſque Compendiarii) citationem attinet, tam infideles ſe exhibuerunt horum relatores, ut multi ex iis, quos pro ſe adducunt, numquam tale ſomniaverint: tam ſiniſtros ut illorum verba & ſententias mutilare, truncare, & diſcerpere non dubitaverint; tam fallaces, ut multa ex ſuis addiderint, & plurima ex illorum verbis tacuerint. Quin tandem illicitâ hâc adhibitâ ſolertiâ, plurimi ex ipſis, quos afferunt, parum, aut nihil favent eorum opinioni. Manifeſtæ hujus falſitatis teſtem adhibeo domeſticum ex ipſis unum, Ambroſium Catharinum Minorien. Epiſcopum quem & veritatis vis, & detectæ fictiones, & exploratæ fallaciæ, ab affirmativa in negativam opinionem abire coëgerunt, quamvis in ſe multorum animos, & non exiguas perſecutiones ob id excitaverit. Hæc ejus verba de hujuſmodi tractatibus, quos apud eos ſervari ait in Bibliothecis ad inſtruendum novitios, ut hujuſmodi imbuantur doctrinis. *Ego*, inquit, *fateor primo anno profeſſionis meæ, cum paulò curioſior in hujus rei diſquiſitione eſſem, incidi in hujuſmodi quorumdam tractatus, quos ut legi facilè fateor ſeductus ſum, & ad eas partes tractus, quas nunc ab omni prorſus veritate deſtitui exiſtimo. Nam pro illâ, quam ſuſtinent opinione, tot ac tanta congeſſerant, ut eam, quam nunc arbitror veritatem, penè blaſphemiam exiſtimarem. Non enim tunc benè callebam argumenta ſophiſtica, nec deprehenderam citationes falſas, totamque diſputationem ex contentione ac zelo magis tractatam, quàm ſincerè, & ad veritatis manifeſtationem non ſanè perſpiciebam.* Ne verò ab eo, quod dixerat ullus dubitaret, ipſum Chriſtum ejus rei conteſtem adhibuit. *Dent*, inquit, *obſecro mihi veniam in gratiam veritatis, qui hæc moleſtè ferunt: non enim ſic aſſererem, teſte Chriſto, niſi ea comperta haberem, & in promptu etiam cuivis poſtulanti illa oſtendere poſſum.* Horum verò authorum aſtutias ulterius detegit, eorumque genia, vel ingenia aperit his verbis: *Ipſi primò*, ait, *numerant authores ſuos, quidam ad ducentos circiter, alii etiam fermè ad trecentos extendunt. Cajetanus ultimò ad quindecim reducit numerum. Alii multos memorant infimæ claſſis, quos neſciamus, utrum aliquan-*

Hiſt. Leg. orat. 4.

De his vide etiam Ioan. Bapt. Pozam in Elucid. B. V. l. 4. tract. 4. ubi ait, *Omnia ferè teſtimonia antiquorum* (Patrum) *adverſus immacul. Conceptionem Deiparæ, ab aliis ſunt depravata, aut truncata, aut conficta, aut infirma.* Item Salazar. de Concept. B. V. cap. 41. canone 2.

Ambroſius Cathar. l. 1. diſp. pro immacul. Concept. §. ſi quod videns ſuos non ſincerè agere circa q. de Concept. B. V. mutavit ſententiam.

Digitized by Google

aliquando hanc vitam vixerint, ut iſto modo perfacilè fuerit complere numerum. Nonnulli etiam cogunt invitos, ut ſibi adſtipulentur, qui vel non probant, quod ipſi volunt; vel etiam contrarium potius docuêre: ita ut Scotum etiam ad ſe trahant; ut ex hoc uno, quid auſi fuerint, de aliis facilè valeas conjectare. Hæc illorum, in citandis authoribus, & Sanctis Eccleſiæ Patribus, fidelitas.

Ecce quomodo paulatim ingens hic numerus decreverit, tam magna multitudo evanuerit. Multos convocavit Bandellus, non paucos, ſed nec totidem, novus vel fictus Turrecremata; Capreolus paulò plures 40. pauciores alii, ſolos quindecim Cajetanus, ex quibus ſolos quinque pro ea citari poſſe probant alii, imò non plures tribus concedunt inſigniores noſtræ ætatis Theologi. Quod pro comperto habemus, eſt ex Sanctis Divorum albo adſcriptis, ſolum Dom. Antoninum Florent. Præd. Ord. ita affirmativæ adhæſiſſe ſententiæ, ut pro negativa aliud ejus non reperiamus teſtimonium. Ceteri enim Bern. Thom. Bonav. & ſi qui alii maculatam fuiſſe V. Mariæ Conceptionem affirmârunt, in aliquibus locis ſuorum operum, ita id præſtiterunt, ut in aliis pluribus evidenter dixerint oppoſitum.

247 Reſpondetur ad argumentam oppoſitum

Quod verò quidam velint quibuſdam teſtimoniis probare affirmativam ſententiam communem fuiſſe inter ſanctos Patres, & primo ex quodam Aug. loco, quem quotidie circumferunt, & confidenter objiciunt, in quo ſanctum Doctorem plures Patres pro eorum ſententia compuliſſe affirmant, parum certè habet roboris, nec ex Auguſtini verbis id, quod volunt, colligitur. Locus namque ille, qui ex l. 2. contr. Iulian. c. 10. ita deducitur. *Propter quam Catholicam veritatem, Sancti ac Beati, & in divinorum eloquiorum pertractatione clariſſimi ſacerdotes, Ireneus, Cyprian. Reticius, Olympius, Hilar. Ambroſ. Greg. Innocent. Ioan. Baſilius, quibus addo preſbyterum, velis nolis, Hieronymum; (ut omittam eos, qui nondum dormierunt) adverſùm vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxiâ ſucceſſione ſententiam; unde nemo eruit, niſi quem ſine lege peccati repugnante legi mentis, virgo Concepit.* Suas habet non violentas, nec tortuoſas explicationes; ſed genuinas & evidentes patitur ſolutiones. Nec certè expreſsè in caſu noſtri dubii loquitur S. Doctor quod ex eo manifeſtius patet, dum illi, quos nominant, Doctores, nec verbum habuerint de Virg. Maria in locis, quæ huic Auguſtini propoſitioni favere poſſent, & quæ ille l. 1. contra eundem Iulianum citavit. Sed tantum de lege & obnoxia ſucceſſione (ſicut ipſe loquitur ibidem Aug.) omnium mortalium ad contrahendum originale peccatum. Quod non obſtat, quin ex ejuſdem Auguſtini, & Doctorum, quos citat, mente & doctrinâ, ſingularem hanc fœminam

In ſerm. Aquæd.

minam *puram non ſolum ab omni contagione peccati, ſed & ſingularitate naturæ* (ut egregiè dixit Bern.) ſingulari præventam gratiâ fuiſſe dicamus, ne peccatum, cui cum ceteris obnoxia erat, incurreret.

248 Eundem vel faciliorem habet ſenſum magiſter ſententiarum, quem etiam adhibent teſtem in 3. d. 3. dum interroganti ſibi *An caro Verbi prinſquam conciperetur, obligata fuerit peccato?* reſpondit, *ſane dici poteſt, & credi oportet, juxta Sanctorum atteſtationis convenientiam, ipſam prius peccato fuiſſe obnoxiam, ſicut reliqua Virginis caro, ſed Spiritûs ſancti operatione ita mundatam, ut ab omni contagione peccati immunis uniretur Verbo, &c.* nullum etenim his verbis animæ, cui ſoli peccatum inhærere neceſſe eſt, mentionem fecit, nec de actuali contractione, ſed de debito, & obligatione peccati locutus eſt. Imò & æquare videtur in hoc matris ac filii carnem, quòd utraque (ut ait ibidem) mundata fuerit, non à peccato, quod nullum fuiſſe in Chriſti carne conſtat, ſed quòd illa ab omni contagione immunis uniretur Verbo, hæc ſanctiſſimæ animæ Mariæ; quod ſolùm ſanctos in hoc dubio dixiſſe, ex verbis ipſius magiſtri credendum eſt.

249 Tertium & his clariorem adducunt Bonaventuram item in 3. d. 3. a. 1. q. 3. in corp. Dum præter cetera ait, affirmativam magis concordare Sanctorum auctoritati. Sed ipſe hoc dixiſſe declarat, *pro eo quod communiter Sancti cum de materia illa loquuntur ſolum Chriſtum excipiunt ab illa generalitate, quâ dicitur omnes peccaverunt in Adam.* Non dicit ergo ſeraphicus Doctor Sanctos Patres Virginem comprehendiſſe ſub peccato; ſed communiter ſolum Chriſtum excepiſſe, qui vi conceptionis ſuæ ex Virgine verè ſolus per ſe excipiebatur: an autem illius mater ex gratiâ eam præſervante non exciperetur, non diſputârunt.

250 Hoc etiam de mente Sanctorum (meo videri) ex D. Thoma colligi poteſt non leviter, eumque nullatenus ſenſiſſe hanc ſententiam fuiſſe Auguſtini, aut alterius ex Eccleſiæ Doctoribus: quippe, qui tantus & tam frequens erat in citandis pro quacumque opinione Doctoribus, totieſque de hac materia egit, Sanctorum authoritates nullatenus pro eâ adduxit, nec ſanctorum Patrum ſententiam eſſe affirmavit, quod credibile eſt propterea non feciſſe quòd nullum viderit, qui verè & expreſsè ſecundùm rigorem controverſiæ, quo inter Scholaſticos tractatur, parti adhæſerit affirmativæ.

251 Demus verò & hunc, & ceteros de quibus actum eſt, ſententiam affirmativam tenuiſſe, ita ut nunquam eam retractaverint, ut plurimi ex eorum doctrina fruſtra probare nituntur: numquid ita hujus rei veritatem ſunt aſſecuti, ut qui cum illis non ſenſerit, ab ea penitus recedet? Numquid ita in hac re omnem omnino

cer

Digitized by Google

ſundamento, multi ex probatiſſimis ejus judicârunt diſcipulis. Medina in 3. p. q. 27. a.2. reſp. ad 3. Iuſtin. in addit. ad vit. B. Lud. Beltram. §. 1. & ipſe Beltramus ab eo citatus, & alii.

Vel hinc demum ſufficienter nobis perſuaderi poterit hanc non fuiſſe Patrum opinionem, ut inaniter jactant, vel objiciunt adverſarii. Nec enim ſe illis opponerent recentiores Doctores, nec in illorum deſpectum negativam foveret Eccleſia, ſequerentur Principes, crederent populi, ſummi venerarentur Pontifices: Aliter namque perjurii reos dicemus tam Doctores, quàm Pontifices, qui contra juramentum præſtitum, dum ad illos gradus, vel honores aſcenderent, aliter interpretantur Scripturas, quàm communis patiatur ſanctorum Patrum doctrina. Certè ſi illorum eſſe ſententiam affirmativam intelligerent Patres Concilii Tridentini, nequaquam vererentur, eorum innixi authoritati, ſub communi hominum conditione, & ſub eadem alea conditionis humanæ in decreto de peccato originali Virginem comprehendere. Nec credendum quòd Paulus V. (ſi tale quid perſpexiſſet, aut aliquantulum ſuſpicaretur, Patres conveniſſe in adverſariorum ſententia) juſſiſſet illam taceri, & ſilentii tenebris injuſtè involvi.

§. XI.

Revelationes pro Immac. Conceptione.

QVamvis aſſertio noſtra de immaculata Conceptione communiter jam in Schola Theologorum recepta, atque ab Eccleſia taliter (ut oſtendi) tradita, munita, & ſolemnizata, non egeat confirmatione deſumptâ ex revelationibus & miraculis: quia tamen Deus in hunc finem illa fieri voluit, atque immaculatæ Conceptionis probabilitas, & feſti inſtitutio ab his deducta eſt primitus, idcirco non pigebit de illis quædam in medium producere.

Revelationes autem duplicis generis hominibus factæ ſunt: quædam primis noſtræ fidei proceribus, Apoſtolis ſcilicet; & Chriſti diſcipulis factæ ſunt pro univerſa Eccleſia inſtruenda: iſtæ ut teſtimonium ſolidum, ſatiſque locupletem accipiant authorem, ſufficit ut ab eiſdem ipſis referantur. Aliæ ſunt, quæ privatis hominibus fiunt: iſtæ ultra particulare eorumdem teſtimonium, majori indigent fide, vel commendatione. Hæc illa ergo eſt differentia inter communes & privatas revelationes; ſeu inter eas quę toti Eccleſiæ, vel privatis perſonis fiunt, ut de illis nefas ſit dubitare: hæ verò facillimè rejiciantur, & cautè ſatis ſint admittendæ; cùm multoties *Satanas ſe transferat in Angelum lucis*, & ſub ſpecie veræ revelationis, falſas ſubintroducat doctrinas. Multas ſuo

254 Revelationes communes & privatæ

Diſcrimen inter privatas & côm. revelationes.

Nefas dubitare de communibus.

2. Cor. 11.

D d tem-

Bern. ſen. tom. 3. ſerm. 3. a. 2. c. 2. & 4. fin.

tempore revelationum deluſiones viguiſſe teſtatur Bernardinus Sen. de Antichriſto jam nato, varioſque ait induxiſſe in errores: proindeque cum ceteris Doctoribus admonet, non facilè credendum cuique revelationi. Sanum & tutum eſt illud Ioan. Apoſtoli conſilium. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* In quo ſicut nec omnes revelationes indiſcriminatim voluit ſine delectu admitti, ita nec omnes cenſuit reſpuendas. Probari omnes juſſit, & examinari, an ex Deo ſpiritus ille revelans ſit; quod facilè dignoſcitur, dum revelationes ipſæ & perſonæ, quibus fiunt, diſcutiuntur; dum quod revelatur expenditur; dum ad S. Scripturæ ſtateram, & regulas ab Eccleſia & Doctoribus ſtatutas, novæ menſurantur apparitiones. His indigent diligentiis, & hâc opus habent cautelâ privatæ revelationes, cùm aliter non facile conſtare poſſit de veritate earumdem. Vt tamen eas examinaverint vel Epiſcopi in ſuis Eccleſiis, vel publicâ auctoritate Doctores, eaſque pro veris & piis admiſerit Eccleſia; poſtquam jam probavit, & approbavit ſpiritum, & revelationes à Deo eſſe; nec licebit temerè eas reſpuere, nec fidem facilè eis abnegare. Certitudinem verò infallibilem aut irrefragabilem fidei divinæ non ſibi vendicant; ſicut illæ communes, niſi univerſæ Eccleſiæ proponantur pro infallibilibus, & fide divina credendis; merentur tamen certitudinem moralem, & veritatem prudentialem, ita ut duritiem cordis, & temeritatis notam dignè patiatur, qui eas contemnit.

Non omni ſpiritui credendum. *1. Joan.*

Privatæ revelationes diſcutiendæ juxta regulas Doctorum.

Revelationes probatæ à DD. temerè rejiciuntur.

Multas verò revelationes pro commendanda Virginis immaculata Conceptione referunt Doctores, qui eam defendunt, quarum ſingulas etſi non approbavit Eccleſia, nulla tamen eſt quæ cum aliis ab eadem approbatis non cohæreat. Quaſdam referam, ſed iis tantummodo inſiſtam, quas conſtat in Eccleſia publicè receptas.

255. Opinio de immaculata Conceptione tunc cœpit acrius invaleſcere, & ſolemnius crebriuſque coli, cùm B. Anſelmus tres illas revelationes unâ complexus epiſtolâ recenſuit ſuis coævis Epiſcopis in Anglia, quarum illa Abbati Helſino facta crebrior, & ſolemnior, à pleriſque graviſſimis Doctoribus refertur ut vera. Ab eadem initium accepiſſe apud Anglos feſtum Conceptionis, ait Baronius ad 8. diem Decembris in notis ad martyrologium Rom. Ejus meminerunt ex antiquis plurimi, Baccon. in 3. d. 3. q. 4. art. 2. & in quodl. q. 13. Henricus de Gandavo quodl. 25. q. 23. Palud. Capreolus, Argentina in 3. d. 3. Petrus de Natalib. l. 3. ſui Cathal. c. 52. & l. 6. & 56. licèt erret in perſona. Gerſon ſerm. de Concept. Bozius l. 4. de ſign. Eccleſ. c. 8. Maffœus c. 16. ſuæ Chron. Claudius à Rota, & Iac. à Bor-

Digitized by Google

à Bortag. Dominic. in legenda Sanct. in feſto Concept. & omnes fermè antiqui, qui quidquam de immac. Concept. ſcripſerunt. Et quod majorem conciliat fidem Concil. Cantuarien. à Bavone quodl. 3. q. 13. cit. non obſcurè revelationem hanc admittit, dum ab Anſelmo Conceptionis feſtum emanâſſe in Anglia apertè teſtetur. A tempore Anſelmi ita hæc revelatio (aliæque quæ in ejus referuntur epiſtola) contra primos refragatores & contradictores invaluit, ut per omnia ſæcula pro vera revelatione, à præcipuis & gravibus Viris referetur, ab Eccleſiarum, in quibus hoc feſtum celebrabatur, Prælatis admitteretur, in multarum Diœceſium Angliæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, multarumque Religiorum Breviariis, in officio divino recitaretur, ut ex ipſis, quæ in promptu ſunt, videre licet, & tum demùm in universâ Eccleſiâ in Breviario Romano (cujus varia ſunt, inquit Luc. Waddingus, apud me exemplaria) pro verâ, & piè credenda à Sum. Pontifice, omnibus commendaretur fidelibus, & ab eiſdem per centum ferme annorum ſpatium, publicè & caneretur, & frequentaretur in Eccleſia. Neſcio quo ſpiritu ducetur, qui eam vel binas alias Anſelmi ejuſdem authoritatis revelationes fictitias vel falſas eſſe tenacius contenderit.

Revelationes de quibus Anſelmus in Epiſt. probatiſſimæ ſunt.

256. Circa Anſelmi fermè tempora alia facta eſt B. Norberto Præmonſtratenſium præclariſſimo fundatori, ex qua illius religionis accepit initium. Ei namque ipſa Dei Genitrix apparuit, & hujus myſterii cultum & venerationem ſollicitè commendavit. Veſtem inſuper candidam ſancto viro donavit, qua & ipſe & ſub eo militaturi fratres uterentur, in teſtimonium originalis Mariæ innocentiæ, ut & vitâ, verbo, & habitu ejus Conceptionem ſine macula fuiſſe profiterentur. Locupletem habent apud ſe hujus revelationis authoritatem, & firmam traditionem à Norberto, & ejus ſociis ad noſtram ætatem inceſſanter deductam.

B. Norbertus de immacul. Conc. B. V. revelationem habuit.

257. His acceſſêre aliæ pleræque revelationes B. Gertrudis & aliorum miraculis comprobatæ, ſtricto examine diſcuſſæ, & à pleriſque viris doctis pro veris receptæ, & in eorum operibus relatæ. Quarumdam meminerunt Gerſonius & Bacconius citati. Alias referunt Marſilius in 2. q. 20. a. 1. Bernardinus de Buſtis 1. p. ſerm. 7. de Concept. in 1. illius parte, Ludovicus à Turre tract. de Concept. art. 2. Alii. Ferè nullum fuit poſt mille annos ſæculum, in quo quibuſdam notæ, vel obſervatæ ſanctitatis viris aut fœminis, quidquam circa hoc myſterium Concept. Virg. non fuerit pro ejus immunitate ab originali revelatę. Non obſcuræ ſunt illæ quas ſibi factas refert raptu 8. B. Amadeus præclariſſimus Congregationis

Revelatio facta S. Gertrudi de Conc. immacul. B. V. à viris doctis probata.

omnimoda Puritas B. V. revelata S. Amadeo.

Amadeorum fundator, cujus corpus magna cum veneratione colitur Mediolani; nec quas habuit præclara fæmina & notæ ſanctitatis Virgo Ioanna à Cruce, cujus celebris eſt in Hiſpania memoria, quas referunt, qui ejus vitam ſcripſerunt, non ſine gravi examine & contradictione. Quo tamen acrius ejus acta & hiſtoria impugnata ſunt, eo glorioſius poſtea prodierunt in lucem approbata, & ſatis commendata à graviſſimis viris & Prælatis, ex licentia & indultis ſupremi tribunalis ſanctæ Inquiſitionis in Hiſpania, in quo ſupremus ſedebat illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dom. Bern. de Roxas Archiep. Card. Toletanus, & Inquiſitores Dom. Gabriel de Treio. D. Alphonſus Marquez de Prado &c. quorum aliorumque judicum voto, & ſubſcriptione, ut in publicum prodirent, ſatis ſuperque eas approbârunt, & pro approbatis haberi voluerunt.

& Ioannæ à Cruce.

Vt verò ceteras omnes, præter illas Anſelmi, quarum locupletem ſatis authoritatem oſtendi, modo miſſas faciam, nec in comprobanda earum veritate ſermonem protraham, contra eos, qui nullius eas eſſe contendunt: notiſſimas illas ſatis comprobatas, & numquam ſatis laudatas B. Birgittæ ſolummodò referam, & proſequar, ex quibus ſufficienter videbitur, quàm injuſtè agitur cum aliis perſonis, qui his ſimiles habuerunt revelationes, dum quod in hac fæmina laudavit Eccleſia, in illis condemnare audent adverſarii.

§. XII.

Referuntur revelationes B. Birgittæ de immunitate B. V. MARIÆ *à peccato originali.*

NOn unam aut duas habuit hæc ſancta Vidua de hac re revelationes, ſed plures. In primo etenim lib. ſuarum Revelat. c. 9. ab ipſa Dei Genitrice (cujus res agitur, & quæ quid circa ſe factum eſt, ceteris novit melius) revelatum refert hoc monaſterium ſub his verbis: *Facto corpore meo, Deus à divinitate ſua animam meam creatam immiſit corpori, & mox anima cum corpore ſanctificata eſt, quam Angeli cuſtodiebant, & ſervabant die ac nocte. Cùm autem anima ſanctificaretur, & corpori conjungeretur, tanta matri meæ advenit lætitia, ut impoſſibile eſſet dictu.* Ad quæ verba, doctis notulis appoſitis, tolli voluit Gonſalvus Durantus omnem omnino ſcrupulum circa illa, *animam immiſit corpori, & mox anima cum corpore ſanctificata eſt*, ne velit quis ex eiſdem colligere, poſt animæ infuſionem in ſubſequenti tempore, vel temporis inſtanti ſanctificatam, quod nequaquam inferre licere docet citatus commentator, ut verba ipſa ſubſequentia, *cum anima ſanctificaretur, & corpori conjungeretur*; & clariſſimæ ſubſequentes revelationes demonſtrant. 258.

258. Immaculata Conc. B. V. revelata S. Birgittæ.

Libr. 5. in fin. in declaratione reve-

revelationis 13. ipſe Pater æternus, quid circa filii ſui matrem effectum ſit, eidem S. Viduæ revelavit, dicens; *De radice Adæ proceſſit, & de peccatoribus nata eſt, licèt ſine peccato concepta, ut filius meus de ea ſine peccato naſceretur.*

Lib. 6. c. 49. ipſa Mater Dei ita eam alloquitur: *Veritas eſt, quod ego concepta fui ſine peccato originali, & non in peccato.*

In eodem l. c. 55. Ipſa eadem Dei Genitrix prædixit tam hanc controverſiam protrahendam in longum, quàm veritatem ſuo tempore manifeſtandam. Ait ergo Virgo Mater; *Scito quòd Conceptio mea non omnibus nota fuit; quia voluit Deus, quòd ſicut ante legem ſcriptam præceſſit lex naturalis, & electio voluntaria boni & mali, & poſtea veniret lex ſcripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus. Sic placuit Deo quòd amici ſui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas clareſceret in tempore præordinato.*

Lib. 8. c. 47. ait B. Viduæ eadem Virgo MARIA; *Anima mea, quando creata fuit, & conjuncta corpori, replebatur ex decurſu torrentis, ſcilicet Spiritus ſancti, quo numquam poſtea evacuata eſt.* Hæc ſunt clariora verba, & expreſſiores revelationes B. Birgittæ factæ, hanc Virginis immunitatem à peccato originali teſtantes, quam etiam aliis multis in locis ſuarum revelationum non leviter inſinuari videbit, qui ejus opera vel libros percurrerit.

Aliam habuit revelationem ſibi factam ab Angelo in ſuo cubiculo juxta Eccleſiam S. Laurentii in Damaſo, circa feſti Conceptionis celebrationem, & diem in quo Virginis conceptus mundiſſimus ab omnibus honoraretur. In capitulo namque 10. ad finem ita ſe accepiſſe refert, & Angeli verba enarrat.

Nota verò quòd B. Birgittæ revelationibus adverſarii opponant aliam, neſcio ſi revelationem dicam B. Catharinæ Sen. primò à B. Antonio 1. p. ſuæ ſum. tom. 8. c. 2. circa finem; poſtea à Cajetano & aliis, qui ei ſucceſsêre, revelatio dicta, & pro verâ prætenſa. Quidquid verò ſit, ſive revelatio (ut illi volunt) ſive ſpirituale quoddam colloquium, vel oratio ab affirmativæ opinionis aſſertoribus ſuggeſta, ut ego verius puto (inquit Author hiſt. Leg. Reg. Hiſp. ad Paulum V.) habetur inter ejus orationes n. 16. quæ incipit, *Deitas æterna.* Verba (quæ fideliter ex ipſo ſuarum orationum codice tranſcripta ſunt, & adverſarii pro hac ſententia citant) hæc ſunt. 259. Opponitur revelatio facta S. Catharinæ.

Datum eſt nobis Verbum æternum per manum MARIÆ, *& de ſubſtantia* MARIÆ *induit naturam abſque peccati originalis macula, & hoc quia non hominis, ſed Spiritus ſancti inſpiratione facta eſt illa conceptio. Quod quidem non fuit ſic in* MARIA, *quod non proceſſit ex maſſa Adæ*

Digitized by Google

operatione Spiritus ſancti, ſed hominis, & quia tota illa maſſa erat putrida, non poterat niſi in putridam naturam anima illa infundi, nec poterat purgari, niſi per gratiam Spiritus ſancti, cujus quidem gratiæ non eſt ſubjectum ſuſceptibile corpus, ſed ſpiritus rationalis, aut intellectualis, & ideò non poterat MARIA *à maculâ illâ purgari, niſi poſtquam anima infuſa eſt corpori, quod quidem ſic factum eſt propter reverentiam theſauri divini, qui in illo vaſe debebat reponi: nam ſicut fornax conſumit guttam aquæ modico tempore, ſic facit Spiritus S. de macula peccati originalis; nam poſt Conceptionem ejus ſtatim fuit ab illo peccato mundata, & gratia magna data.* Et ſubjunxit. *Tu ſcis Domine, quia iſta eſt veritas.* Hæc ſunt quæ ex D. Catharina Sen. opponunt maculatæ Conceptionis aſſertores revelationibus B. Birgittæ.

§. XIII.

Oſtenditur veritas Revelationis B. Birgittæ ex regulis dignoſcendarum Revelationum.

Regulæ diſcernendarum revelationum.

SI regulas revelationum ſuſcipiendarum à Theologis ſtatutas expendamus, videbimus non has immaculatæ Conceptionis, ſed illam adverſariorum rejiciendam. Prima eſt, ut cohæreant cum iis, quæ in S. Scripturâ revelata ſunt, vel conformentur traditionibus, vel ordinationibus Eccleſiaſticis. 2. ut aliquam afferant Eccleſiæ utilitatem ſpiritus, vel fidelium inſerviant devotioni, ſeu ædificationi. 3. Vt obſervetur & diſcutiatur perſona, cui fiunt. 4. Vt probatiſſimorum & Doctorum virorum teſtimonio approbentur, vel ab Eccleſia ut veræ recipiantur. Quæ omnes conditiones, ſi in quacumque revelatione ſimul confluxerint, ut indubitanter vera recipienda erit.

261. Quod 1. regulam attinet, licèt privilegium Virginis MARIÆ circa immaculatam Conceptionem non conſtet clarè & expreſsè ex S. ſcriptura, nec in ſenſu litterali ſit locus aliquis, qui illud affirmet: plurima tamen ſunt quæ illud innuunt, & quæ vel in ſecundo ſenſu litterali (ut aliqui volunt) vel ſpirituali (ut communiter ab aliis recipitur) reconditum habent hoc myſterium, & illud disertè videntur inſinuare. Pauca ex multis, ſed clariora breviter proponam. Primus ſit ille locus Geneſeos 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ipſa conteret caput tuum.* Qui licèt varias habeat difficultates, & diverſas expoſitiones, nulla tam recepta, aut communis eſt modò apud Theologos, quàm hæc de victoriâ Virginis obtenta contra diabolum in evadendo peccatum originale. Doctores ſatis multos ita hunc locum explicantes videre licet apud Petrum Morales l. 3. de Chriſto & Virgine tract.

Revelatio de immac. Concep. B. V. eſt conformis S. Scripturæ.

Gen. 3. *Inimicitias ponam.*

Digitized by Google

tract. 1. pag. 282. & Ægid. Luſit. l. 3. de Præſervat. Virg. q. 5. §. 4. ceteris diſertius ex hoc loco veritatem hanc deduxit Dionyſius Carthuſianus l. 3. ſentent. d. 3. q. 1. §. *Verumtamen*, dicens: *Horremus mulierem, quæ caput ſerpentis contritura erat, contritam ab eo aliquando fuiſſe Matrem Domini fateri.* Cohæret etiam ille locus Cant. 2. dicens: *Sicut lilium inter ſpinas; ſic amica mea inter filias.* Alius item Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quæ loca præterquam quòd à multis Sanctis viris, & pleriſque Doctoribus in hoc ſenſu explicentur, ita etiam inſervit officio Conceptionis Eccleſia, iiſque in eodem uſa eſt, pro hoc myſterio explicando, ut nequaquam poſſit quis negare ea in hunc ſenſum poſſe explicari, & conſequenter his revelationibus conformari. Sit ultimus & unicus è novo Teſtamento locus, ut alia pleraque utriuſque, tam veteris quàm novi omittam. Ille Luc. 1. *Ave gratia plena*, quem de omnimoda plenitudine gratiæ, tam per integrum vitæ curſum, quàm in ipſo in eamdem introitu, & primo vitæ momento Doctores quam plurimi expoſitivi, qui in hunc locum poſt centum annos ſcripſerunt, intelligunt. Nec ex antiquioribus deſunt, qui ad hanc explicationem accedant. Egregia ſatis habet huic interpretationi accommoda Greg. Neocæſar. cognomento Thaumaturgus, ſeu mirabilium patrator, qui ad 300. Chriſti annum floruit, per tres integros ſermones, quos videre licet tom. 3. Biblioth. magnæ Vet. Patrum noviter à Colonien. editæ pag. 39. &c. Ab hac expoſitione non abſcedit illa Authoris, Serm. 11. de Nat. Dom. apud Auguſt. in Appendice tom. 10. n. 24. qui vel Severiano vel Fulgentio tribuitur, ubi ex his verbis ait, oſtendi *in* MARIA *ex integro excluſam fuiſſe iram primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam.* Clarè verò & expreſsè ad hunc ſenſum verba illa intelligunt D. Bonav. Serm. 2. de B. Virg. Idiota in Contempl. de eadem c. penult. Ildefonſ. Serm. de part. Virg. Mar. Petrus Comeſtor. Serm. de Concept. B. V. Petrus de Montes tract. de eadem, & alii ex antiquioribus. Noviſſimè, Clemens VIII. Pont. Max. diplomate emiſſo, juſſit, ut Compendium Doctrinæ Chriſtianæ ejuſque declaratio ab Illuſtriſſimo Cardinale Bellarmino edita, & examinata, & approbata à Sacra congregatione reformationis, poſthabitâ aliorum Compendiorum varietate, ab infantulis & fidelibus addiſceretur, iiſque uteretur congregatio Doctrinæ Chriſtianæ in pueris edocendis, vel erudiendis. In quo Compendio c. 5. ad hunc ſenſum explicantur illa verba ſalutationis Angelicæ *Gratia plena. Ideo* (explicat Bellarm.) *hoc dicitur, quia quantum ad primum effectum gratiæ, qui eſt delere peccata, Virgo ſanctiſſima, numquam habuit maculam aliquam peccati cujuſquam, nec*

Cant. 2. Sicut lilium inter ſpinas.

Cant. 4. Tota pulchra.

Gratia plena.

Clemens VIII. probavit declarationem Bellarmini ad verba *Gratia plena* pro immac. Concept.

ori-

originalis, nec actualis, mortalis, aut venialis. Hoc lacte benigna & chara Mater Eccleſia ſuos voluit filios educari. De cujus fidendum eſt pietate, non venenum falſæ doctrinæ, ſed cibum ſalutiferum, & potum ſalutarem veri dogmatis ſemper propinâſſe fidelibus. Alia loca his revelationibus conformia additis multorum Sanctorum expoſitionibus in hanc ſententiam congerit Franc. Fevardent. l. 10. ſuæ Theomach. c. 2. Petr. Caniſius l. 1. de Deip. c. 6. Ioan. Carthagena de arc. Deip. l. 1. per multas Hom. & Ægid. Luſit. l. 3. de Præſervat. Virg. q. 5. art. 6. a. §. 2. Ante hos exploratam habuerunt hanc ſententiæ piæ (quæ in revelationibus expanditur) conformitatem cum S. Scriptura Conc. Baſileënſ. Doctores, cùm eam, tamquam ſacræ Scripturæ conformem, amplectendam judicârunt. Idem etiam judicium de hac conformitate his annis proximè elapſis in ſolemni voti nuncupatione protulerunt Academiæ Complutenſis, Neapolitana, & aliæ, quæ ob hanc etiam rationem contrariam noluerunt ſuis propinari alumnis, quia negativam jure optimo cenſuerunt divinis libris conformiorem. Similiter etiam cenſent omnes fermè noſtri ævi Doctores, ut nullus fermè ſit præclari nominis, præter unius inſtituti viros, qui rem hanc manifeſtam vocet in dubium.

Academiæ Complutenſis, Neapolitana, &c. docent relationem de immac. Conc. eſſe S. Scripturæ conformem.

262. Nec erit cur quis objicere velit univerſalia quædam ejuſdem Sacræ Paginæ loca, quæ omnes nemine dempto ſub originali peccato includant, qualis eſt ille Pauli Rom. 5. *Omnes in Adam peccaverunt*, & ſimilia, quibus hæ revelationes videantur contrariæ. Nam Concil. Trid. Seſſ. 5. de peccato originali dum ex his locis, quæ ſibi expreſſiora & ſtrictiora viſa ſunt, omnes definierit mortales naturali propagatione à primo noſtro parente deſcendentes, labem hanc originalem contrahere: ſtatim & accuratè ſciendum admonuit, ſe non voluiſſe ſub iiſdem regulis, & communi hominum alea MARIAM comprehendere. Ita ut ſincerè, & Catholicè, & conformiter ad ipſam Scripturam, & Spiritus Sancti dictamen, ex ipſius Concilii declaratione, poterit quis MARIAM ſub illis verbis communibus, cum ceteris non involvere. Regulæ etenim illæ univerſales ſunt ab ipſo Spiritu S. propoſitæ, & pro legibus infallibilibus datæ ab ipſo eodem legiſlatore Sanctæ Matri Eccleſiæ, cui manifeſtius & ſpecialius loquens, & ſemet clarius explicans per Patres Concilii, ait non eſſe ſuæ intentionis comprehendere ſub illis regulis chariſſimam ſuam ſponſam MARIAM ſemper Virginem. Quaſi dicat per eoſdem Patres, licèt ſtatuam pro lege firmiſſimè credenda, omnem hominem per maris & fœminæ concubitum conceptum, peccato infici primi parentis Adami, nolo tamen intelligas, me proindè MARIAM Dei Geni-

B. V. Catholicè & conformiter ad S. Script. poteſt excludi ab illo Pauli: *Omnes in Adam peccaverunt.*

Spiritus S. per Concilii PP. non vult B. V. communi maledicto includi.

Digitized by Google

Genitricem, ſub hac lege comprehendere, declaro planè non eſſe hoc meæ intentionis.

Si ergo ex mente tantarum Academiarum, & Doctorum, quos communiter & fideliter citant recentiores, conforme ſit & conſonum locis illis Sacræ Scripturæ, in quibus particulariter de Virgine MARIA agitur, ſub hoc, vel illo ſenſu, ſive litterali, ſive myſtico, & regulis univerſalibus non contradicat ex mente Concilii Trid. & teſtimonio tantorum Virorum, qui poſt illud ac antea de hac re ſcripſerunt, MARIAM eximere, & defendere à peccati originalis contractione; quis audebit dicere revelationes omnes pro hac parte factas non eſſe S. Scripturæ conſonas, & conformes. Præſertim cùm omnes in univerſum hujus S. Viduæ revelationes tot tantaque habeant pro ſe teſtimonia omnium Epiſcoporum, Regis & regni Sueviæ, & ut infra patebit.

263. Revelatio de immac. Conc. B.V. traditioni Eccleſiæ conformis.

Traditioni verò & ordinationi Eccleſiaſticæ (per quam aliàs non parum piam de immaculata Conceptione ſententiam formavi, & quæ ſecunda pars eſt primæ regulæ) eaſdem conſentire, non erit qui neget, dummodò legere velit LetrumGalatinum l. 7. de arc. Cathol. c. 5. Card. Baronium in notis ad Feſtum Conc. in Martyrol. Rom. Conſtitutionem Emmanuël. Comenſ. Imperat. Sermones Leonis Imperat. & Georgii Epiſcop. Nicomed. in quibus, vel apud quos, tamquàm receptiſſimum in Eccleſia Græca habetur Feſtum Conceptionis immaculatæ, & Lyturgias eorumdem Græcorum, tam illam Ioan. Chryſoſt. quàm alias, quæ extant, in quibus omninò ſancta & immaculata B. Virgo prædicatur, unde & feſtum Conceptionis Marianæ apud eos *Panagia* dicitur, hoc eſt, tota, vel totaliter ſancta. Cùm ergo ex Lyturgiis & Kalend. conſtet antiquiſſimum eſſe apud eos Feſti Conceptionis immaculatæ ordinationem, tantæ vel majoris antiquitatis traditione de MARIÆ Concept. ſanctitate, fundatam; conſtabit etiam Græcæ Eccleſiæ, tam ordinationi, quàm traditioni, revelationes has confirmari.

A Latinorum verò traditione, aut inſtitutione, qui eas diſcrepare contenderit, prius audacter nimis negabit præclariſſimum illud Petri Barcinoni vetuſtiſſimi ſcriptoris in omnimoda ſua Hiſt. ad D. Hieron. & Pauli Eraſii ad annum 400. teſtimonium; ipſam etiam Feſti inſtitutionem ſatis ſuo ſenſu manifeſtam, ſed quoad propagationem per univerſalem Eccleſiam, incertam, licèt apud Hiſpanos à D. Iacobi Apoſtoli tempore ſucceſſionis ſæculis continuatam, ſi prædictæ Dextri Hiſtoriæ & Cæſar-auguſtanæ receptiſſimæ traditioni credere liceat. In Romana verò Eccleſia, aliiſque per Orbem eandem feſtivitatem celebrare ſolitam, antiquâ & laudabili conſuetudine judicium eſt, & evidens teſtimonium Patrum in congrega-

 tione

tione illa Baſilienſ. collectorum, quibus ſicuti definiendi poteſtatem concedere nolimus; ita nec teſtificandi authoritatem negare debemus. Demùm à tempore Sixti IV. ſolemnitas Feſti Concept. pro univerſo Orbe à Sede Apoſtolicâ ordinata eſt, & perſeverat. Cùm ergo S. Scripturæ loca concordent, & contraria communia non obſtent, cùm etiam de antiqua traditione, & patula Eccleſiæ ordinatione, tam in Feſto quàm in litteris Pontificiis, tam expreſsè conſtare videatur, quibus hæ revelationes, tam clarè & ex judicio tantorum Virorum conformantur & conſentiunt, non erit qui negare audeat, primam à nobis propoſitam regulam his B. Birgittæ revelationibus convenire.

§. XIV.

S. Birgittæ Revelationes conducunt ad ſpiritualem profectum Eccleſiæ, & ædificationem Fidelium.

264. SEcunda regula eſt, ut revelationes admittendæ in aliquem conducant ſpiritualem profectum, & fidelium inſerviant ædificationi, & devotioni. Ex qua facillimè licebit oſtendere revelationes illas S. Birgittæ, aliaſque eis conformes non eſſe reſpuendas. Conſtantiſſima eſt D. Thomæ ſuorumque interpretum ſententia Prophetias, ſive revelationes, quæ verè tales ſunt, aliaſque gratias gratis datas, dari eis, quibus conferuntur, non propter ſeipſos, ſed propter Eccleſiæ utilitatem, quod probat ex illo Pauli, *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem.* Has autem hujus fœminæ revelationes, verè tales eſſe, & Eccleſiæ Catholicæ utiles, non multâ eget probatione, aut longâ argumentorum ambage, dummodò rerum ſtatus, & convenientia inter ſe tantarum revelationum conſideretur. Quis enim vel leviter perpendens controverſiam hanc de Conceptione acrius exortam, & communem Feſti Conceptionis propagationem ex revelationibus provenisse, negabit magnum eſſe profectum, & non exiguam utilitatem ſpiritualem Eccleſiæ, ſuccedentibus ſibi invicem Sanctorum, ac probatorum hominum, vel laudabilium fœminarum revelationibus, quas illa pro veris ſuſcepit, confirmari, & quod inſtituit colendum, cæleſti teſtimonio roborari? etenim per poſteriores non leviter probatas, aut parvâ indagine examinatas, ſi qua circa priores erat dubitatio, omninò tollitur; & dum cum Eccleſiaſticis conveniunt inſtitutis, illorum certitudinem, & rectitudinem non parum commendant per novas Prophetias & ſucceſſivas revelationes Eccleſiam clariùs inſtrui, circa res, vel doctrinam fidei, docet D. Thomas. Vnde & multa, quæ obſcuriora ſunt, manifeſtantur, quæ vel myſteriorum involucris, aut ignorantia

D. Thom. 2. 2. q. 3. art. 4. & in diſp. q. 2. de Prophetia art. 5.

Revelatio ad utilitatem datur à Deo in Eccleſia.

2. 2. q. 174. art. 6.

Digitized by Google

tiæ tenebris occludantur, poſtea reſerantur, & quæ adhuc pro revelatis, aut infallibilibus non tenentur, omnem ſuſpicionis & erroris notam excutiunt. Gaudet ergo & proficit non modicè S. Mater Eccleſia, dum per hujuſmodi revelationes, aliæ ſimiles Sanctarum perſonarum, quas approbavit, confirmantur, & feſtum Immaculatæ Conceptionis, quod univerſaliter, & ſolemniter inſtituit divino probatur oraculo, in quo quod illa celebrat, clarius enodetur. Vberiores proinde provenifſe ex revelationibus B. Birgittæ profectus Eccleſiæ, teſtatur in ſuis litteris Henricus Daciæ Rex ad Conc. Baſilienſ.

Ædificationem autem eſſe populi fidelis, & devotionem ejuſdem augere has revelationes, quis inficiabitur, dum in illis profertur & clarè docetur, quòd omnes latè populos ædificat, & ad majorem Dei Genitricis devotionem incendit? Quis per Orbem ignorat, quantæ fuerit ædificationis per univerſas Chriſtianas regiones, doctrina, aſſerens Virginem Mariam Dei Genitricem ab originali labe præſervatam? & quantæ ex adverſo deſtructionis ſpiritualis, & ſcandali occaſio dogma contrarium? Quem effugit tanta & tam feſtiva ſolemnitas Conceptionis immac. Mariæ, quæ per univerſas Hiſpaniæ ditiones his annis elapſis facta eſt, ad ipſos etiam ulteriores Indos trans mare immenſum pervolans, & apud illos tam gratè accepta, ut ſolùm in civitate Mexicana, novi Orbis ditiſſimo emporio, multa millia aureorum libentiſſimè, & liberaliſſimè devotiſſimi incolæ in unius diei feſtum irrogaverint. Quis neget quotidie Catholicam gentem in hac doctrina ſpiritualibus proficere incrementis, interioribus affici gaudiis, &c.

Feſtum & pietas ad immac. Conc tranſiit ad Indos.

265. Ne autem ſuperiora ſine teſte dixiſſe videar, quaſi nullus ſubeſſet, qui vel Eccleſiæ, vel populo utiles eſſe judicaret has revelationes. Vnum vel alterum teſtem adhibebo de omnibus Birgittianis. Supracit. Rex Daciæ, ait, *Indubio illas in ſalutem multorum in via fidei, & morum titubantium in illo regno, & alibi per mundum publicatas, & ſolemniter prædicatas fuiſſe.* Teſtatur etiam Cardinalis Turre remata Greg. XI. & poſtea Vrbanum VI. magnâ præmiſsâ examinatione per graviſſimos & diligentiſſimos Commiſſarios infra citandos *comperiſſe revelationes omnes S. Birgittæ ad utilitatem legentium ſeu audientium pro ſaluberrimo fidelium dogmate in Sancta Eccleſia Dei in perpetuum cum devotione & reverentia ſtudioſius eſſe obſervandas. Quamobrem*, inquit, *plures Principes & Nobiles Romam venientes, & alii ſuos nuncios mittentes pro libris revelationum habendis, quas, poſtquàm eas inſtanter petiverant, propriis ſuis ſumptibus cum exquiſita diligentia ſcribi fecerunt, &c.* Demùm Solitarius in Epiſt. Præfat. ad l. 8. Revel. c. 6. ſpondet ſe per 7. ſigna probatu-

Teſtimonia de utilit. revelation. S. Birg.

rum, *Viſiones illas non ſolùm à Deo infuſas, verùm & datas fuiſſe præfatæ Dominæ ad informationem & utilitatem totius corporis Eccleſiæ, & directionem omnium electorum.* Quod & Doctè & Theologicè complet.

§. XV.

Quam approbatæ & commendatæ fuerint à ſummis viris revelationes B. Birgittæ.

266. Circa perſonam Birgittæ diſcutiendam, ſicut & Catharinæ, nihil duxi dicendum, quandoquidem utraque ſuæ ſanctitatis teſtimonium habeat ab Eccleſia: ideò accedo ad quartam regulam, ſub qua tot probatiſſimorum virorum approbationes & ſubſcriptiones de veritate revelationum S. Birgittæ ſubjungo, ut nullus poſſit eſſe protervæ mentis, qui vel leniter eos poſſit falſitatis inſimulare. Omnes quas habuit, ipſa teſte, l. 4. c. 73. & in regula Salvatoris, examinatæ ſunt à pluribus ſpiritualibus Viris, & ſigillatim prout eas recipiebat, diſcutiebantur à Patribus ſuis confeſſariis, quibus eas detegebat, quas illi factis non modicis experientiis, & diligentiis, quas Turrecrem. c. 1. refert, adhibitis, judicârunt à Spiritu S. proveniſſe. Prætereà publicè, ut refert Solitarius cit. c. 6. primo in regno Sueciæ diligenter examinatæ fuerunt per Prælatos ac viros ſpirituales, & Magiſtros in Theologia, per quos determinatum fuit, gratiam illam divinam fuiſſe, & à Spiritu S. divinitùs conceſſam, unde & Epiſcopi illius regni ad Concilii Baſilien. Patres teſtati ſunt, credi ab ipſis eas divinitus Beatæ fœminæ oſtenſas fuiſſe.

Revelationes S. Birg. quam examinatæ, & probatæ, ab Epiſcopis, DD. Summis Pontificibus.

Secundò, in civitate Neapoli coram Archiepiſcopo, tribus magiſtris in Theologia, & aliis pluribus peritis viris, præſente hoc ipſo Dominò Solitario; & ibidem denuò gratia iſta fuit approbata, imò, ait Epiſcopus, quædam revelatio, quam tunc ipſa Domina Birgitta habuit, & eis præſentavit per unum dictorum magiſtrorum ex præcepto Dominæ Reginæ & Archiepiſcopi coram toto populo civitatis, ad hoc ſpecialiter vocato, fuit in Eccleſia Cathedrali publicata, & ſolemniter prædicata.

Tertiò, ut habet Turrecrem. cit. ipsâ poſtulante Romæ ab Archiepiſc. Vpſalenſi, tribus Epiſcopis, & Abbate quodam religioſo & D. Alphonſo olim Epiſcopo Giennenſi, *Qui* (inquit Cardinalis) *ſuper his matura deliberatione, & tractu habito eas non à deceptore Spiritu, ſed à Spiritu S. procedere concorditer concluſerunt.*

Quartò, anno Domini 1377. jam ipsâ defunctâ Greg. XI. eas aſſignavit & commiſit examinandas circumſpectiſſimis & peritiſſimis viris, Dominis Cardinalibus & magiſtris ſubſequentibus, videlicet Cardinali Montis Majoris, Cardinali de Agrifolio, & Card. 267.

de

de Luna, item Dom. Martino de Salva V. I. D. & Archiepiſcopo Lampiolanenſi Referendario Papæ, magiſtro S. Palatii Ordinis Prædicatorum in Theol. & etiam magiſtro Ioanni de Hiſpania Theologiæ item magiſtro, qui fuit coram ipſo Gregorio, in conſiſtorio generali, præſente Collegio Cardinalium, & univerſo Clero Curiæ Romanæ, prima propoſitione ſuper Canonizatione B. Birgittæ, ac Dom. Alphonſo Epiſcopo quondam Giennenſi; *Quibus inſpectis* (inquit Turrecrem.) *& cum omni diligentia ſæpius tranſcurſis, attenteque intellectis, cum nihil in eis reperiri potuit reprobum, aut ſuſpectum, aut orthodoxæ noſtræ fidei diſſonum, vel adverſum, ſed totum quidquid in eis continebatur Domini extitit veritate conſpicuum, & ſanctitate præclarum*, plenum perlucidum, atque perfectum.

Quintò, anno Dom. 1379. ab Vrbano VI. præcitati Gregorii immediato ſucceſſore, juſſæ fuerunt examinari, non quòd inanem aut diminutam ſenſerit diſcuſſionem illam à Gregorio factam, aut quæ fecerit, inania, aut irrita putarerit, ſed quia (inquit Turrecrem.) ex natura proceſſus ſeu debitæ conſecutionis Canonicationis, propter Commiſſarios, quibus ad integrum conſtare debuit, & decuit primordialiter de geſtis, & vita prænominatæ Dom. Birgittæ, ritè ſic exegit, ut fieret: *Commiſit ergo eas*, ait Turrecrem. *valentiſſimis viris, magnis mundi luminaribus, Dominis & magiſtris in Theol. Cardinali Corſienſi, Card. de Anglia, Card. de Vrſinis, &c. Item Epiſ. Vbivetano qui fecit propoſitionem ſecundam de canonizatione hujus ſanctæ coram Vrbano in conſiſtorio publico, D. Ioan. de Ligario Excellentiſſ. V. I. D. & aliis multis Theologis & Doctoribus*, quos ibidem refert & nominat Turrecrem. *A quibus*, inquit, *compertæ ſunt eſſe authenticæ, veritate plenæ, & à Dei Spiritu veraciter edoctæ.*

Sextò. Bonifacius IX. in Bulla qua ipſam canonizavit, ſe alias probationes feciſſe teſtatur, eaſque veras eſſe comperiſſe, ac revelationum multas effectu completos fuiſſe, ipſe ibidem refert. 268.

Septimò Hoc idem iiſdem Bonifacii verbis, litteris ſuis inſertis, teſtatur Martinus V. & eam indubitanter pro Sancta tenendam judicavit.

Octavò. tandem in Conc. Baſilien. adhuc ſub Eugenio VI. antequam ab ejus obedientia omnino deflexerit, examinatæ fuerunt ab ipſo Turrecrem. tunc Apoſtolici Palatii magiſtro, aliiſque Theologiæ Profeſſoribus, per ipſum Concilium ad hoc deputatis. Quam verò ſententiam & approbationem dederit, quàm bene ſenſerit de eis, ipſe Turrecrem. refert in fine ſui Prologi; præclaræ fæminæ & revelationibus ejus per plura capita ejuſdem Prologi, accommodans verba illa Iudith. 8. *Omnia, quæ locuta es, vera ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis ulla reprehen-*

prehenſio. Et c. 1. in fine illud 3. Regum 17. *Verbum quidem Domini in ore tuo verum eſt*.

Publicas has veridicas & authenticas Approbationes ſigillatim, & ſuo ordine retuli, omittens aliorum particularium, ſed egregiorum virorum teſtimonia de veritate harum revelationum, quorum quædam videre licet eiſdem præfixa, & in variis notulis Gonſalvi Duranti ad eaſdem. Cùm ergo tantorum Pontificum, imò & generalis Concilii, tunc legitimi Baſilien. & Coſtantienſis etiam (ſi credamus Antonio Cordubæ, & Alphonſo Mendozæ) authoritate hæ examinatæ fuerint & approbatæ, non parvâ caret temeritate, nec levi afficiendum eſt notâ, quod Cajetanus de his aſſerit, dum eas phantaſias, figmenta, ac muliercularum deliria vocat, cujus verba ut temeraria, malè ſonantia, aliiſque adjectis cenſuris reiiciunt plurimi, qui poſt eum de hac materia ſcripſerunt.

Præter hanc tantorum virorum approbationem, non invalida, aut inermis mihi eſt illa, quâ ipſæ hæ revelationes ſe invicem approbant. Nam ut Bonifacius IX. & Martinus V. in Bullis Canonizationis, & poſt illos Michael de Medina & Nicol. Sanderus, ſibi ſuppoſuerunt tamquam argumentum non infirmum ad ceteras ſeu omnes Birgittianas pro certis & veris, reputandas, ſcilicet, quaſdam illarum eventu, vel effectu completas fuiſſe; ita ſimiliter mihi ego perſuadeo, veritatem iſtarum viſionum, ſeu toties revelati myſterii Conceptionis immaculatæ. Nihil enim tam veracem, aut verum mortalium quemquam apud homines reddit, quàm quæ aliàs prædixerit ipſo ſucceſſu videre comperta. Rectè certè Tertull. Apolog. adv. Gent. c. 20. ex veritate revelationis deducit eſſe divinam, & ex adimpletione quarumdam, rectè & certè probari dicit veritatem aliarum, quæ in ſimul, vel etiam eidem perſonæ factæ ſunt. *Idoneum*, inquit, *opinor teſtimonium divinitatis, veritas divinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta eſt, jam ſcilicet probatorum, quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eædem voces ſonant, eædem litteræ notant, idem ſpiritus pulſat.* Hac ipsâ tamquam fortiſſimâ ratione uſus eſt Auguſtinus ad probandum futurum diem judicii. Poſtquam etenim alia plura, quæ revelata ac prophetata, & opere repleta ſunt, recenſuit, addidit; *Sic & dies judicii nondum eſt, ſed quia prædictus eſt, implebitur. An fieri poteſt, ut qui in tantis verax apparuit, de die judicii mendax ſit?* Non diſſimiliter dicam, ſi eodem modo inferam, hanc de qua dubitandum voluerunt adverſarii revelationem veram eſſe. Nam quæ in aliis tot rebus prophetatis, & revelatis ipſarum eventu vera apparuit, numquid in revelato, & prædicato excellentiſſimo de MARIA Virgine en-

encomio mendax erit? Quæ in aliis revelationibus verè, & ſanctè profata eſt, & prophetata numquid ſolùm in iſta falsò loquuta eſt, vel turpiter decepta? &c.

§. XVI.

Quod adverſarii de B. Catharina objiciunt, declaratur revelationem non eſſe.

270. PRimò ponderandum judico, quòd extra Religionem adverſariorum, nec à pluribus hæc admittatur opinio, nec Sanctis aliis quibuſcumque hæc fiat revelatio. Altera pars indiſcriminatim, & ſine ulla ſuſpicione falſitatis aut fictionis pleriſque facta eſt, tam Franciſcani inſtituti, quam aliorum Ordinum, & communis vitæ Viris. Soli fœminæ Dominicanæ contrarium ſupernè dicitur revelatum.

Contemporanei S. Catharinæ, familiares, ſcriptores vitæ nil habent de maculoſa Concept. B. V.

Secundò, S. Catharina ſecundùm Sanctorum conſuetudinem, & Sanctarum fœminarum (quæ ſibi de ſpiritu illuſore in hujuſmodi viſionibus, & doctrina revelata, prudenter timent) nihil prætermiſit, vel admiſit, quin ſtatim illud ſtricto examini ſui confeſſarii ſubjiceret, nihil non ſuis Fratribus expandit. At ſi expandiſſet mirum eſſet. *Imo & miraculum* (inquit Ambroſ. Catharinus Ordin. Præd.) *quod illi rem hanc prætermiſiſſent ad fulciendam opinionem ſuam; qui, & quæ ſunt, & quæ non ſunt, undique excavarunt, & collegerunt ad hoc ipſum.* Sed nec illi qui B. Catharinæ fuerunt familiares, nec qui cum ea vixerunt, nec coævi ejuſdem vitæ ſcriptores, qui tamen in vita ejus deſcribenda minutiſſimas res obſervârunt, nec ullum ſanctæ fœminæ aut devotionis ejus actum prætermiſiſſe videntur, de hujuſmodi revelatione vel verbum fecerunt. B. certè Raymundus Capuanus ejus facta geſtaque diffuſius conſcripſit: ejuſdem vitam. Hiſtoriamque largè contexuêre Frater Thomas Sen. & Frater Stephanus Carthuſian. è quibus eam decerpſit Surius, appoſuitque ad 29. Aprilis, & nihil ejuſmodi in ea meminerunt. Revelationes ejus diligentiſſimè collegerunt prædictus Stephanus, dum ejus eſſet amanuenſis, & alii, hanc verò non adinvenerunt. De revelationibus ejuſdem ſeparatim per ſe extat libellus, & ſupra citata & prætenſa revelatio non habetur, ſed ſolùm inter orationes illius ſeponitur n. 16. Iudicandum ſane vel credendum illos tempori B. Catharinæ viciniores, æquius, rectius, & ſine paſſione liberius judicâſſe, verba ſanctiſſimæ fœminæ ſuperius citata, non pro doctrina à Deo revelata, ſed pro ſermocinatione ſimpliciter in oratione, ſecundùm quod à ſuis audierat, prolata, indubitanter habenda. S. Antoninus cum ageret de revelatione quadam facta B. Eliſabethæ Hungariæ præclariſſimæ Principi, & quam Greg. IX. Sanctis annumeravit;

Ambr. Cath. l. 1. de Conc. B. V. in expugn. ult. art.

271. S. Catharina in ſua Imaginatione potuit falli ſicut S. Eliſabeth.

ravit;

ravit;qua quidam volebant illi cælitus dictum fuiſſe Virginis MARIÆ corpus poſt ejus mortem per quadraginta dies in terra remanſiſſe, idque præclaro viro, & in Virginem propenſo durius videretur,& magis novum,quàm quod contra multorum Doctorum ſententiam de celeriori Virginei corporis Aſſumptione fidem meretur adjunxit, *nec propterea detrahimus ſanctitati ejus, quia non ſemper, quæ Sancti viderunt in Spiritu, eadem ut Prophetæ viderunt, ſed juxta ſuas mente conceptas imaginationes.* Non ergo injurii erimus nos in hanc præclaram Virginem, nec ejus detrahemus ſanctitati, ſi ſimiliter dicamus, eam protuliſſe ſimpliciter in oratione opinionem ſuam, quam cum ſui Ordinis viris, omninò veram, & certam, humanis tantum rationibus & perſuaſionibus inducta, putabat. Potuit facilè hac in re,qua de Theologica quæſtione naturali, non divino lumine præeunte, diſſerebat, errare, quod humanum eſt. Quod ita accidiſſe judicant multi ex his, qui datâ operâ de ejus verbis pertractant. In oratione autem ſeu collocutione illam ex propriâ ſententiâ verba illa effudiſſe, non cæleſtem revelationem habuiſſe, ſententia eſt multorum S.Theol. Doctorum, Martini del'Rio Ieſuitæ l. 4. mag. diſquiſ. q. 1. ſect.4. ad fin. Ambroſ. Cathar. Dominic. ſupr. cit. Ægidii Luſit. Auguſtiniani l. 3. de præſervat. Virg. q.6. art. 4. §. 2. n. 14. Ioan. Bapt. Lezanæ Carmelit. in ſuo Apologet. pro immac. Concept. c. 10. Antonii Cordubenſ. Franciſcani l. 1. qq. Theol. q. 44. §. etiam quod ibidem verſ. vel fortè, & aliorum.

Anton. 3. p. tit. 19. c. 11. fin.

Tertiò. Sed nec collocutionem aut orationem iſtam Sanctæ Catharinæ tribuendam eſſe volunt alii, dum alio non convincantur fundamento vel ratione, quàm quòd Cajetanus, & alii perpauci ejuſdem ſodalitii homines, id retulerint ex D. Antonino, qui ſolus & primus revelationem hanc, neſcio à quibus, accepit, vel quibus ex angulis, vel ſchedulis eruit, & poſt ſcriptam D. Catharinæ vitam offendit, ſive adinvenit. Omne ergo teſtimonium, & ſi quod eſt hujus orationis credendæ fundamentum, ad Antoninum eſt reducendum, cum hi alii, qui hanc ex eo nobis objectant, nullum aliud ſuppeditent, nec aliam mereantur relatores alienæ Hiſtoriæ fidem, quàm quæ illi, qui eam primus concinnavit, & quem poſteriores citant, debetur. Quanta verò in hac, vel in aliis Hiſtoriis tribuendo ſit huic Sancto Hiſtoriographo, ſcire poſſumus ex 3. illarum regularum, quas ſtatuit Melchior Canus, quibus Hiſtorici cujuſque fides ac veritas exploretur. Illa autem hæc eſt, *Quod, qui ſolo auditu, vel per opiniones ſcribunt, nec tamquàm privati recipiendi ſunt, niſi ubi à publica fide non diſſentiunt.* Quantum autem in multis, præcipuè in hoc, à publica, & communi fide diſſentiat Antoninus, plerique 272.

S. Antoninus nimis facilis fuit ad quidlibet congerendum in ſuam Hiſtoriam.

Canol 11. de locis c.6.

que ſcriptis ſignârunt. Illum verò ſolo auditu, vel per opiniones, vel leviuſculis ex fundamentis, conjecturiſque multa ſcripſiſſe, ſeu Hiſtoriam ſuam contexuiſſe, ipſe idem teſtis eſt Cano, qui liberè de eodem, & Vincentio Bellovac. hanc dedit cenſuram. *De Vincentio Bellovacenſi, & Divo Antonino liberius judico, quorum uterque non tam dedit operam, ut res veras certaſque deſcriberet, quàm ne nihil omninò præteriret, quod ſcriptum in ſchedulis quibuſlibet reperiretur. Ita ad Hiſtoriam unamquamque æſtimandam, momentoque uno ponderandam, non artificum ſtaterâ, ſed ne populari quidem trutinâ uſi ſunt. Quamobrem boni licèt ac minimè fallaces viri, quia tamen nec authores eos, à quibus ſuos ſcripsêre libros, diligenter examinârunt; nec res juſtis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud Criticos graves, atque ſeveros, authoritate carent. Hiſtoricus autem qui Theologiæ decreto probandus erit, nec omnes ſchedas, lectione etiam indignas, excutiet, nec anilibus fabulis accommodabit operam, nec prius lecta auditaque deſcribet, quàm ea prudenti accuratoque judicio expendat, ac ſeligat.* Similiter fermè de Antonini opere Hiſtorico teſtatus eſt Antonius Poſſevinus in ſuo Appar. dum dixit: *Antoninus non pauca corrivaverat in ſuos labores, quæ ſine dubio, ſi apud nos viveret modò, elimaret; & cùm in cœlis beatiſſimâ luce fruatur, haud dubium quin percupiat ſua recognoſci, & puriora, quàm olim erant, tractari.* Qui & plura de ejus incuria, de ſeligendis, & examinandis authoribus advocavit. Aliud ſubnecto de controverſâ, & ſubjectâ materiâ Antonii Cordubenſ. judicium, quo, quantum Antoninus aliorum rumoribus, & fabulis deferebat, (quod in ea Canus carpebat) facilè videatur: *Dominus*, inquit, *Florentinus in ſuo Hiſtoriali, dum ejus* (videlicet D. Catharinæ) *vitam perſtringit, nihil ejus rei meminit, niſi quod in vita Sanctæ Birgittæ, id quòd ferebatur à fratribus ſuis Dominicanis de Beata Catharina, oppoſuit, contra illam revelationem Sanctæ Birgittæ: nihil tamen producens certum, niſi rumorem quorumdam, quo id confinxerunt.* Graviores in tanti Viri Hiſtoria errores, & leviorem, quàm deceret, diſcuſſionem adnotavit Petrus Maturus Gallus in Epiſt. Dedicatoria ad Magiſtrum generalem Prædicat. & notis ad S. Doctoris opus. Nolim ego ex his tantorum hominum teſtimoniis inferre, Antoninum, quippe Sanctum, quidpiam in hac re finxiſſe, vel imponendi libidine ſcripſiſſe; eo tamen aſſerere licet vitio laborâſſe, quod plus æquo, quorumdam rumoribus deferebat, & res plurimas ſine delectu & ſeveriori examine, hinc inde ex quibuſdam authoribus, qui non ita accuratè veriores Hiſtorias deliberaverant, collegerit, & ex ſchedis, & chartis, lectione indignis, multa accumulârit.

Idem ibid. Melchioris Cani judicium de S. Antonino.

Iudicium Antonii Poſſevini de Hiſt. S. Antonini.

Antonii Cordubenſis judicium de S. Antonino, referente revelationem S. Catharinæ.

Quartò. In hunc ergo adeò dubiæ authoritatis (Cano ipſo Dominicano judicante) Hiſtoricum tota revelationis prætenſæ autho- 273

Digitized by Google

ritas & fides reſolvitur. Quare nec tantopere admirer graves & doctos eſſe viros qui prætenſam hanc revelationem nulla gravi authore, vel firmo aſſertore dignam, nullo ſolido fundamento ſtabilitam, aut ratione commendatam penitus & liberè rejiciant, ac confictam excogitatamque dicant ab aliquibus maculatæ Conceptionis fautoribus, ut contrarium revelationum minuerent authoritatem, & revelationem haberent, quam revelationi opponerent. Ita præter alios Franciſcus Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 1. §. *tertio augetur*. Gabriël Vaſquez tom. 2. in eamdem partem diſput. 117. c. 5. num. 80. Ægidius Luſit. cit. ſup. Iacobus Granudo diſp. 3. de eſſentia peccati & juſt. orig. c. 13. in fin. Anton. Cordubenſis citatus, qui varios attingit modos hanc revelationem refellendi, idem habet ſupra cit. Ambroſ. Catharinus, dicens ſe vidiſſe varios Codices, variè ſuper hac re ſe habentes. *Quare*, inquit, *mihi merito inceſſit ſuſpicio, quod zelator quidam paternarum traditionum caudam illam orationis, malè ſuperioribus cohærentem, & variè etiam in variis libris ſe habentem (ſi rectè memini) contuliſſe de ſuo. Quod & indicet frivolæ illius, & ſatis jam confutatæ rationis* (de qua & nos ſtatim) *adjectio. Credo enim ut haberent noſtri, quod contra Beatæ Birgittæ revelationes afferrent, ut eas ſaltem hac via obſcurarent, interim ejuſmodi confictè oppoſuerunt, & ut proprium eſt famæ, quæ ſemper vires acquirit eundo, addiderunt. Quod tamen nuſquam legitur ex ejus ore teſtatum, quod ipſa ſimiliter habuit ex revelatione; quibus parcat Deus.* Hæc ait Ambroſius Catharinus, hocque ejus judicium de illa orationis calce: *Tu ſcis Domine, quia iſta eſt veritas*, quam per illud verbum ſubjunxit, adglutinârunt ceteræ orationis parti. His ultimis verbis voluerunt fidem veritatis revelatæ comparare eis, quæ ſanctam Virginem in oratione dixiſſe prætendunt. Nihil verò minus obtinuerunt, dum è contrario his ſuperadditis, & orationi fidem ſubtrahant, & fictæ ſuſpicionem ingerant. Quis enim vidit aliquando ita finiri orationem quampiam? Nec certè inter eas, quæ illius B. Virginis circumferuntur aliquam ita terminare teſtantur, qui eas percurrerunt, nec per ſimilia verba ſolet veritas doctrinæ revelatæ declarari. Etenim qui alicujus Myſterii revelationem accepit, ita de veritate rei revelatæ divino teſtimonio internè certificatur (ut rectè advertit citatus Ægidius) ut non pendeat ab extrinſeco divinæ ſcientiæ teſtimonio, ut illud ad confirmandam veritatem ejus rei, de qua loquitur, imploret. Et lepidè ſanè nec immeritò, graviſſimus & Doctiſſimus quidam Præſul, de his verbis dixit (quod & apud Catharinum citatum offenditur) tantum abeſſe, ut per illa videretur hæc do-

Revelatio maculoſæ Concept. ut conficta rejicitur.

Digitized by Google

doctrina à Domino Deo huic Sanctæ revelata, ut potius illa videretur eam Domina revelare, & vellet hoc eidem perſuadere. Hoc tantorum hominum de hac re judicium.

§. XVII.

Ex regulis diſcernendarum revelationum, maculatæ Conceptionis revelatio rejicienda venit.

274. QVæ hujus (ut à prima incipiamus) cum S. Scriptura conformitas? dum jam oſtendimus contrariam locis S. Scripturæ, ſpecialiter de Beata Virgine intellectis, cohærere. Et ſi Oecumenicum Conc. Trid. vel Spiritus S. per illius Concilii Patres noluerit eam ſub regulis communibus, de peccato originali ſtatutis, comprehendere; quis audebit deinceps dicere eam ſub iiſdem contineri? Non ſufficit ut dicamus hanc revelationem Scripturæ eſſe conformem, quòd aſſignentur loci univerſales, in quibus omnes peccatum dicantur originale contraxiſſe. Neceſſe eſt, ut etiam non contradicat aliis particularibus locis, in quibus, vel litteraliter, vel myſticè, ſed ſecundùm multorum Patrum & Doctorum expoſitionem, Virgo Deipara prædicatur ab eodem præſervata.

Revelatio maculoſæ Conc. non eſt conformis S. Script.

Genuina eſt illa explicatio Scripturæ authoritatis, quæ aliis ejuſdem locis non contrarietur. Non eſt ille verus modus ſacram Scripturam explicandi, ita nudè & durè dictum al quod aut ſententiam explicare, ejuſque litterali ſenſui ita jejunè inhærere, ut nulla habeatur ratio ceteræ partis ejuſdem S. Paginæ, ſive bene cohæreat cum iſta expoſitione, ſive manifeſtè illi contradicat. Vtrumque locum ſubtili & docta explicatione concordare neceſſe eſt, ne dum noſtris explicationibus tenaciter inſiſtimus in Sacra Scriptura contrarietatem, aut mendacium fateri cogamur. *Errant certè homines* (inquit doctiſſimè Auguſtinus) *non ſervantes in hac re modum, & cùm in unam partem procliviter ire cæperint, non reſpiciunt divinæ authoritàtis alia teſtimonia, quibus poſſint ab illa intentione revocari, & in eâ, quæ ex utriuſque temperata eſt veritate, ac moderatione conſiſtere.* In explicatione locorum generalium de contractione communi peccati originalis loquentium, non eſt ita procliviter in unam partem obeundum, ut non reſpiciantur alia divina authoritatis teſtimonia: ſed neceſſariò ex iſtis, & particularibus illis de Virgine intellectis, quæ ſupra propoſuimus aliiſque quæ omiſimus, (ſed Doctores de eâdem intelligunt) temperata ac moderata veritas eſt haurienda, ita ut illa de debita affirmativè, hæc verò de contractione actuali negativè explicentur. Qua ratione, & quæ cõtraria videbantur, conciliantur, & tanto Virginis honori, ſecundùm

Digitized by Google

ipſius Scripturæ ſenſum, optimè cavetur. At qui revelationem hanc ſolum cum illis generalibus regulare voluerit, nec alia loca conciliat, nec ſe Scripturæ, vel ſaltem Concilii Patribus conformare videtur, dum jam ſub illis (ut dixi) noluerint Virginem MARIAM comprehendere.

Quòd ſi protervierit, & durius inſtiterit in dicendo S. Scripturæ eſſe hanc revelationem conformem, laboret quantum potuerit, & ad ſudorem uſque, ſi placuerit, decertet, apud cordatos noſtri ſæculi viros, Scripturæ interpretes, Theologiæ peritos, qui livore aut paſſione non ducantur, oleum certè perdet, & operam. Putet demum ſe aliquid aſſecutum, numquid conformem dicet hanc revelationem traditioni aut inſtitutioni Eccleſiaſticæ, quas manifeſtè & certò videt, & fatebitur ex dictis & ipſius Eccleſiæ declaratione, aut cultu tendere in contrarium?

Traditio Eccleſiæ eſt contra maculoſam Concep.

275. Maculatæ Concept. revelatio pugnat cum utilitate Eccleſiæ.

Quantum autem deviet à 2. Regula judicabunt omnes, qui noverint, aut jam audierint, quot excitavit tumultus & ſcandala in diverſis regnis opinio maculatæ Conceptionis Vnde revelatio, quæ hinc commendat doctrinam, nullam utilitatem ſpiritualem Eccleſiæ poteſt conferre, aut conducere fidelium devotioni, quæ turbulentos motus toties excitavit in Gallia, quæ tot lites generavit in Hiſpania, quæ tot diſſidia ſeminavit in Aragonia, quæ in ſui commendationem horrenda excogitavit ſacrilegia in Helvetia, quæ odium & inimicitias inter multos peperit in Italia, quæ religiones arctiſſimo conſtrictas amoris vinculo diſſociavit, quæ publico & notorio per orbem ſcandalo, tandem compulit Chriſti Vicarium Paulum V. ut eam ab Eccleſiæ pulpitis, Academiarum cathedris relegârit, quæ populos horrore concutit, aures perterret, &c. Author Hiſtoriæ Legationis Philippi 3 Regis Hiſp. ad Paulum V. in ſuâ Hiſtoriâ (ex quâ noſtra de revelationibus deſumpſimus) habet integrum tractatum ubi ſupra de ſcandalis, &c. orat. 11. tract. 12.

Dominicus à Soto Ord. Prædic. cùm ei incidit occaſio de hac controverſia tractandi, ſuique Ordinis ſententiam inculcandi, dum illa verba Pauli ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt*, explicaret, ſuiſque commentariis illuſtraret, noluit de hac re diſputationem inſtituere. *Abſit*, inquit, *ut ullum hic verbum faciam de ſacratiſſimâ Dei Genitrice* MARIA, *utrum videlicet hâc ſententiâ Pauli concludatur, nec ne? Nam etſi Concilium Tridentinum, Decretum Sixti innovando, libertatem fecerit ſentiendi in utramque partem; eſt tamen exceptio Virginis ab hac univerſali ſententia Pauli uſque adeo celebris, non modo intra plebes, ſed etiam intra bonos Doctores, quales præcipuè ſunt illuſtriſſimi Pariſienſes, ut ſi qui hanc ſibi exceptionem perſuadere non poſſunt, ut cui Paulus refragari*

Digitized by Google

gari videatur, haud tamen debeant publicitus talem prodere diſputationem, adeò id abſque odio & invidia nequeant facere. Quod & alius ejuſdem inſtituti vir omnium calculo doctus Melchior Cano l. 12. de locis c. 11. brevius & clarius perſtrinxit, dum dixit, quòd auditâ hâc ſententiâ vulgus ſine dubio perſtringitur, percutitur, torquetur.

276. Circà 3. Regulam ſcilicet, perſonæ qualitatem, nihil duxi dicendum, ideò ad 4. accedo. Sub quarta regula (inquit Author præfatæ Hiſtoriæ Legat. Reg. Hiſp. ad Paul. V.) ſatis laboravi & inveſtigavi ut aliquem offenderem, vel invenirem, qui vel modicè hanc mihi approbaret revelationem. Solos ex Adverſariis quoſdam inveni, eoſque paucos, non qui eam approbaverint, aliquo adhibito, vel præmiſſo examine, ſed qui ſimpliciter eam referant, & alteri contentiosè opponant. Nulla publica facta eſt hujus, qua tantumdem opus habet, per tot annos diſcuſſio, aut publicum examen, per quod cogeremur ei fidem quantumcumque infirmam adhibere. Nullus eam Pontifex, nullum Concilium, nullum grave tribunal examinandam doctis commiſit viris, quorum ſententia pro vera judicaretur. Nec vidi, nec ſenſi. Nullum miraculum, vel cœleſte evenit prodigium, quo cœlitus confirmaretur. Nullum; quantumvis contrariæ tam patentibus, & veris ſint obſignatæ, & revalidatæ prodigiis.

Revelatio maculoſæ Concept. numquam fuit diſcuſſa ſed ſimpliciter revelata paucis ex Antonino.

At ego ab ipſo Cajetano, magno hujus revelationis præcone, accepi nullam admittendam eſſe revelationem gravem circa rem aliquam toti Eccleſiæ communem, vel in ea univerſaliter prædicandam, niſi ſpeciali Scripturæ teſtimonio, vel aliquo miraculo confirmetur. Sed nec ſpecialis Scripturæ locus, qui ſpecialiter de Maria (ab humanis fæcibus, & culpis ſemper excipienda) intelligatur, hanc prætenſam revelationem confirmat, nec miraculo aliquo cœlitus eſt comprobata. Cùm igitur nulla eſt vel cœleſtis, vel humana gravis approbatio, quis eam approbatis audeat præferre, aut dicere propter illam, alias contrarias, quæ toties approbatæ ſunt, eſſe reſpuendas? Pro illa B. Catharinæ, nec ſingulare aliquod hominis cujuſpiam ſinceri, ac candidi, à ſuſpicione liberi, circumfertur teſtimonium, qui eam vel leviter approbet. Pro his aliis, eſt præter jam recitatas, totius Eccleſiæ approbatio, & communis omnium conſenſus, ita ut juſtè & graviter ſit reprehendendus, qui illas velit irreligiosè reprobare.

Hinc ergo manifeſtum eſt, ſingularem hanc & ſuſpectam rejiciendam eſſe, & illas B. Birgittæ, & quæ cum illis cohærent eſſe admittendas. Quod dum fiat, nullus eſt error timendus, nullum erirrandi periculum, quod longe abeſſe ait Auguſtinus; *Cùm hoc facimus*, 277.

277. Prætenſa revelatio maculoſæ Concept. rejicienda.

Aug. l. 4. contr. Emus, reſton.

Digitized by Google

mus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ.

Illis non ſine fundamento & exemplo dixerim imminere periculum, qui eas reprobandas, vel condemnandas eſſe contendunt. Quanto ſuo malo eas quidem ex Adverſariis contempſerint, qui ſcire voluerit, legat octavum & ultimum miraculum quod refertur in fine vitæ abbreviatæ B. Birgittæ ad calcem ſuarum revelationum, & vitam ejus à Surio relatam. Circa alios plura & magna referuntur in vita ejus præcitata, & lib. 6. Revel. c. 9. & 92. Divinæ ultionis miracula, & non contemnenda cœleſtis animadverſionis ſigna in eos, qui has revelationes ita facilè floccipenderant. Vnde non ineptè ſed ſanè conſuluit Epiſcopus Giennenſis c. 6. ſui Prologi ad finem; *Vt circa has revelationes cedat temeritas, ſuſpicionis fallacis ſpiritus, ac detractio ſuperba, & invidia ſtulti judicii, & detur locus gloriæ, & gratiæ Dei, quæ tanto major eſſe dignoſcitur, quanto ignorantiæ & modicæ fidei noſtræ videbitur incredibilior.*

§. XVIII.

Immacul. Concept. confirmatur Miraculis.

278. VEnio ad miracula, quæ juxta doctrinam Scoti in Prol. 1. Sentent. q. 2. præcipuè à Deo fiunt, ad inducendum homines, ut credant ea, quæ credere tenentur, & ad quorum notitiam naturaliter pervenire non poterant. Hujuſmodi v. g. fuit qualitas Conceptionis B. Virginis, quæ, etiamſi ad res fidei non ſpectet, de illius tamen præſervatione à peccato originali certa ſcientia haberi non potuit, niſi per revelationem, aut per miracula.

Inſignis Doctor Ioannes Americius in ſerm. de Concept. B. V. quem coràm Sacro Concilio Tridentino habuit, refert plures Concionatores in graves morbos incidiſſe, alios mortem obiiſſe, propterea quòd contra immaculatam Virginis Conceptionem concionati fuerant. Maculoſæ Concept. prædicatores divinitus puniti.

Doctor Illuminatus, Franciſcus Mayro ſerm. de Concept. B. V. refert quòd cuidam magiſtro, volenti publicam concionem habere contra immaculatam Virginis Conceptionem, ipſa Virgo apparuit dicens: *O magiſter, quid ego umquam tibi feci, quia hoc mane vis contra meum honorem prædicare?* Quo audito ille revocans ſententiam, immaculatum Virginis Conceptum Pariſienſi civitati annuntiavit. *Ioan. Carthag. ſerm: de Conc. B.*

Pelbart. in Stallar. l. 4. p. 2. a. 3. narrat, quòd frater quidam poſtquam concionem habuit ad populum Toloſæ contra immaculatam Virginis Conceptionem, acceſſerit ad celebrandum miſſam in altari S. Michaëlis ubi pulchra erat Imago B. Virginis, in lapide ſculpta marmoreo, illa, velut irâ percita vultum ſuum retro convertit, Imago avertit faciem à prędicante maculoſam Concep.

Digitized by Google

tit, in cujus rei memoriam uſque in hodiernum diem in noſtro Conventu Toloſano facie retrò converſâ perſeverat illa imago. Quo miraculo ſtupefactus frater ille, & cæcus factus, continuò votum emiſit revocandi, quæ dixerat, & ex Virginis clementia ſanatus eſt.

Alexander Alenſis morbo affligitur dum parat docere maculat. Concept.

Plures Authores probati (apud Hug. Cavellum in Roſario B. V.) referunt Alexandrum Alenſem miraculosè ab altera ſententia (immaculatæ Conceptioni Virginis contraria) mutatum eſſe, morbo quodam ipſum graviter vexante, quoties Virginem in peccato conceptam docere parabat: donec tandem ipſum in oppoſitam opinionem impulit, pro quâ ſcripſit librum in illa verba Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te:* MARIA *Domina mea, tota pulchra es & formoſa, & macula originalis, aut actualis peccati in te numquam fuit.*

279. Ferdinandus Rex pius ad immac. Conc. B. V. victoriam reportat.

Cùm ſereniſſimus Rex Catholicus Ferdinandus multos annos elaboraſſet pro capienda inclyta & inexpugnabili urbe Granatenſi, tandem ad puriſſimæ Virginis adjutorium fugiens, vovit cum ſereniſſima conſorte Iſabella, ſi eis de prædicta urbe victoriam præſtaret, primum illius civitatis templum in honorem ſuæ immaculatæ Conceptionis conſecrandum, quo emiſſo voto glorioſam de hoſtibus victoriam reportârunt an. 1492. Ant. Balinghem in kalend. B. V. 2. Ianuarii.

Cùm in civitate Aquilina R. P. F. Bernardinus de Feltris Ord. min. prædicaſſet, atque populum hortatus fuiſſet, ut in tribulatione B. Virginem deprecaretur, ut eum liberaret ad reverentiam ſuæ immaculatæ Conceptionis, quædam mulier finitâ prædicatione ad domum reverſa, invenit puerum ſuum cum gladio in manu ſua. Cùm autem mater exclamaret, timens ne aliquid mali ſibi faceret, ille cœpit cum gladio aufugere. Cùm ergo curreret gladium ad pectus poſuit, & ſuper eum cecidit: quod videns mater ejus, ſtatim elevavit mentem ad B. V. M. rogans eam, ut ad reverentiam ſuæ immac. Conc. filium ſuum in tanto periculo defenſaret. Mirabile dictu! cum gladius omnes pannos dicti pueri pertranſiſſet, ſtatim ſe reflexit, acſi eſſet cera mollis, & in nullo puerum læſit. Sic Bernardinus de Buſto in Mar. ſermone 6. Conc. p. 3.

Mulier devota ad immacul. Concept. filium à periculo mortis liberat

Bern. de Buſto ſupra, retulit, ait, mihi quidam religioſus, quod in quadam terra Italiæ, dum inter duos prædicatores eſſet contentio de Conceptione B. V. quorum unus aſſerebat illamò eccato fuiſſe maculatam, alter verp Ord. minorum affirmabat ipſam immaculatam, & incontaminatam: tandem etiam inter mulieres exorta eſt altercatio. Dum autem quædam mantellata, habitu Ordinis illius fratris, impugnantis Conceptionem Matris Dei, pertinaciter tenere vellet contra Virg. Concept. una devota mulier tertii Ord. B. Franc. 280.

Mulier pertinax in ſententia maculoſæ Concept. & temeraria comburitur.

dixt

Digitized by Google

dixit ei, accendatur ignis, & ambæ introëamus in illum, & quæ ex nobis combuſta fuerit, falſæ opinionis fuiſſe comprobetur. Cum ergo ſermo ille alteri placuiſſet, utraque ignem ingreſſa eſt. Illa autem mantellata ſtatim concremata eſt; alia tertii Ord. noſtri in prædicto igne illæſa permanſit.

Mulier devota ad immac. Concept. non periclitatur in in partu.

Oroſius in ep. ad Heliodorum. Coram Deo, inquit, novi, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, ſuper quam devotè MARIÆ gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur. Vide Buſtum ſupra ſerm. 8. de Conceptione, p. 3.

Devotio ad immac. Concept. juvat ad caſtitatem.

Pater Ioannes Avila, vir noſtrâ tempeſtate inſignis ſanctitatis & prudentiæ, dicebat, plures cùm impudicitiæ vitio tenerentur captivi, à Deo propter pium affectum ad Virginis Conceptionem & Annunciationem caſtitatem obtinuiſſe. Vide Corn. à Lapide in Ezech. ubi de porta clauſa & Roderiguez. Soc. IESV tract. de caſtitate.

281. Memoria prodidit Antonius Salarius Carpinas l. de invoc. SS. & vener. Decreto Ordinis univerſi Cæleſtinorum octavam celebrandi Feſti Conceptionis inſtitutam eſſe, agente & procurante viro religioſiſſimo ac Deiparæ ſtudioſiſſimo Nicolao Pratenſe ex eodem Ordine, qui cùm id impetrâſſet, præ lætitia hortum ingreſſus, roſam omnium, quas ibi viderat, pulcherrimam, coram Deiparæ Imagine venerabundus repoſuit, illis verbis; *Mater, Mater, ſi tibi gratum fuit, quod noſter Ordo de Octava tuæ immaculatæ Conceptionis me agente conſtituit, roſa hæc rubicunda, quam tibi offero, vertente anno, recurrente hoc ipſo die, viriditatem ſuam & pulchritudinem ſervet.* Quod & factum eſt multis videntibus, ejuſque integritatem & formoſitatem mirantibus, à cujus appoſitione dies ille anniverſarius erat. Hæc Antonius ab iis, qui miraculo interfuerunt, accepta, litteris conſignavit. Nicolaus verò ſingularem ſui obſequii in Deiparam fructum retulit. Nam in juventutis flore obitus ſui die prædicto, omnibus Sacramentis piè ſuſceptis, ſanctiſſimè diem clauſit extremum. Sic apud Spinell. de Deip. tractat. de Feſtis.

Devotio Nicolai Pratenſis ad immac. Conc.

Roſa ad imaginem B. V. poſita per annum ſuum vigorem & decorem ſervat.

S. Dominicus Ord. Præd. Fundator inclytus, in tract. de corp. Chriſti, quem ſcripſit contra hæreticos Albigenſes: *Sicut primus,* inquit, *Adam fuit ex terra Virgine, & numquam maledicta formatus: ita decuit in ſecundo Adam fieri, ſcilicèt Chriſto, cujus terra, id eſt, Mater Virgo numquam fuit maledicta.* Ita referunt Cucarus in Elucid. Galatinus l. 7. de arc. c. 7. Caniſius l. 1. de Deip. c. 7. Pineda Serm. de Concept. §. 7. qui etiam cum Cucaro & aliis narrat dictum librum à prænominatis hæreticis, qui Euchariſtiam & puritatem Virginis impugnabant, in ignem conjectum, illæſum exiiſſe. Ex verbis S.

Digitized by Google

S. Dominici manifeſtiſſimum eſt B. Mariam numquam habuiſſe originale peccatum: alioquin certè aliquando fuit maledicta, quod ſanctiſſimus Dominicus, Virgini devotiſſimus, negat. Vide Roſar. de B. V. Concept. Authore Hug. Cavello ad 3. Scoti appoſitum, ſæc. 14. init.

Valdè item notabile eſt quod in Scintillis noſtris refertur, ubi de S. Iſidoro Hiſpal. Epiſc. an. 620. Nec minus mirabile quod de Scoto noſtro in Scintillis.

§. XIX.

Quam credulitatem mereatur ſententia de immaculata Conceptione B. V.

282. Credulitatis variæ acceptationes.

OBſervandum magnam eſſe latitudinem piæ credulitatis, ita quòd aliquando verſetur circa res, quæ habent ſolum pro fundamento devotam, & ferventem imaginationem, ut docuit qui proponebat in Conc. Baſilienſ. pro parte negativa, ut teſtatur Turrecrem. in ſuo Concept. l. p. 13. c. 6. & cum aliis Melchior Cano l. 12. de locis c. 11. qui prudenter ait, quod *Viri quidam pii in vita rebuſque geſtis Chriſti Domini magis comminiſcuntur, quàm contemplantur; quæ etiam ſcribunt, non tam verè & prudenter, quàm devotè & ferventer, quorum eſt interdum cæca quidem, ac temeraria in aſſentiendo credulitas.*

Aliquando etiam verſatur circa res, quæ habent fundamentum, ut pro veris credantur, vel reputentur, tamen falſæ omninò eſſe poſſunt, ut docent Gerſon Alphab. 14. litt. E. I. L. Caſtro de juſta hæretic. punit. l. 1. c. 3. & alii, & communis eſt hæc acceptio piæ credulitatis, cùm frequenter dicatur piè credi, hominem qui naturali, & non improviſa morte, ſed acceptis Eccleſiæ Sacramentis diſcedit ex hac vita, fruiturum æternâ; & qui eleëmoſynas porrigit pauperibus, aliaque exercet exteriora charitatis officia, piè credatur bonus, cùm tamen, & ille poſſit aliquando ſtridere in inferno, & hic poſſit eſſe ſceleratiſſimus.

Tertiò. Verſatur pia credulitas circa ea, quæ pietatem & devotionem fovent, quamvis nec ſint fide definita, nec ex definitis ſequantur, ut credere quòd B. Virgo viderit in Annunciatione, vel in Filii Reſurrectione, vel Paulus in raptu, clarè divinam eſſentiam.

Quartò. Circa res, quæ ex definitis eruuntur, vel communiter aſſeruntur à Doctoribus Eccleſiæ in materia fidei.

Quintò. Circa ea, quæ de fide ſunt formaliter, vel quæ ad fidem accedunt, ut dixit Divus Thomas piè credendum, errare non poſſe Pontificem in Canonizatione Sanctorum, quod quidam de fide eſſe dicunt, alii proximum fidei. Quæ variæ piæ credulitatis accep-

Vide Valent. tom. 3. d. 1. q. 1. p. 7. §. 41.

Arag. 2.2. q. 1. a. 10. tract. de ſum. Pont. dub. de canon. ſanct. &c. Cord. dub. l. 4. qq. q. 12.

acceptiones poſſunt videri apud Caſtrum cit. apud Canum, & Gerſon. etiam cit. &c. Duos latos modos pietatis vel piæ credulitatis aſſignat Ægid. Luſit. l. 3. q. 6. a. 1. §. 10. ſub quibus omnes iſtæ acceptiones à nobis aſſignatæ comprehenduntur, &c.

283. Sententia de immac. Concept. cœpit in ſcholis defendi ſub titulo pietatis.

Dico ergo primò ſententiam negativam ſtatim in controverſiæ Scholaſticæ principiis, ſub hoc titulo piæ & devotæ opinionis defendi & publicari, & hoc myſterium ſub pia & devota credulitate celebrari ab Eccleſiis particularibus cœpiſſe, ut colligere eſt ex D. Bonav. in 3. d. 3. a. 1. q. 1. ad 4. ex Scoti coævis, ex Decreto illo, licèt inefficaci, Concilii Baſilienſ. & ex c. *Cum præexcelſa* (in quibus & opinio pia dicitur, & myſterii celebratio pietatis commendatur, ipſa officii ordinatio per Leonard. Nogarolum, in quo toties Virgo à peccato originali vendicatur, pia, laudabilis & devota à Sixto IV. prædicatur) ex omnibus denique illius temporis Scriptoribus, qui ſub eo nomine eam celebrabant, ita ut ſub nullo alio tam publicaretur, aut commendaretur tunc, quàm piæ opinionis titulo.

284. Sententia de immac. Concept. ex inſtitutione generalis feſti tantam certitudinem aſſecuta ut falſa eſſe non poſſit.

Dico præterea maximas acquiſiviſſe vires hanc ſententiam, dum à pluribus, & præcipuis Doctoribus frequentius defendebatur, & docebatur, dum continuis Pontificum favoribus approbabatur, dum ſolemniter inſtituto Conceptionis feſto & officio Eccleſiaſtico celebrabatur cultu, dum Religionis approbatione, confraternitatum, templorum, xenodochiorum, altarium, ſacellorum erectionibus, aliiſque favoribus Pontificiis tantopere inculcabatur, & jam demum ſtatutum ſit à Sereniſſimo Domino Paulo Papa V. ut illa & ſola doceatur ex cathedris, prędicetur è roſtris, & in aliis publicis proponatur actibus. Ex qua tam multimodâ Eccleſiæ approbatione & commendatione tantam certitudinem aſſecuta eſt, ut jam falſa eſſe non poſſit, & non ſolum piè credenda ſit in primo, ſecundo, vel tertio ſenſu piæ credulitatis, verùm & alio ſuperiori, & certo ſit amplexanda certitudine, non fidei, ſed alia minori, licèt maxima ſub certitudine fidei, ut multi & præcipuí ex graviſſimis hujus ævi Theologis docuerunt & ſcripſerunt, ducti vel hâc urgenti ratione, quòd Eccleſia, quæ inſtituit feſtum & officium Conceptionis in primo inſtanti immaculatæ, errare non poſſit in hoc tanto divini cultus actu, & univerſali propoſitione, nec in approbatione religionis ſub titulo Conceptionis immaculatæ, ſub quo in perpetuum famulatum, quotquot voluerint ex fidelibus, ſe poſſint conſecrare. Vnde rectè Franciſcus à Pitigianis Aretinus poſtquam tot, tamque præclara pro negativa ſententia ſtatuit articulo 5. argumenta, ſubjunxit. *Ex his concludo ſententiam*

Ægid. cit. §. 9. & ſeq. Cathar. in ll. de Concept. Granada d. 3. de eſſent. pecc. & juſt. orig. c. 3. concl. 5. alii.

Digitized by Google

tiam negativam nedum eſſe magis piam, ſed etiam magis conſentaneam non ſolùm rationi, ſed etiam Sanctorum Patrum doctrinæ. Vbi non ſolùm docet eſſe piam, vel piè credendam, ſed pro vera & certa tenendam, & gradum piæ credulitatis ſubindicat minorem, & inferiorem eſſe eo, quem modo habet. Quod etiam innuere videtur decretum Baſilienſ. & forma juramenti Academ. Complutenſ. & aliarum, in quibus non ſolùm piam eſſe opinionem negativam, ſed conſonam S. Scripturæ, & doctrinæ Patrum, inculcatur.

Ferdinandus Salazar l. de Immacul. Concept. B. V. c. 43. §. 2. cum aliis ab eo relatis, exiſtimat ſententiam piam eſſe *moraliter certam*, ita ut falſitati moraliter ſubeſſe non poſſit. Quid autem ſit eſſe *moraliter certam*, explicat per hoc, quod ſimilem certitudinem præ ſe fert cum aliis, quæ certitudinem & infallibilitatem habent, ſi conferantur horum & illius rationes & fundamenta: nam ſi conferatur cum Nativitate Virginis, cum Aſſumptione, cum Præſervatione à peccatis actualibus, &c. quæ in Eccleſia habent certitudinem, non videtur pejoris conditionis.

Ægidius verò à Præſentatione l. 3. de Conc. B. V. q. 6. art. 1. §. 9. non ſolùm moralem certitudinem, ſed etiam Phyſicam videtur ei tribuere his verbis: *Eccleſia Romana dum ex certa ſcientia Conceptonem B. V. ſub titulo immaculata celebrat, ſtatuit & declarat ſententiam, qua tenet B. Virginem ſine originali fuiſſe conceptam, non ſolùm ſimpliciter eſſe veram, ſed ita eſſe certam, ut à parte rei nullo modo ſit falſa.* Cui modo dicendi, licèt diverſo (ut ipſe ait) fundamento, conſentit ipſe Salazar §. 4. Quod affirmativam ſententiam, ſcilicet maculoſæ Conceptionis attinet, illa parum habet probabilitatis, hinc ſolum mutuatum, quod ex Patribus Dominicanis aliqui collabentem ſuſtineant. Iam etenim cetera argumenta per ictus defecerunt. Iam evanuit apparens illa Sanctorum Patrum congeries, quæ veritatem contrariæ ſententiæ obnubilare videbatur, dum ad ſummum duos vel tres quidquam expreſsè in hac materia contra MARIAM dixiſſe, & ceteros ſolùm in communi de humani generis obnoxia ſucceſſione, & neceſſaria peccati originalis contractione univerſaliter, nullâ B. V. factâ mentione, locutos eſſe, ex ſedula ipſorum lectione conſtet. Iam non urgent, nec metum incutiunt univerſales illæ S. Scripturæ locutiones, quæ homines omnes ſub originali reatu comprehendunt, dum nec illas intelligi voluit de ſacratiſſima Virgine Concilium Trident. Iam deſiit illa Scholaſticorum conſpiratio facilis & indiſcuſſa propenſio in affirmativam, dum modo ferme unus non ſit (præter aliquos Prædicatores) ex tot millibus, quos feliciſſima & doctiſſima hæc no-

ſtra habent tempora egregios Doctores, qui non applaudat negativæ. Rationes, quæ pro ea infirmæ, & inefficaces confectæ, vel confictæ ſunt, ſatis ſolutæ penitus ceſſârunt, ut ex probabilitate & fundamentis contrariæ ſententiæ ſupra oſtenſum eſt, & adhuc oſtendetur infra, & in ſcintillis.

286. Apage procul à viva, prædilecta, & ſanctiſſima Dei civitate omne diſtortum & difforme, omne pravum & abominationem faciens. Etenim *domum Dei decet ſanctitudo, & fundamenta ejus in montibus Sanctis.* Vtpotè jacta & ſuffulta ſupra omnipotentiam Patris, cujus Maria ſingulariſſimè Filia, ſupra cunctiſapientiam Filii, cujus Maria ſingulariſſimè Mater; ſuper infinitum Spiritus ſancti amorem, cujus Maria ſingulariſſimè Sponſa ab omni æternitate prædeſtinata erat, *Quia diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*, id eſt, mortalium; quidni & dixerim *ſuper omnia tabernacula Iſraël*, ſublimium, inquam, & immortalium ſpirituum. Si diligit, cur non etiam ditet & ornet? juxta illud: *Amavit eum Dominus, & ornavit eum.* Si autem excellenter ſupra omnia creata diligat, quidni etiam ſupra omnia excellenter ornet, atque magnificet? maximè ubi decor, & ſplendor Matris in gloriam Filii haud parum redundare cognoſcitur. Pondera igitur & metire decorem Virginis Mariæ ad menſuram amoris Verbi æterni, & cognoſces quantum diſtet pulchritudo illius à pulchritudine aliarum creaturarum, quantumvis ſublimium. *Pulchritudinem,* inquit Divus Ambroſius in Cant. c. 4. *quis poteſt majorem exiſtimare decore ejus, quæ amatur à Rege, probatur à Iudice, dedicatur Domino, conſecratur Deo, ſemper ſponſa, ſemper innupta, ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor? Pulchritudo iſta interior eſt, quæ non marceſcit, neque defluit.* Ita Ambroſius: Obſerva verò quod dicit: *Pulchritudo iſta interior eſt*, in anima videlicet, Ambroſ. Catharinus ad 3. cap. Geneſ. *Ecce,* inquit, *de Beatiſſima Virgine nihil ferè habemus in Scripturis, nec ex quo patre, nec ex qua matre deſcenderit; ſolùm accepimus eam eſſe Chriſti Matrem. Id verò multi mirantur; ſed magna Dei providentia factum eſſe, non eſt dubitandum. Oſtendere enim voluit Spiritus Sanctus, ſecundùm quam partem conſideranda eſſet in Genealogia ſacratiſſima illa Virgo, & non quidem ut habens patrem & matrem peccatores, per quos fuerit in eam ullum peccatum transfuſum, ſed ut exiſtens Dei Mater, ut ab ea nota facilè perſuaderemur, & ita profuiſſe illi Deum genuiſſe, ut quod attinet ad contractionem peccati originalis, non obfuerit ipſi ab hominibus prognatum fuiſſe.* Sic ille.

D. Thomas Archiepiſc. Valentinus Conc. 2. Nativit. B. V. *Cogitanti mihi, ac diu hæſitanti, quid*

Digitized by Google

quid cauſæ ſit, quod cum Euangeliſtæ de Ioanne Baptiſta, & aliis Apoſtolis, tam longum fecêre tractatum; de Virg. MARIA, *quæ vitâ & dignitate omnes antecedit, ita ſummatim percurrant hiſtoriam: cum inquam non traditum eſt memoriæ, quomodo concepta, quomodo nata, quomodo nutrita, quibus moribus decorata, quibus virtutibus ornata, quid cum filio in humanis egerit, quomodo cum illo converſata ſit, quomodo poſt ejus Aſcenſionem cum Apoſtolis vixerit. Magna erant hæc quidem, & memoratu digna, & quæ ſummâ devotione à fidelibus legerentur, à populis amplecterentur. Hæc, inquam, mihi hæſitanti, cur de actibus Virginis, ſicut de actibus Pauli, non eſt compoſitus liber, nihil aliud occurrit (accuſare enim Euangeliſtas negligentiæ, ſicut impium, ita temerarium judico) quam ita placuiſſe Spiritui ſancto, ejuſque providentiâ Evangeliſtas ſiluiſſe: propterea, quia Virginis gloria, ſicut in pſalmo legitur, omnis intus erat; & magis cogitari poterat, quàm deſcribi: ſufficitque ad ejus plenam hiſtoriam quod ſcriptum eſt in themate; quia de illa natus eſt* IESVS. *Quid amplius quæris? Quid ultra requiris in Virgine; ſufficit tibi quod Dei Mater eſt. Quænam obſecro pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria matri Dei non congruit.* Hæc uſque Thomas Valentinus.

287. Ubi quæſtio detur-pandi Matrem Dei ſilendum.

Itaque ubi quæſtio de labe Matri IESV MARIÆ attribuenda, obſerentur Scholæ, ſurdi fiant diſcipuli, obmuteſcant magiſtri, obrigeant agoniſtæ, ora omnium ſive publicè ſive privatim altiſſimo comprimantur ſilentio, haud amplius hujuſcemodi certamen mentem fatiget humanam; ſic jubent Pontifices Romani, Paulus V. & Gregorius XV. jubent, inquam, & ſub cenſuris jubent. Cui honorem, honorem. Attendant omnes docti & indocti, audiant ſinguli magnum illud & ſtupendum militantis quondam Eccleſiæ oraculum ſingulare, Doctorum omnium Coryphæum, ac patrum antiquorum decus per eximium, ſanctiſſimum Antiſtitem Auguſtinum: audiant illum, venerentur ac imitentur, in alto videlicet oris ſilentio, animique ſumma dimiſſione. *Cùm de peccatis agitur*, ait ille, *de ſancta Virgine* MARIA *propter honorem Domini nullam prorſus volo habere quæſtionem. Inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.*

Rurſus ubi quæſtio rugam inurendi Sponſæ Spiritus S. præcellenti, ejuſdemque *Sancto Sanctorum*) nemo plus ſapiat, quàm oporteat ſapere, ſed omnes in ſobrietate ſapiant, captivantes intellectum ad normam irrefragabilis Doctrinæ Sacri Concilii Trident. quod Deiparam Virginem communi decreto originalis peccati

Digitized by Google

non vult comprehendi : Hoc ipſum Lapis Lydius, aurum ab orichalco diſcernens.

288. Demum ubi quæſtio conceptum Virginis, Advocatæ hominum perditorum ſingulariſſimæ, teterrimâ peccati nube offuſcandi, ceſſent jurgia, ceſſent hominum lites: membra capiti, voluntatum morumque concordiâ, cohæreant, & inſequantur. Papa Romanus, Eccleſiæ caput; *Dignum*, ait, *quin potius debitum reputamus, univerſos Chriſti fideles, ut omnipotenti Deo de ipſius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes referant, Miſſas & alia divina officia dicant, & illis interſint, indulgentiis & peccatorum remiſſionibus invitare, &c.* Sic Papa Sixtus IV. Idipſum ergo academicis tandem aliquando dimiſſis ac ſopitis bellis, Catholici omnes unanimiter ac quàm promptiſſimè exequantur. *Verè* enim Eccleſiæ judicio, *dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare: nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus. Et te in Conceptione B.* MARIÆ *ſemper Virginis collaudare, benedicere, & prædicare. Quæ & Unigenitum tuum S. Spiritus obumbratione concepit: & virginitatis gloriâ permanente lumen æternum mundo effudit* IESUM *Chriſtum Dominum noſtrum.*

In magnalibus B. V. etiam Concep. Deus laudandus.

Rurſus. Verè dignum eſt & juſtum, æquum & ſalutare nos homines MARIÆ ſemper Virginis Matris Dei & noſtræ encomia & prærogativas corde pleno & optimo eructare, concinere & prædicare. Quæ, utpote *via miſericordiæ, Mater gratiæ, & pietatis amica, humani generis conſolatrix, pro ſalute fidelium, qui delictorum onere gravantur, ſedula oratrix, & pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit.* Et ideò cum toto Ordine Minorum magnalia pulchritudinis ejus lætis perſonemus vocibus, hymnis & canticis, imò & patrocinium ejus alternantibus choris imploremus, ore ſupplici dicentes:

Sixtus IV. in Conſtitut. 1.

Tota pulchra es MARIA:
Tota pulchra es MARIA:
Et macula originalis non eſt in te:
Et macula originalis non eſt in te.
Tu gloria Ieruſalem:
Tu lætitia Iſrael:
Tu honorificentia populi noſtri:
Tu Advocata peccatorum,
O MARIA, O MARIA,
Virgo prudentiſſima,
Virgo clementiſſima,
Ora pro nobis: intercede pro nobis,
Ad Dominum noſtrum IESUM *Chriſtum.* Amen.

Verſ. *In Conceptione tua, Virgo immaculata fuiſti.*
Reſp. *Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti.*

Oratio.

DEus, qui per immaculatam Virgin. Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparâſti: quæſumus, ut qui ex morte ejuſdem Filii ſui prævisâ, eam ab omni labe præſervâſti, nos quoque

Digitized by Google

quoque mundos eius interceſſione, ad te pervenire concedas. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

APPENDIX

AD LECT. II.

Vbi de immac. B. V. Conceptione.

QVo magis conſtat Virginis præſervatio, videlicèt non ſolùm ab executione legis, ſed etiam ab ipſa lege, eo magis conſtat immunitas B. Virginis à peccato originali, atque doctrina de puritate ejuſdem amplius ſtabilitur: hinc quæritur, *an B. Virgo* MARIA *extiterit præſervata à debito incurrendi peccatum originale.*

Hujus quæſtionis reſolutionem trademus ex Franciſco Del Caſtillo Velaſco, Ord. Min. de obſerv. ſupremæ Inquiſitionis Hiſpaniæ Qualificatore, ac S. Theologiæ Compluti Lectore Iubilato ſuper 3. Sentent. Scoti, qui in tract. de Incarn. Verbi divini, & Præſervat. B. V. diſp. 1. de immunit. Virg. q. 6. agit de debito incurrendi peccatum originale, & diſput. 3. id ipſum inquirit de eadem B. V. Verùm antea

289. Sciendum ex eodem ubi ſupra, quòd communis & vera ſententia affirmat dari in poſteris Adami debitum incurrendi peccatum originale. Debitum autem hoc aliud non eſt, quàm neceſſitas & obligatio incurrendi peccatum originale: & eſt duplex, ſcilicet debitum proximum & debitum remotum, ſeu debitum ſimpliciter, & debitum ſecundum quid: tamen difficilè eſt explicare quale ſit.

Poſteri Adam debitum habent contrahendi orig. pecc.

Debitum duplex proximum ſive ſimpliciter.

Alii ſic explicant, nempè quòd *debitum ſimpliciter & abſolutum* dicatur illud quod filius Adam contrahit ex eo quòd incluſus fuit in lege, quam Deus pepigit cum Adamo, quòd ſi comediſſet de ligno prohibito, contraheret privationem juſtitiæ originalis; unde comedente Adamo, peccavit cum illo in illo, & contraxit debitum ſimpliciter & abſolutum peccandi originaliter in propria perſona. Debitum verò *ſecundùm quid* dicitur illud, quod quis habet ex eo quòd eſt creatura rationalis ab Adamo deſcendens, capaxque, ut includatur à lege præfatâ, quod genus

Debitum proximum ſive ſimpliciter.

Debitum remotum ſeu ſecundum quid.

Digitized by Google

genus debiti admittunt Authores infra referendi in Virgine, appellantque debitum debiti, quia Virgo Beata debebat includi in debito ſimpliciter & abſoluto, ratione debiti ſecundùm quid, ſi à Deo non excluderetur ab illo. Ita docent Catharinus in primo tract. de Conc. Virg. 1. p. c. 1. §. *Quarto igitur loco aſſerimus pag.* 10. *&* §. *ſed exiſtunt nonnulli, pag.* 14. Et Franc. Turrianus in Ep. de pecc. orig. fol. 43. pag. 1. & in hac ſententia conceditur, Virginem cum Adamo comediſſe de ligno vetito, non tamen peccâſſe adhuc in Adamo, neque contraxiſſe debitum proximum, ſimpliciter & abſolutum peccandi in ſe, quia non continebatur, neque includebatur in lege prohibente comeſtionem.

Alii ſic explicant hæc duo debita, ſcilicet quod debitum remotum ſit illud, quod quis habet in primo parente, in cujus lumbis continebatur; proximum verò ſit illud, quòd quis contrahit non in propria perſona in inſtanti primo, in quo verificatur quòd eſt filius Adam, ſed in ipſo Adamo poſt legem à Deo latam. Ita tenet Ægidius de Præſentatione l. 2. q. 4. art. 4. §. 3. ita quod ſicut in hujus Authoris ſententia omnes peccavimus in Adam quaſi actualiter per eamdem actionem, quâ ipſe peccavit; ita omnes in ipſo, & cum ipſo contraximus debitum remotum peccandi per eamdem obligationem, per quam ex vi legis ipſe tenebatur peccare, ſi comederet, & contraximus debitum proximum comedendo, quia proximum non contrahimus in nobis ipſis, ut docet ipſe Ægidius.

Alii explicant debitum remotum eſſe, quod quis habet in ſemine virili, &c. proximum quod incipit eſſe in ipſo inſtanti animationis, & ab ipſo exiſtentiæ exordio. Vide Salazar c. 2. §. 10. num. 61.

Alii dicunt, quòd debitum remotum eſt illud, quod omnes contraxerunt in Adamo tamquam in capite, proximum verò ſit illa neceſſitas quam ex comeſtione peccaminoſa Adami contraxerunt in ſeipſis habendi peccatum originale.

Alii explicant debitum remotum per hoc, quod ſit quaſi obligatio activa, quâ Adamus ex violatione ſuâ filios ſuos ad originaliter peccandum obſtrinxit: debitum verò proximum ſit quaſi obligatio paſſiva, quæ in filiis reperitur ab exordio ſuæ conditionis, contrahendi ſcilicet in ſe peccatum originale. Ita Salazar c. 1. ante num. 63.

Sed pro explicatione noſtræ ſententiæ nota primò, ait Franc. Del Caſtillo diſp. 1. de juſt. orig. q. 6. num. 20. quòd diverſitas iſta explicationis duplicis debiti orta eſt ex eo, quod aliqui nolunt B. Virginem peccaviſſe in Adamo, & conſequenter ut aliquod debitum adſtruant in eâ ratione, cujus fuerit à Chriſto præſervativè redempta, aſſignârunt debitum remotum 290. Aliqui adſignant debitum remotum ante peccatum Adæ, alii poſt.

tum

tum ante peccatum Adami in quolibet ex poſteris ejus, ut eam non ſolùm doceant præſervatam à peccato orig. in propriâ perſonâ contrahendo, & inſuper à debito proximo, cui immediatè ſuccedit peccatum originale, ſed etiam à peccato contracto in Adamo. Alii verò ex eo quod nihili faciunt, quod peccaverit in Adamo, incipiunt adſtruere debitum non ſolùm proximum, ſed etiam remotum poſt ipſius Adami tranſgreſſionem.

291. Debitum proximum ſeu in actu exercito. Nota ſecundò, quod debitum proximum, quod filius Adæ habet in propriâ perſonâ, debet appellari debitum exercitum, ſeu in actu exercito; quia verè ſupponit ſubjectum realiter & formaliter exiſtens, quod verè & formaliter denominari poſſit debitor; at verò debitum remotum ſive ſit ante peccatum Adami, ſive poſt illud, debet appellari debitum ſignatum, ſeu in actu ſignato, quia cum exiſtentia formalis cujuſlibet perſonæ non ſit ante ejus productionem compoſiti conſtantis ex corpore & animâ rationali, hinc eſt quod perſona non poſſit ante eam in exercitio denominari formaliter debitrix, ſed tantum in actu ſignato; quia debitum remotum quomodocumque dicatur, ſemper concipitur in perſona, ſecundùm eſſe virtuale, quod in cauſis habet, & ante formalem actualitatem & exiſtentiam filii Adæ. Debitum remotum ſeu in actu ſignato.

292. His ſuppoſitis dico primò. Debitum proximum, ſeu exercitum eſt neceſſitas contrahendi peccatum originale in propriâ perſonâ exiſtente, quam quis habet in primo generationis inſtanti, quando verificari poteſt, hic homo eſt per naturalem propagationem filius Adæ, & membrum hujus capitis, in hac concluſione conveniunt omnes Authores ſupra relati excepto Ægidio, & eam docet Scotus in 3. d. 3. q. 1. §. *Si autem*, verſ. *Sed ſi alicui*, & verſ. *Per iſtud patet*, ubi adſtruit in propriâ perſonâ neceſſitatem contrahendi peccatum orig. ab Adamo, ſi Deus non præveniat & præſervet ab illo. Hæc concluſio ex ſe patet, quia in illo primo inſtanti aliquâ prioritate naturæ ante contractionem peccati orig. verificatur de qualibet perſonâ non præſervata, quod eſt debitrix, & habet neceſſitatem carendi juſtitia originali, propterea quod deſcendit ab Adamo per naturalem propagationem, qui legem Dei violavit, & inſuper huic debito ſtatim ſuccedit peccatum orig. in ipsâ perſonâ; ſed hoc cenſeri debet debitum proximum & exercitum, ut vox ipſa ſonat, & communiter accipitur, & nos ſupra probavimus, ergo. Debitum proximum quid. Omnes filii Adam habent neceſſitatem contrahendi pecc. cati orig.

Dico ſecundò, probabile eſt, quod debitum remotum, & in actu ſignato fuerit ante peccatum actuale Adami. Ita tenent plures Authores ex ſupra relatis. Et probatur, quia eo ipſo quod concipiamus omnes homines eſſe à Deo decretos, quantum ad exiſtentiam dependenter à ſeminali & na- 293. Debitum remotum fuiſſe ante peccatum Adæ probabile.

naturali propagatione ex Adamo, antequàm legem ipſi intimâſſet, & pactum cum ipſo pepigiſſet; concipimus ipſos aliqualiter obnoxios & ſubjectos, ut poſſint comprehendi in ea lege, & in eo pacto ſubſequenti, in quo voluit efficaciter Deus decernere, Adamum ut caput morale ipſorum, præcipuè ſi ante talem legem præceſſit in eo voluntas inefficax comprehendi omnes in tali lege, nullo dempto, ſicut vult inefficaciter omnes homines ſalvos fieri: imò & comprehenderetur, ſi Deus non exciperet aliquem, quia verba legis jam in re promulgatâ ſunt univerſalia; nam eo ipſo quòd cum Adamo loquens Deus dixit: *In quacunque horâ comederis ex eo, morte morieris*, loquitur cum omni naturâ humanâ naturaliter propagatâ: ſed ad debitum remotum ſufficit aliqua obnoxietas, licèt minus diſtans, ergo probabile eſt quod debitum remotum concipi & dari poſſit in poſteris Adæ, antequam Adamus peccâſſet.

294. Probabile magis fuiſſe poſt

Dico 3. Probabilius eſt, quod debitum remotum ſit in poſteris Adami poſt peccatum actuale ipſius. Hæc concluſio communior eſt apud Auctores 2. 3. 4. & 5. ſententiæ ſupra relatos. Et probatur, quia ſi Adamus non peccâſſet, non adimpleretur conditio requiſita ut conſurgeret in poſteris ejus neceſſitas contrahendi peccatum originale: ergo quodcumque debitum, etiam remotum, contrahendi illud, fuit poſt peccatum Adæ. Et confirmatur, quia debitum, etiam remotum, contrahendi juſtitiam originalem ſupponebat in poſteris, quod eorum parens Adam non peccâſſet: ergo & neceſſitas contrahendi carentiam ejus ſupponebat, quod peccâſſet; patet conſequentia, quia non eſt major ratio unius quàm alterius.

Ex peccato Adæ orta eſt neceſſitas moralis contrahendi pecc.

Ex iſta concluſione debetis deducere, quòd ex peccato Adami orta eſt in eo quædam indignitas communicandi poſteris naturam ornatam gratiâ & juſtitiâ; ſeu ut melius dicam, orta eſt quædam moralis neceſſitas communicandi poſteris modo naturali propagatis ſuam naturam humanam privatam juſtitiâ originali, ſeu fœdatam originali peccato, quam neceſſitatem aliqui appellant activam, ſicut eam, quæ in nobis recipitur, paſſivam: & propterea activam appellant debitum remotum quia antequam accedat ad nos præfuit in Adamo, & in reliquis noſtris parentibus proximioribus; nam ſicut titulo propagationis ab Adamo haberemus jus ad gratiam & ad juſtitiam originalem, ſi ipſe non peccaret; ita eodem titulo habemus jus (liceat ita loqui) ad privationem ejus, quia peccavit.

Digitized by Google

QUÆSTIO

Vtrum B. MARIA *extiterit præſervata à debito incurrendi peccatum originale?*

295. Sententia B. V. liberans ab omni delicto incurrendi pecc. orig.

PRima, in hac re, ſententia ſimpliciter & abſolutè negat B. Virgini omne debitum ad contrahendum originale peccatum. Pro hac ſententia ſic abſolutè prolata refertur Valencia tom. 2. diſp. 6. q. 11. p. 2. §. *Quare ad primam reſpondeo.* Vaſquez 2. tom. ad 3. p. diſp. 115. c. 3. Azor. tom. 1. inſtitit. moral. l. 4. c. 34. q. 3. Henriquez tom. 1. Sommæ l. 3. de Confirm. & extremâ unctione c. 1. num. 3. litt. L. Baſilius Legionenſis in lib. var. diſput. repetit. 3. pag. 546. col. 2. Angles in 2. diſput. 31. de traductione pecc. orig. Turrianus in Epiſt. de pecc. orig. Stephanus Mendez l. 3. de dignitate Virginis ſanct. c. 34. §. 2. Denique Catherinus in tract. de Conc. Virg. Hos huc uſque refert Auctores Ægidius q. 4. a. 2. §. 2. relatos in quadam hujus controverſiæ ad ipſum miſſa relatione: ſed §. 4. probat hos omnes Auctores hanc ſententiam non tenuiſſe.

Salazar tamen c. 41. can. 1. non ſolùm ex præfatis Auctoribus refert aliquos, poſtquam vidit refutationem Ægidii, ſed etiam refert Salmeronem in manu ſcriptis in ep. ad Romanos diſp. 49. Iodocum Clichtoveum l. de puritate Conceptionis c. 8. & 9. Ioannem Suarez in concionibus in Apocalipſim conc. 23. Ioaiſam in tract. de Pura Conc. puncto 3. Coſmam Magalianum in 1. ad Tim. 2. ſect. 3. Barradium tom. 1. l. 6. c. 3. Ioannem Carthagenam in homiliis catholicis: qui tres ultimi aſſerunt eam probabilem: noſtrum Cornelium Muſum Epiſc. Veſontinum in epiſt. ad Rom. in illa verba, *In quo omnes peccaverunt.* Galatinum l. 7. de arc. Ludovicum de Caravajal in declamatione facta in Conc. Trid. c. 24. quod caput ad hunc modum ſcripſit, quod *lex univerſalis peccati originalis non ſit in beatiſſimam Virginem lata.*

Sed quod caput eſt: hanc ſententiam ab omni erroris ſuſpicione liberavit cenſura ſupremi Senatus ſanctæ inquiſitionis; nam cum ad ſanctiſſimum illud tribunal aliqui Theologi (ſcilicet P. F. Ioannes de Soria Lector, & F. Franciſcus Freſno, ejus diſcipulus, & condiſcipulus meus, inquit, Franc. Caſtillo) delati & accerſiti fuiſſent, eo quod debitum, etiam originalis culpæ in Virg. abnegâſſent, & tandē in Adamo non peccâſſe dicerent (quo in tempore eamdem ſententiam, me reſpondente Complati, ait idem Caſtillo ſuſtentabat doctiſſimus Pater F. Ant. de Velaſco) re examinatâ & perpensâ; auditis qualificatoribus, aliiſque ſapientiſſimis viris, præcipuè ex celebri univerſitate Complutenſi; tandem

S. Inquiſitio Hiſpaniæ probavit ſententiam præfatam.

Digitized by Google

dem ſtatutum eſt, eos, qui præfatum dogma protulerunt, nihil demereri; atque adeò indultum ut Fratres Minores ſuas de hac re publicè Theſes defenderent, quas authoritas illius Senatus prius inhibuerat, ut conſtat ex locupletiſſimo teſtimonio Ferdinandi de Villegas ejuſdem Tribunalis à Secretis Notarii, dato Matriti 22. die Ianuarii anno 1616. quod refert Salazar c. 8. §. 3. in principio, ubi latè refutat Ægidium intendentem qualificationem Inquiſitionis non debere intelligi de omni debito, præcipuè contractò in Adamo, ſed debito Virginis in ipsâ contracto.

296. Hæc ſententia probatur primo ex Scripturâ applicatâ ab Eccleſiâ in noſtro officio Conceptionis B. Virginis: *Ego ſum frater tuus* (inquit Rex Aſſuerus Reginæ Eſther c. 3.) *noli timere, non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Sed hanc legem in ſenſu figurativo acceptam intelligit Eccleſia in noſtro officio Conceptionis de lege transfundenda peccatum originale ibidem ſub his verbis in Reſponſorio 7. *Omnes moriemini, quia in Adam peccaviſtis. Quid habes Eſther elevata in populis! Ego ſum frater tuus, noli timere, non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Ergo lex de transfundendo peccato originali non fuit conſtituta pro Virgine, ſicut pro ceteris. At eo ipſo quòd non comprehendatur ſub lege, ſequitur quòd neque habuerit debitum in ſe contractum, neque contractum in Adamo peccandi originaliter, quia totum hoc dependet ab incluſione legis: ergo nullum habuit debitum peccandi originaliter.

Sententia negans omne debitum in B. V. probatur ex Script. & PP. & Trid. Conc.

Secundò probatur ex Concil. Tridentin. in decreto de peccato originali, ubi poſtquàm non ſolùm egiſſet de contractione peccati originalis, ſed etiam de neceſſitate contrahendi illud, juxta illa verba; *Si quis aſſerit Adamum acceptam à Deo ſanctitatem, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam perdidiſſe, anathema ſit*; & hoc probâſſet ex illis Scripturæ locutionibus, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, &c. Sicut in Adam omnes moriuntur*, quibus probatur neceſſitas, ſeu debitum in poſteris Adami contrahendi peccatum origin. ſtatim in fine illius decreti ait, *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere B. Virginem in illo decreto*, ergo Concilium non ſolùm eam excipit à contractione peccati originalis ſed etiam à contractione debiti, quia nihil quod de aliis enuntiaverat de Virgine intelligi voluit.

Tertiò probatur ex Patribus. 298.
Divus enim Cyprianus Oratione de Nativitate Domini, hæc verba habet: *Nec ſuſtinebat juſtitia, ut illud vas electionis communibus laſſaretur injuriis, quoniam plurimum à ceteris differens, natura communicabat, non culpa.* Vbi pondera ly, *Nec ſuſtinebat juſtitia, ut*

comm-

Digitized by Google

communibus laſſaretur injuriis? Ergo nullum erat jus aut lex (ex quâ juſtitia dependet) per quam Virgo illis injuriis eſſet obnoxia: & ly *plurimùm à ceteris differens natura communicabat, non culpa.* Ergo B. Virgo cum reliquis hominibus ſolum communem naturam habuit, non legem in ordine ad culpam originalem.

Præterea Divus Auguſt. in expoſit. Symboli, & Orat. Dom. ut habetur in ipſius Milleloquio, ait: *Conveniens erat, ut lege peccati noſtri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei Mater non teneretur obnoxia.* Et in libr. de Nat. & Grat. c. 33. *De Virgine* MARIA *cum de peccatis agitur nullam habere volo quæſtionem*; ergo neque quæſtionem de debito. Et D. Ildephonſus in lib. de Parturit. & Virgin. Mar. ait: *Alioquin quid eſt quod legem naturæ requirunt in* MARIA, *ubi totum quod in ea fuit poſſedit Spiritus Sanctus.* Et ex Richardo de S. Vict. habentur in officio Concept. compoſito à Leonardo de Nogarolis hæc verba: *Non decuit ut caro* MARIÆ *qualicumque foret obnoxia culpæ.* Et ſimilia referunt in officio edito à Bernardino de Buſtis: *Beatus venter* MARIÆ, *quæ nulli umquam fuit culpæ obnoxius.*

299 Sed clariſſimè omnium D. Anſelmus in officio Nogarolis lect. 4. ſic habet: *Vas electionis Sanctus Paulus, omnes homines in Adam peccâſſe fatetur: vera utique ſententia, & cui contradici nefas eſſe pronuntio: ſed cùm eminentiam gratiæ Dei in te* MARIA *Virgo conſidero, ſicut te non intra omnia, quæ facta ſunt, ineffabili modo contueor, ita & in te non lege naturæ aliorum in tua Conceptione devinctam fuiſſe opinor.* Ergo quia B. Virgo fuit, & eſt ſuper omnia creata, non clauditur, neque comprehenditur lege ligante reliquum genus humanum.

Denique Cardinalis Cuſſanus l. 8. Exercitat. & Serm. *Sicut lilium*, pag. 192. ait: *B. Virginem non indiguiſſe liberatore à ſervitute peccati.* Et D. Dominicus in tract. de Corpore Chriſti, ait: *Sicut terra ex quâ Adamus formatus fuit, numquam alicui maledicto fuit ſubjecta, ita etiam Virgo Beata, &c.*

300 Quartò probatur ratione, quia major puritas eſt non contraxiſſe debitum peccandi originaliter, neque in ſe, neque in Adamo, quam illud contraxiſſe debitum. Antecedens probatur à ſimili; Nam Paulus ad Hebr. 7. exprobrat Levi, quod in Abrahamo parente ſuo, ſeu prout in lumbis ejus erat, decimas Melchiſedech exſolvit; ſed ſimiliter poſſet exprobrare Virgini, quod exiſtens in Adamo, & in lumbis ejus peccaverit, ſi ibi teneretur eâdem lege quâ ille non peccare, quod eſt multo major & pejor exprobratione Levi: ergo.

Denique probari ſolet quintò, quia quando Deus pactum inivit cum Adamo, & legem ſtabilivit pro eo & poſteris ejus, vel incluſit Virginem in lege, vel non; ſi non ha-

Digitized by Google

habeo intentum; ſi incluſit, ergo cum efficaciter voluerit ipſam includi, debuit ejus efficax voluntas adimpleri; ergo non potuit præſervari à peccato patet conſequentia, quia aliàs Deus eſſet mutabilis, quandoquidem ſicut ejus voluntas quod in re contraherent juſtitiam originalem ſi Adamus non comediſſet de ligno prohibito, & in executione illam contraherent, non ratione alterius, ſed ratione illius voluntatis; ita ejus voluntas fuit, quod in re contraherent poſteri carentiam talis juſtitiæ, & in re illam contrahunt, ratione ejuſdem voluntatis; quæ carentia eſt peccatum originale quod non admittunt nobiſcum piè ſentientes.

301. B. V. juxta aliorum ſententiam habuit debitum prox. & rem.

Secunda & ex diametro in oppoſitum ſententia affirmat in B. Virgine fuiſſe omne debitum, tam ſcilicet proximum, quam remotum peccandi originaliter, ſive debitum proprium ſit in propriâ perſonâ, ut volunt Auctores ſtatim referendi; ſive in perſona Adami, ut vult Ægidius de Præſentatione loco à nobis relato diſp. q. 6. ubi latè egimus de omni debito peccandi originaliter. Hanç ſent. docet Bellarminus tom. & lib. 4. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati, c. 16. §. *Denique obnoxia*: & ut veriorem probavit Suarez 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 4. §. 3. & Cajetanus in tract. de Concept. Virginis c. 2. & 3. Vaſquez tom. 2. ad 3. p. diſput. 115. latè noſter Corduba l. 1. QQ. q. 44. concl. 5. Faber Pytigianus, & communiter antiqui Scotiſtæ in 3. ſent. d. 3. & plures alii, quos refert & ſequitur Ægidius q. 4. art. 2. §. 4. & ante caſum Toleti ſupra relatum, erat quaſi communis apud Auctores & Scriptores; An autem fuerit Scoti, ſtatim dicam.

Hanc ſententiam probat primò Corduba ex Scriptura, quia omnes illæ locutiones, *omnes in Adam peccaverunt. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*: includunt propter univerſalitatem B. Virginem: ſed aſſerendo quod ipſa fuerit à peccato orig. præſervata, non poſſunt explicari, niſi aſſerendo, quod non fuit præſervata à debito, & à peccato contracto in Adamo: ergo.

Et confirmatur, quia aliàs B. Virgo non potuiſſet verè dici redempta à Chriſto; nam ut refert Aug. in epiſt. 157. quæ eſt ad Optatum ſecundum epiſtolam Zoſimi Papæ; *Nullus, niſi qui peccati ſervus, efficitur liber; nec redemptus dici poteſt, niſi qui vere per peccatum fuit ante captivus.* Cum ergo hoc definiat Pontifex, debemus in Virgine concedere aliquam ſervitutem & captivitatem, ſcilicet ſaltem in Adamo, & in debito.

Secundò probat Ægidius q. 4. art. 3. §. 3. ex Patribus: Gilbertus enim Porretanus in Commentariis ad Boëtium in l. de duab. nat. ita habet: Maria *ſcilicèt* & (ceteri

teri omnes) *ex primorum parentum prævaricatione peccato & morti ſubjacebat*, Et Aug. l. 2. contra Iulian. c. 10. contra Pelagianos ſic ſcribit: *Solum Chriſtum, quia ſit natus ex Virgine à vinculis obnoxiæ generationis excipit* (ſcilicèt ab Eccleſia) *ceteris omnibus ex Adam ſub peccati obligatione naſcentibus.*

Euſebius Emiſſenus Hom. 2. de Nat. Dom. ita ait: *A peccati veteris nexu per ſe non eſt immunis, neque ipſa Genitrix Redemptoris. Solus ille licet ex debito renaſcatur, lege tamen veteris debiti non tenetur.* Nota illud, *licet ex debito naſcatur.*

Denique hoc ipſum probatur ex pluribus aliis Patribus aſſerentibus, *Chriſtum non ſumpſiſſe carnem peccati: eam tamen ſumpſiſſe ex materna carne peccati.* Ita Aug. l. 2. de pecc. merit. c. 24. *Aut de maſſa peccatrice ſumptam eſſe.* Ita Anſelm. l. 2. *Cur Deus homo*, c. 16. Vnde Hugo de S. Victore l. 2. de Sacram. 1. p. c. 5. affirmat: *Filium Dei de carne obnoxiâ peccato aſſumpſiſſe carnem à peccato liberam.* Quod autem ſignificetur peccatum peccati, explicat Ambroſius Serm. 6. in Pſ. 118. dum ait: *Carnem peccati ideo dici peccati carnem, quia hæreditario eſt damnata maledicto*: ergo.

303. Alii docent B. V. habuiſſe debitum remotum non proxi.

Tertia, & ultima ſententia, & media admittit in Virgine aliquod debitum peccandi originaliter; non tamen admittit omne debitum, quod eſt in reliquis poſteris Adami: & notanter dico *peccandi originaliter*, quia prima ſententa licet nullum includat debitum peccandi originaliter; contra quam apponitur ei ſecunda, admittit tamen debitum includendi in lege, ratione filiationis communis & propagationis naturalis ex Adamo, qnod appellant debitum debiti: unde hæc ſententia tertia contra primam docet habuiſſe aliquod debitum peccandi originaliter; & contra ſecundam, quod non habuerit omne debitum, quia licet habuerit remotum, ſive hoc fuerit ante peccatum Adami, ſive poſt ipſum, non tamen habuit debitum proximum, ſive hoc contrahatur in propriâ perſonâ, ſive tantum ſit in perſona Adami juxta diverſas ſententias ſupra adductas diſp. 1. q. 6. ita docent plures quos ſuppreſſo nomine, refert Ægidius q. 4. art. 1. §. 1. Probatur autem hæc ſententia media; quia ſecundùm ea, quæ adducta ſunt in primâ ſententiâ, debemus Virginem immunem & liberam aſſerere à lege peccati orig. & ſecundùm ea, quæ adducta ſunt pro ſecunda ſententia, debemus ipſam aſſerere dependentem omninò à meritis Chriſti, ut Redemptoris, per merita Paſſionis & Crucis, ſed utrumque hoc non poteſt conciliari, niſi aliquale debitum, licet remotum, admittamus in Virgine, & negemus debitum proximum, ergo ita dicendum eſt.

In hac re dico primò. Beatiſſima Virgo præſervata fuit à debito proximo, & in propria perſona exercito contrahendi peccatum orig. Hanc concluſionem reperio apud 304. B. V. non habuit debitum proximum.

Digitized by Google

apud Scotum noſtrum, in eo videri expreſſam in 3. d. 3. q. 1. §. *Si autem teneatur.* Vbi loquens de Præſervatione Virginis à peccato orig. etiam loquitur de præſervatione à debito iſto his verbis: *Si autem teneatur pars negativa quæſtionis, ad omnes authoritates in contrariam partem reſpondetur, quod quilibet filius Adæ naturaliter eſt debitor juſtitiæ originalis, & ex demerito caret eâ, & ideò omnis talis habet unde contrahat peccatum originale; ſed ſi alicui in primo inſtanti creationis animæ detur gratia, ille licèt careret juſtitiâ originali, numquam tamen eſt debitor ejus, quia meritò alterius prævenientis peccatum datur ſibi gratia, &c.* Ergo cum in ſententia Scoti fuerit Beatiſſimæ Virgini data gratia in primo Conceptionis inſtanti, ſequitur quod in ſententia Scoti Beatiſſima Virgo numquam fuerit debitrix originalis juſtitiæ, ita ut hoc debitum ei imputetur: quare non ait Scotus, quod poſt datam gratiam non eſt debitor juſtitiæ originalis; ſed ait quod numquam eſt debitor ejus: ergo in ejus ſententia B. Virgo non habuit in ſe debitum peccandi originaliter, quod omnium optimè vidit ex Scoto Salazar c. 13. quod autem hoc debitum cenſeri debeat proximum, & dici in propriâ perſonâ exercitum jam probavimus diſp. 1. q. 6.

Hanc concluſionem ad minus probant argumenta pro primâ ſententiâ. Speciales alias probationes, vide apud Authorem Del Caſtillo.

Majòr autem eſt difficultas, an peccaverit in Adamo Beatiſſima Virgo Maria? circa quod dico ſecundò utrumque eſſe probabile, ſecundùm ea, quæ adduximus pro primâ & ſecundâ ſententiâ: ſed quod peccaverit in Adamo, & in illo habuerit debitum peccandi originaliter conformius eſt doctrinæ Scoti: nam ubi ſupra verſiculo, *Per illud patet*, habet hæc verba: *Per illud patet ad rationes factas pro primâ opinione, quia* Maria *maximè indiguiſſet Chriſto ut Redemptore; ipſa enim contraxiſſet peccatum originale ex ratione propagationis communis, niſi fuiſſet præventa per gratiam mediatoris; & ſicut alii indiguerunt Chriſto, ut per ejus meritum remitteretur eis peccatum jam contractum, ita illa magis indiguit mediatore præveniente peccatum, ne eſſet ab ipſa aliquando contrahendum, & ne ipſa contraheret.* Niſi etiam velis hæc verba interpretari de debito remoto, quod habetur ratione propagationis communis, & appellatur debitum debiti, quod habuit B. Virgo per Conceptionem, per concubitum viri & mulieris, in quo convenit cum reliquis poſteris Adami, ratione cujus obnoxia erat, ut poſſet comprehendi ſicut reliqui in lege de transfundendo peccato, non autem fuit comprehenſa ratione Chriſti Mediatoris, quod etiam apparet probabile in Scoto, præcipuè ſi attendantur illa verba, *Ne eſſet ab ipſa aliquando contrahendum*, itaque ait, quòd illa, ſcilicèt B. V. 305. An B. V. in Adamo peccaverit Conformius doctrinæ Scoti peccaſſe.

Maria

Digitized by Google

Maria, magis indiguit Chriſto Mediatore præveniente peccatum, non ſolùm *ne ipſa contraheret*, ſed etiam *ne eſſet ab ipsâ aliquando contrahendum*, id eſt, ne haberet neceſſitatem ſeu debitum aliquando contrahendi illud, ſcilicèt, neque in propria perſona, neque in perſona Adami, quia ſi in perſona Adami illud contraheret, aliquando contraheret.

306. Hæc concluſio probatur ex ſolutione argumentorum utriuſque ſententiæ oppoſitæ. Vnde ſi teneas cum ſecunda ſententia; quòd peccavit in Adamo, reſpondebis ad primum dupliciter, primò quod aliquando dicitur aliqua lex non conſtituta, pro aliquo, non quia non ſit conſtituta, ſed quia in effectu non obligat propter aliquod ſpeciale privilegium, diſpenſans executionem legis, & ideò potuit dici Eſther Reginæ & Virgini Beatiſſimæ, *Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Secundò quod lex non fuit conſtituta pro Virgine in propria perſona, & ſic non contraxit debitum proximum, bene tamen in perſona Adami, in cujus lege contenta fuit.

Ad ſecundum reſpondetur, quod tota controverſia, quæ tunc vigebat in Concilio Tridentino circa præſervationem Virginis erat circa peccatum originale, non circa debitum: Vnde quando voluit non contineri Virginem in illo decreto fuit circa contractionem peccati originalis, non circa contractionem debiti.

Ad tertium reſpondetur ex teſtimoniis Patrum ſicut ad primum, quod vel loquuntur de lege quatenùs indicit in re ipſum affectum: & ut ſic intellecti, tantum intendunt eximere Virginem Beatiſſimam, ab ipſa macula peccati originalis, vel loquuntur de lege applicata formaliter perſonæ Virginis; & ſic intellecti, tantum excludunt illam à debito proximo, non autem de lege, prout applicata virtualiter & implicitè in Adamo.

Ad quartum reſpondetur, quòd ſicut nulla fuit indecentia, quod Chriſtus Dominus (qui eſt Sanctus Sanctorum, & nihil impurum potuit continere) deſcenderet ex Adamo, & ex progenie peccatrice; ita neque eſt aliqua impuritas, quòd Virgo peccaverit in Adamo, dummodò in ſe non peccaverit.

Ad quintum reſpondetur, quòd incluſit Deus Virginem in lege, & concedendo quod ejus voluntas, quia efficax debuit adimpleri ex ea parte, quà incluſa eſt in lege, non tamen propterea impræſervabilis manebat à peccato originali, quia ex alia parte, & ex titulo maternitatis voluit efficaciter Deus ipſam ab actuali contractione peccati liberare, & diſpenſare cum ipſa, non quantum ad obligationem, quam jam voluit ſupra ipſam cadere in Adamo, ſed quantum ad contractionem peccati, & hoc propter ſummam authoritatem

tem quam apud ſe reſervat, &c. Vide Authorem Del Caſtillo.

307. Si autem teneas cum prima ſententia, quòd B. Virgo non peccavit in Adamo reſpondebis ad primum ſecundæ ſententiæ B. Virginem non fuiſſe excluſam ab illis locutionibus generalibus, ſed non incluſam in illis, quia omnes illæ intelliguntur, & de contractione debiti, & de contractione peccati, & nullo Adami poſtero excluſo ab utroque (ut ex profeſſo docet Ægidius q. 5. art. 3. & 5.) Cum Virgine autem non loquitur, quia tantum habuit propter excellentiſſimam ejus dignitatem pro capite morali Chriſtum Domin m non Adamum, ſive inferiorem, quod intelligimus ſic factum ex Scriptura ſic inſinuante in pluribus teſtimoniis, & ex aliis quæ adduximus diſput. 2. q. 1. Præterquam quòd probabiliter dici poteſt, quòd cùm Adamus habuerit notitiam Chriſti futuri, etiam eam habuerit ejus matris futuræ, & quòd non ſolùm Deus, ſed etiam ipſe Adam noluit talem Matrem comprehendere quantum ad contractionem peccati in illo pacto, quod pepigit Deus cum ipſo.

B. V. pro capite morali Chriſtum habuit non Adamum.

Ad confirmationem reſpondetur, quod illa doctrina eſt vera de omnibus, non incluſâ Virgine, & de redemptione ſublevativa, de qua ibi loquebantur Zoſimus & Auguſtinus; imò & ſi aliquid probaret, quod B. Virgo contraxiſſet non ſolùm debitum, ſed etiam peccatum.

Ad ſecundum ex authoritatibus Patrum reſpondetur, quòd vel loquuntur de obnoxietate in debito remoto ante peccatum Adami habito, quia ſi Virgo non eſſet futura Mater comprehenderetur in lege, & in peccato, ſicut reliqui poſteri Adami, vel loquuntur de obnoxietate ex modo propagationis ſuæ; vel loquuntur negando Virginis immunitatem à debito per ſe, ſicut habuit Chriſtus, ſed non per accidens, qualem ipſa habuit: vel denique loquuntur de carne peccatrice, non in propriâ perſonâ, ſed in perſonis totius progeniei, quæ peccatrix fuit, & contractione peccati originalis, & aliorum peccatorum actualium contractione.

Chriſtus per ſe immunis fuit à peccato orig. B.V. per accidens & per gratiam.

Tertia verò ſententia in quantum Virginem eximit à debito proximo, nobiſcum eſt; in quantum verò illam includit in debito remoto non qualicumque, ſed peccandi originaliter, & conſequenter illam includit, tamquam comprehenſam in lege, etiam eſt probabilis, quia hoc docet cum ſecunda ſententia. Sed ad ejus argumenta faciliter reſponderi poteſt ex dictis pro prima noſtra concluſione, contra quam & alias nihil ſupereſt dicendum.

NOTA.

Eadem eſt ratio utriuſque, & eiſdem meritis quibus præſervata exiſtit B. Virgo à peccato originali, præſervata exiſtit à debito: qua-

quare cum communi Theologorum ſententia, tamquam de fide, ſuppono Christi meritis redemptam fuiſſe Dominam ab eis, à quibus fuit libera. Vide plura apud Del Caſtillo diſp. 3. de præſervat. B. Virg. quæſt. 2.

QUÆSTIO II.

Vtrum ſententia pia de immaculata Conceptione B. Virginis ultimo ſit ad definitionem diſpoſita?

308. Sententia negans pecc. orig. in B. V. cur pia.

MEritò ſententiam, quæ negat in B. Virgine peccatum originale, appellamus piam, quidquid cum Cajetano in Tract. de Conc. §. *Ex omnibus autem dictis,* alii velint, aſſerentes non continere veram pietatem, ſed exiſtimatam, præterea pietatem quidem eſſe, ſed non ſecundùm ſcientiam, præterea ſuam ſententiam eſſe probabilem, noſtram verò tolerabilem cenſeri poſſe; nam virtus pietatis eſt ſecundùm Theologos, quæ colit parentes, & alios habitos loco parentum; & noſtra ſententia colit Virginem loco parentis habitam, juxta illud: *Monſtra te eſſe matrem.* Præterea in Bulla conceſſa à Sixto V. & relata ab Emanuële Rodriguez in Bullario fol. 1143. ubi conceditur Minoribus poſſe recitari officium, cum octava in Feſto Conceptionis ait Pontifex: *Nos tam pium & laudabile propoſitum fovere volentes, &c.* Tum denique quia eſt materia voti & juramenti, ut latè probat Portel ubi ſupra, quæ non poteſt eſſe niſi materia virtutis, imò & de meliori bono. Quærimus ergo an hæc ſententia pia ſit ultimò ad definitionem diſpoſita? Et notanter dicimus *ultimò*, quia non ſolùm quærimus de diſpoſitione remota, ſed etiam de proxima.

309. Sententia pia de immac. Conc. B. V. eſt proximè definibilis ſine Conc. generali.

Prima concluſio. Definibilis eſt ſententia pia. Ita Suarez 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 6. §. *Dico tamen primò.* Vaſquez ibidem diſp. 117. cap. 14. §. *Hæc verò primùm* num. 142. qui duo Authores aſſerunt etiam oppoſitam ſententiam eſſe definibilem, ſed difficiliùs: eam tamen abſolutè docet Pytigianus ad 3. Scoti q. 1. art. 6. concl. 1. Ægidius de Præſent. l. 3. q. 8. art. unico §. 1. Salazar c. 43. §. 6. & ſatis in eam inclinat Ojeda in ſua informatione pro immacul. Concept. c. ult. fol. 53. pag. 1. Nota: Suarez loco cit. probat quod non ſolùm remotè ſed etiam proximè ſit ultimò diſpoſita ad definitionem ſententia pia, imò neque exſpectari debere Concilium generale congregandum, ſed poſſe Summum Pontificem hoc præſtare, propterea quòd Patres Eccleſiæ in Concilio congregantur, ut communiorem ſenſum Eccleſiæ aperiant & declarent, quod præſtant ſuis ſuffragiis, quibus definitivam tradunt ſententiam poſtea à Summo Pontifice declarandam, & toti populo Eccleſiæ ut de fide proponendam, quod ex-

tem quam apud ſe reſervat, &c. Vide Authorem Del Caſtillo.

307. Si autem teneas cum prima ſententia, quòd B. Virgo non peccavit in Adamo reſpondebis ad primum ſecundæ ſententiæ B. Virginem non fuiſſe excluſam ab illis locutionibus generalibus, ſed non incluſam in illis, quia omnes illæ intelliguntur, & de contractione debiti, & de contractione peccati, & nullo Adami poſtero excluſo ab utroque (ut ex profeſſo docet Ægidius q. 5. art. 3.& 5.) Cum Virgine autem non loquitur, quia tantum habuit propter excellentiſſimam ejus dignitatem pro capite morali Chriſtum Domin m non Adamum, ſive inferiorem, quod intelligimus ſic factum ex Scriptura ſic inſinuante in pluribus teſtimoniis, & ex aliis quæ adduximus diſput. 2. q. 1. Præterquam quòd probabiliter dici poteſt, quòd cùm Adamus habuerit notitiam Chriſti futuri, etiam eam habuerit ejus matris futuræ, & quòd non ſolùm Deus, ſed etiam ipſe Adam noluit talem Matrem comprehendere quantum ad contractionem peccati in illo pacto, quod pepigit Deus cum ipſo.

B. V. pro capite morali Chriſtum habuit non Adamum.

Ad confirmationem reſpondetur, quod illa doctrina eſt vera de omnibus, non incluſà Virgine, & de redemptione ſublevativa, de qua ibi loquebantur Zoſimus & Auguſtinus; imò & ſi aliquid probaret, quod B. Virgo contraxiſſet non ſolùm debitum, ſed etiam peccatum.

Ad ſecundum ex authoritatibus Patrum reſpondetur, quòd vel loquuntur de obnoxietate in debito remoto ante peccatum Adami habito, quia ſi Virgo non eſſet futura Mater comprehenderetur in lege, & in peccato, ſicut reliqui poſteri Adami, vel loquuntur de obnoxietate ex modo propagationis ſuæ; vel loquuntur negando Virginis immunitatem à debito per ſe, ſicut habuit Chriſtus, ſed non per accidens, qualem ipſa habuit: vel denique loquuntur de carne peccatrice, non in propriâ perſonâ, ſed in perſonis totius progeniei, quæ peccatrix fuit, & contractione peccati originalis, & aliorum peccatorum actualium contractione.

Chriſtus per ſe immunis fuit à peccato orig. B.V. per accidens & per gratiam.

Tertia verò ſententia in quantum Virginem eximit à debito proximo, nobiſcum eſt; in quantum verò illam includit in debito remoto non qualicumque, ſed peccandi originaliter, & conſequenter illam includit, tamquam comprehenſam in lege, etiam eſt probabilis, quia hoc docet cum ſecunda ſententia. Sed ad ejus argumenta faciliter reſponderi poteſt ex dictis pro prima noſtra concluſione, contra quam & alias nihil ſupereſt dicendum.

NOTA.

Eadem eſt ratio utriuſque, & eiſdem meritis quibus præſervata exiſtit B. Virgo à peccato originali, præſervata exiſtit à debito: qua-

Digitized by Google

quare cum communi Theologorum ſententia, tamquam de fide, ſuppono Chriſti meritis redemptam fuiſſe Dominam ab eis, à quibus fuit libera. Vide plura apud Del Caſtillo diſp. 3. de præſervat. B. Virg. quæſt. 2.

QUÆSTIO II.

Vtrum ſententia pia de immaculata Conceptione B. Virginis ultimo ſit ad definitionem diſpoſita?

308. Sententia negans pecc. orig. in B. V. cur pia.

MEritò ſententiam, quæ negat in B. Virgine peccatum originale, appellamus piam, quidquid cum Cajetano in Tract. de Conc. §. *Ex omnibus autem dictis*, alii velint, aſſerentes non continere veram pietatem, ſed exiſtimatam, præterea pietatem quidem eſſe, ſed non ſecundùm ſcientiam, præterea ſuam ſententiam eſſe probabilem, noſtram verò tolerabilem cenſeri poſſe; nam virtus pietatis eſt ſecundùm Theologos, quæ colit parentes, & alios habitos loco parentum; & noſtra ſententia colit Virginem loco parentis habitam, juxta illud: *Monſtra te eſſe matrem*. Præterea in Bulla conceſſa à Sixto V. & relata ab Emanuële Rodriguez in Bullario fol. 1143. ubi conceditur Minoribus poſſe recitari officium, cum octava in Feſto Conceptionis ait Pontifex: *Nos tam pium & laudabile propoſitum fovere volentes, &c.* Tum denique quia eſt materia voti & juramenti, ut latè probat Portel ubi ſupra, quæ non poteſt eſſe niſi materia virtutis, imò & de meliori bono. Quærimus ergo an hæc ſententia pia ſit ultimò ad definitionem diſpoſita? Et notanter dicimus *ultimò*, quia non ſolùm quærimus de diſpoſitione remota, ſed etiam de proxima.

309. Sententia pia de immac. Conc. B. V. eſt proximè definibilis ſine Conc. generali.

Prima concluſio. Definibilis eſt ſententia pia. Ita Suarez 2. tom. ad 3. p. diſp. 3. ſect. 6. §. *Dico tamen primò*. Vaſquez ibidem diſp. 117. cap. 14. §. *Hac verò primùm* num. 142. qui duo Authores aſſerunt etiam oppoſitam ſententiam eſſe definibilem, ſed difficilius: eam tamen abſolutè docet Pytigianus ad 3. Scoti q. 1. art. 6. concl. 1. Ægidius de Præſent. l. 3. q. 8. art. unico §. 1. Salazar c. 43. §. 6. & ſatis in eam inclinat Ojeda in ſua informatione pro imacul. Concept. c. ult. fol. 53. pag. 1. Nota: Suarez loco cit. probat quod non ſolùm remotè ſed etiam proximè ſit ultimò diſpoſita ad definitionem ſententia pia, imò neque exſpectari debere Concilium generale congregandum, ſed poſſe Summum Pontificem hoc præſtare, propterea quòd Patres Eccleſiæ in Concilio congregantur, ut communiorem ſenſum Eccleſiæ aperiant & declarent, quod præſtant ſuis ſuffragiis, quibus definitivam tradunt ſententiam poſtea à Summo Pontifice declarandam, & toti populo Eccleſiæ ut de fide proponendam, quod ex-

Digitized by Google

excuſari poteſt, quando communis totius Eccleſiæ ſenſus notorius & apertus omnibus eſt, ut contingit in præſenti puncto; ſive communis iſte Eccleſiæ ſenſus ſumatur ex Patribus & Principibus populi Chriſtiani, ut ſunt Epiſcopi, &c. ſive ex communi plebe fidelium, ut ſunt reliqui ab illis. Hanc ergo ſententiam & nos amplectimur, quam diverſis concluſionibus diſtinctam probabimus, inquit Franciſcus Del Caſtillo.

Prima concluſio jam poſita eſt, eamque probat primò, quia illa opinio pertinet ad fidem, & eſt denuò proximè definibilis, quæ ut patet ex teſtimonio S. Cecilii ab Apoſtolis jam fuit definita, ut latè probat Ægidius l. 3. q. 5. art. 3. ſect. 4. per totam; ſed ſic ſe habet noſtra ſententia: ergo.

Secundò, quia illa quæſtio ad fidem pertinet, quæ facit verum & genuinum S. Scripturæ intellectum; ſed ſic ſe habet quæſtio de Conceptione, nam ex definitione illius intelliguntur, quo ſenſu ſint accipiendæ locutiones Scripturæ univerſales de peccato originali loquentes; & loquentes de Chriſti Redemptione: ergo, &c.

Et confirmatur, quia Nativitas Sancta B. Virginis eſt veritas ad fidem pertinens; ergo & Conceptio immunis ipſius Dei Genitricis etiam poteſt pertinere ad fidem.

Tertiò probatur, quia hæc concluſio ſupponitur à Sixto IV. Alexandro VI. Paulo V. &c. quatenùs jubent, ut nullus harum opinionum hæreſi damnet oppoſitum, donec à Romana & Apoſtolica Sede altera fuerit definita.

Quartò, quia in Concilio Baſileenſi actum eſt de definitione illius, & quamvis ſeſſio illa, in qua hoc judicium prolatum eſt, legitima propter ſchiſma non fuerit, tamen Patres illius Concilii ſententiam iſtam eò deductam cenſuerunt, ut de illius definitione & declaratione jam tunc agi poſſet; imò & hoc feciſſe ex inſtructione, quam legati à Summo Pontifice habuerunt, ſcribit Gabriël in 3. diſt. 3. quamvis emiſſa definitio ideò non fuerit legitima, quia vigente ſchiſmate edita fuit.

Quintò denique probat Suarez, quoniam hæc veritas eſt ſupernaturalis plurimùm referens ad Chriſtianam pietatem, quandoquidem Virginem liberat ab omni peccato, etiam originali, imò & pertinens ad divinum cultum, ut patet ex celebratione Feſti Conceptionis ſub nomine Præſervationis, authoritate Romanæ Eccleſiæ, non ſolùm inſtituta, ſed etiam confirmata, quam etiam ipſamet Eccleſia ipſi populo fideli concionibus perſuadet; ſed quæ ſunt ſic ſupernaturalia, pertinentque ad Chriſtianam pietatem, & ad divinum cultum ſunt definibilia, ut fuêre ejuſdem Beatiſſimæ Virg. MARIÆ præ-

Digitized by Google

præſervatio ab omni peccato mortali & veniali, Aſſumptio in corpore ad cœlum, quæ ſine errore negari non poſſunt, ut docet Ægidius ſupra §. 2. numero 7. ergo ſententia pia definibilis eſt.

310. Sententia immaculatæ Concept. non poteſt de fide definiri.

Secunda Concluſio Beatiſſimam Virginem contraxiſſe peccatum originale nequit de fide definiri: quando ad definitionem deveniatur, abſque dubio definietur, eam ab originali labe fuiſſe præſervatam. Ita Pytigianus & Salazar ubi ſupra, & Ægidius §. 3.

Sententia pia fuit olim ab Apoſtolis definita.

Et probatur primò, quia ex graviſſimo teſtimonio S. Cecilii conſtat piam ſententiam ab Apoſtolis fuiſſe definitam, quamvis temporum injuriâ talis definitio ex hominum memoria deciderit: ergo neque oppoſitum poterit ab Eccleſia definiri, neque non ejus definitio poteſt ſtare pro ſententia pia.

Eccleſia in ordinando cultum non poteſt errare.

Secundò, quia Eccleſia non poteſt errare in his, quæ pertinent ad pietatem & divinum cultum, ergo neque definire contra id, quod circa hoc decrevit, ſtabilivit, fovit, docuit, & ad ipſum allicere procuravit, qualiter ſe habuit inſtituendo Feſtum Conceptionis, ut prædicetur, celebretur, & ad ipſum per confraternitates, per inſtitutiones religionis Monialium, per indulgentiam gratiarum, &c. allicere ad hoc myſterium puræ Conceptionis curavit.

Tertiò probatur, quia Eccleſia ita eſt pro parte iſta, quod in officio, quod pro Conceptione Minores Fratres recitamus, in oratione ita expoſcit vitam æternam, ſicut aſſentit veritati hujus ſententiæ; id enim ſignificat illis verbis: *Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparâſti; quæſumus, ut ſicut ex morte ejuſdem Filii ſui præviſa eam ab omni labe præſervâſti, ita nos quoque mundos ejus interceſſione ad te pervenire concedas.* Nota ly *ut ſicut*, & compone cum ly *ita nos*. Quomodò ergo poſt hæc poſſet in contrarium abire, & ſuam ſententiam tamquam omninò falſam mutare.

Et confirmatur, quia ſi à parte rei nequit hæc pia ſententia eſſe falſa, ut Ægidius & Salazar probant; ergo neque poterit alia quam ipſa definiri quia nequit definiri niſi verum, ergo quando ad definitionem accedatur, non oppoſita, ſed noſtra ſententia pia definietur.

Quartò probatur à Salazar, & à priori, quia illa ſententia proximè definibilis eſt, pro qua ſtat major Eccleſiæ pars, ſive nomine Eccleſiæ Doctores & Paſtores illius intelligamus, ſive etiam intelligamus ipſorum fidelium partem; ergo Major probatur, quia ideò Concilium congregatur, ut Patrum in ipſo congregatorum ſuffragiis conſtet, quod tota Eccleſia, vel major Eccleſiæ pars ſentiat circa partem definiendam: 311.

 dam:

dam: unde Epiſcopi in legitimo Concilio ſub obedientia Pontificis manentes, & directionem ab ipſo acceptam per omnia ſequentes, in declaratione ſenſus Eccleſiæ univerſalis deciſivam & definitivam ſententiam habent, ut ex materia de Conciliis latè tradit Salazar. Minor non indiget probatione, quia per ſe patet ex dictis: ergo.

Et confirmatur, quia non eſt minoris virtutis, & authoritatis Eccleſia junior, quam Eccleſia antiquior, ad definiendum de fide id, quod vel tota Eccleſia, vel ſaltem major pars Eccleſiæ docet; ergo non minus eſt definibilis pia ſententia, in qua major Eccleſiæ pars conſpirat, quàm aliæ ſententiæ, quæ antiquitùs, licèt aliquando, & ab aliquibus ſub dubio extitêre, tamen propter conſenſum majoris Eccleſiæ partis fuerunt definitæ.

312. Quintò denique probatur, quia ut aliquod dogma ſit proximè definibile, tantum requiritur cognitio, & deprehenſio alicujus medii infallibilis ex quo certo conſtet illud eſſe revelatum à Deo, ſed hujuſmodi eſt ſenſus communis Eccleſiæ manifeſtatus ut decet, ſive in Concilio ſive extra, & hoc convenit in præſenti caſu; ergo. Major patet ex materia de fide, quia illud eſt de fide, quod eſt revelatum à Deo: ergo cognito & deprehenſo in medio, in quo hoc conſtet, erit proximè definibile. Minor probatur ex pluribus Scripturæ teſtimoniis, in quibus promittitur Eccleſiæ Spiritus Sancti aſſiſtentia ne erret in rebus fidei. Vnde Paulus 1. Tim. 3. Eccleſiam appellat *Columnam & firmamentum veritatis*. Et Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis, Spiritum veritatis, ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*. Et in 1. Ioan. *Sed vos unctionem habetis à Sancto, & nôſtis omnia, &c.* omitto plura alia. Vnde Bellarminus de Eccleſia l. 3. c. 16. & Valencia 2. 2. diſput. 1. q. 1. punct. 7. §. 17. dicunt omnes Epiſcopos & Paſtores Eccleſiæ, etiam extra Concilium, non poſſe erroneam aliquam doctrinam amplecti. Ergo.

Hæc, quæ huc uſque in hac quæſtione diximus, inquit Franc. Del Caſtillo diſp. 4. circa definibilitatem opinionis piæ q. 2. tantum debent accipi in ſenſu probabili, ne à nobis contraria ſententia patiatur cenſuræ injuriam.

QVÆSTIO III.

Vtrum ſit verè Martyr, qui pro hac Virginis immunitate mortem ſubiret.

QVæſtio iſta conducit tum ad majorem ſententiæ piæ honorem, tum ad majorem oſtenſionem veritatis, quæ pro ipſa ſtat: & pro explicatione ipſius ſuppono cum communi ſententia Theologorum, Martyrium conſiſtere in paſſione 313. An Martyr qui pro immunitate B. V. moreretur.

paſſione pro veritate fidei, vel pro veritate alicujus virtutis aliquo modo eam referendo inChriſtum, qualiter Ioannes Baptiſta fuit verus Martyr, cum paſſus fuerit propter ſuadendam virtutem caſtitatis, & propter increpationem vitii appoſiti. Ita communiter docent Scholaſtici in 4. diſt. 47. & D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 5.

Affirmant aliqui. Prima ergo ſententia docet verum Martyrem, qui pro hac Virginis immunitate mortem ſubiret. Ita docet expreſsè Ægidius de Præſentatione l. 3. q.9. art unico §. 4. & pro ea citat Alvarum Piſſana de Palacios in ſuis diſcurſibus pro immaculata Concept. diſcurſu 2. punct. 2. in fine, & probat, quia ille eſt verè Martyr, qui pro bono alicujus virtutis mortem ſubit, dummodò illam in Chriſtum aliquo modo referat: ſed qui patitur mortem pro defendenda Virginis immunitate, hoc exhibet in obſequium virtutis pietatis, & pro aliqua veritate, quæ colitur ab Eccleſia in gloriam Dei Chriſti, & Virginis Beatæ: ergo.

Et confirmatur, quia hoc eſt efficere opus non ſolùm in obſequium virtutis pietatis, ſed etiam pertinens ad fidei pietatem, ad quam Eccleſia allicit: ergo eſt verum Martyrium.

114. Alii negant. Secunda & oppoſita ſententia hoc negat. Ita expreſsè tenet noſter Portel in dubiis Regularibus Verbo, *Conceptio Deiparæ*, num. 6. verſ. *tertiò tandem error.* & num.7. verſ. *Secundò dico.* Et probat primò quia in edicto publico Supremi Senatus Inquiſitionis regni Portugalliæ, quod ſupra retulimus q. 1. hujus diſput. inter alias propoſitiones condemnatur iſta, *Quare verum ſubiret Martyrium, qui pro defenſione ejus moreretur.*

Secundò quia virtus, pro cuius defenſione moriens dicendus eſt Martyr, debet eſſe virtus certa, & omninò indubitata, cui ex parte materiæ vel ſubjecti non poſſit ſubeſſe falſum, qualis eſt caſtitas, immunitas Eccleſiæ. Si autem virtus aliqua nitatur opinioni, tunc licèt artus exercitus circa talem virtutem putatum ſit quidem pius, laudabilis & meritorius ſaltem ex bona fide operantis, non tamen erit actuali virtutis certæ & indubitatæ, ſed moriens pro defenſione Conceptionis non exercet actum virtutis certæ & indubitatæ, cui ex parte materiæ vel objecti non poſſit ſubeſſe falſum: ergo.

In hac re pro dicendis ex noſtra ſententia, nota, aliud eſſe velle mori pro veritate hujus ſententiæ piæ; aliud velle mori pro defenſione hujus ſententiæ piæ: primùm enim eſt velle mori pro re reſpectu totius Eccleſiæ uſque modò dubia, licèt fortè reſpectu hujus vel illius non ſit dubia, ſed certa, vel moraliter, vel phyſicè ſecundùm diverſas ſententias ſupra relatas in hac diſp. q. 1. Secundum verò non eſt velle mori pro re dubia, ſed pro re certiſſima, quia omninò certum eſt quod ſit actus virtutis defendere B. Virginem à pecca- 115.

peccato originali, ut ſuppoſuimus & probavimus in principio quæſtionis antecedentis: & ratio clara hoc ſuadet; quia quis neget verum actum virtutis ſtudioſitatis elicere Scholaſticum, vel Doctorem quando defendit opiniones, quas cenſet verè probabiliſſimas, quid ſi exiſtimaret à parte rei eſſe veras? Et quid ſi ad virtutem ſtudioſitatis aliqualiter accederet virtus pietatis, ut ſi talis defenſio fieret in obſequium Patris, Matris, Fratrum, &c.

326. Caſtillo diſtinguit: mori pro veritate hujus piæ ſententiæ non cenſetur Martyr ab Eccleſia.

Hoc ergo prænotato, dicendum nobis eſt in hac quæſtione, quòd ſi quis velit ſubire & ſubeat mortem pro veritate hujus ſententiæ piæ, non eſt, vel ſaltem non cenſebitur ab Eccleſia verus Martyr, benè tamen ſi ſubeat mortem pro defenſione illius: ſic veniunt mihi in concordiam revocandæ duæ ſupra adductæ ſententiæ. Et notanter dico in concluſione, *Non eſt, vel ſaltem non cenſebitur ab Eccleſia verus Martyr.* Quia licèt Eccleſia eum non recenſeat inter veros Martyres, quia ſolum in præſenti tempore veritatem hujus ſententiæ tenet ut probabilem, & conſequenter ut non omninò certam, tamen ipſe in ſe fortè erit verus Martyr, quia non ſolùm tenet hanc veritatem, ſed etiam tenet abſque omni formidine & incertitudine, & ut moraliter & phyſicè certam à parte rei, & ut jam ab Eccleſia definitam, ſcilicèt in Concilio Apoſtolorum.

Hanc concluſionem quantum ad primum ſic probo, quia veritas hujus ſententiæ nondum eſt definita ab Eccleſia; ſed mori pro aliqua veritate non definita non eſt verum Martyrium, ergo qui moreretur pro veritate piæ ſententiæ, non eſt verus Martyr. Major patet ex his quæ adduximus pro certitudine hujùs ſententiæ in hac diſput. 41. ubi Summi Pontifices ſolùm illam recenſent ut probabilem, vel ut magis probabilem, tamen expreſsè tradunt nondum eſſe ab Eccleſia definitam: minor etiam conſtat, quia mors pro veritate debet eſſe pro veritate fidei.

327. Moriens pro defenſione ſententiæ piæ eſſet Martyr.

Quantum ad ſecundum ſic probo; quia quando quis poteſt & debet ſeu tenetur exercere aliquem actum virtutis, ſi moriatur pro non deſiſtendo ab exercitio illius, cenſendus eſt verus Martyr; ſed quis poteſt, & fortè aliquando tenetur defendere ſententiam piam: quæ defenſio eſt certus actus virtutis ſtudioſitatis; & in quantum inducit in majorem excellentiam Beatiſſimæ Virginis Matris Dei, & noſtræ pientiſſimæ Matris, eſt actus certus virtutis pietatis: ergo qui moritur pro defenſione ſententiæ piæ cenſendus eſt verus Martyr. Major probatur, quia ſi quis occideretur ne prædicaret, quando id poſſet & teneretur, & non in odium earum rerum, quas foret prædicaturus, ſed in odium illius actionis prædicandi ad quam tenebatur, foret verus Martyr, quia moreretur pro virtute aliquâ, ſcilicèt pro virtute confeſ-

Digitized by Google

confeſſionis,fidei,obedientiæ,charitatis, juſtitiæ, &c. quæ in illa actione elucebat. D. verò Ioannes præcipuè occiſus fuit, quia prædicabat: & ideò cenſetur verus Martyr. Minor verò probatur, quia quod eſt probabile, & magis probabile poteſt quis defendere, & ad id tenetur,ſi debeat ut magiſter & cathedræ moderator ſcholaſticos inſtruere, vel ſi occaſio propter diverſas circumſtantias occurrentes ſic exigat: & licèt aliquando hæc præcepta non obligent cum diſpendio vitæ, aliquando tamen cum illo obligant, & ſæpiſſimè remanet ad minus in ratione operis boni ex conſilio, ſed ſententia pia eſt probabilis & magis probabilis: ergo, &c.

Et per hæc patet ad argumenta utriuſque ſententiæ ſolutio. Ad primum primæ reſpondetur,quòd ſubire mortem pro veritate probabili, non eſt eam ſubire pro defenſione alicujus virtutis, neque pietatis, neque alterius, bene tamen eam ſubire pro defenſione prædictæ veritatis, quia talis defenſio eſt actus virtutis, & mori pro non deſiſtendo à tali actione, eſt mori pro ipſa veritate ſtudioſitatis eliciente talem actum, & pro virtute pietatis imperantis fortè talem actum, ut contingit in præſenti, & per hoc patet ad ejus confirmationem reſponſio.

Ad primum ſecundæ ſententiæ reſpondetur primò, quod illa verba illius edicti intelligenda ſunt ad mentem Doctoris, quem damnabat, cujus mens fuit dicere taliter morientem mori pro defenſione fidei, quia ipſe aſſerebat hanc veritatem per celebrationem hujus feſti eſſe collocatam inter veritates fidei, ut patet ex verbis ſupra adductis, quod Eccleſia modo obviat ut dicitur. Vide Anthorem Del Caſtillo hîc.

Secundò quod ſunt abſolutè intelligenda, ſi explicentur non de morte pro defenſione, ſed pro veritate defenſa, quia cum probabilis tantum ſit, & nondum ſit definita, non poteſt pro ea eſſe verum Martyrium, & utramque hanc ſolutionem non improbavit Portel, ſecundùm ea quæ ibidem docet. 318.

Ad ſecundum reſpondeo concedendo, quòd virtus, pro qua moritur quis,debet eſſe virtus certa ex parte materiæ ſeu objecti: nego tamen quod virtus, à quâ elicitur & imperatur prædicta defenſio, non ſit ut ſic certa, quandoquidem objectum ſtudioſitatis eſt oſtendere veritatem, quam defendit ſecundùm probabilitatem, vel certitudinem, quam in ſe habet, & objectum pietatis eſt exhibere cultum & obſequium parentibus; & hoc totum certè relucet in defenſione talis ſententiæ; eſt enim actus ex objecto & circumſtantiis honeſto, & conſequenter ad aliquam virtutem determinatam ſpectans;veritas tamen defenſata non eſt objectum formaliter ſpecificans virtutem, ſed tantum materialiter ſe habet.

Digitized by Google

Hactenus Franciſcus Del Caſtillo, cujus tractatus de Incarnatione Verbi divini & præſervatione Virg. MARIÆ ab originali approbati ſunt à Vicario generali in audientia Curiæ Archiepiſcopalis Complutenſis, & in omni Archiepiſcopatu Toletano, &c. ſcilicet Ioanne de Narbona, anno 1638. 8. Martii, atque etiam à Miniſtro Provinciæ Caſtellæ Regularis obſervantiæ Seraphici P. N. Franc. an. 1638. 20. Martii nomine F. Ioann. Merinero. Tract. illi impreſſi ſunt Antuerpiæ apud Petrum Bellerum an. 1641.

LECTIO III.

De Prærogativis aliis B. V. MARIÆ.

CAP. I.

De gratiæ plenitudine B. V. M. ex SS. Patribus.

319. Eccleſ. 39. dicitur: *Benedictio illius*, nempe Dei, *quaſi fluvius inundavit*. Quemadmodum Nilus inundans terram ex omni parte irrigat, aquiſque operit, ita Dei benedictio, id eſt, gratia & dona Dei omni ex parte B. Virginem Dei Genitricem MARIAM irrigârunt, atque operuerunt. Dixit olim Iacob ad filium Ioſeph: *Benedictiones Patris tui confortatæ ſunt benedictionibus Patrum ejus.* Hoc Deiparæ rectiſſimè accommodamus, ſiquidem benedictiones Virginis confortatæ ſunt ac prævaluerunt benedictionibus & prærogativis Patrum ejus. Nec benedictionis Abrahæ, nec Iſaac, nec Iacob, nec Davidis, nec viri aut fœminæ alicujus cum Deiparæ benedictionibus & gratiis certare poſſunt, longè omnes ſuperat. Benedicta eſt in mulieribus, benedicta quoque præ omnibus viris.

Plenitudo gratiarum B. V.

Gen. 49.

S. Hieron. epiſt. ad Fabiolam de 42. manſionibus: *Quadraginta*, inquit, *duæ manſiones, per quas Iſraeliticus populus venit, ſunt quadraginta duæ generationes ab Abraham uſque ad Chriſtum; in quo numeri ſacramento verus currit Hebræus, qui de terra tranſire feſtinat ad cœlum, & Ægypto ſæculi derelictâ, terram repromiſſionis ingreditur: Nec mirum ſi in hujus numeri myſterio perveniamus ad regna cœlorum, ſub quo Dominus atque Salvator à primo Patriarchâ pervenit ad Virginem, quaſi ad Iordanem, quæ pleno gurgite fluens, Spiritus S. gratiis redundabat.*

B. V. comparatur Jordani quoad redundantiam.

Idem (ut habetur in offic. propr. Minor.) priora verba Angelicæ ſalutationis, *Ave gratia plena* exponens. *Et benè plena*, inquit, *quia ceteris per partes præſtatur: MARIÆ vero ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ. Verè plena, quia etſi in Sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuiſſe creditur, non tamen eatenus plena. In MARIAM verò totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quamquam aliter.* Illud autem, *Quamquam aliter*, ſic explicat S. Bernardinus Senenſ. *In*

In Sanctis gratia particulis, in B. V. plenitudo. S. Hieron.

Chri,

Digitized by Google

Differentia plenitudinis gratiæ Chriſti & B. V. *Chriſto*, ait, *ſicut in homine perſonaliter Deificato*, ſcilicet, eſt plenitudo gratiæ: *in* MARIA *ſicut in templo Chriſti. Verbo ſingulariter dedicato. In Chriſto, ut in capite influente; & in* MARIA, *ut in collo corpori Eccleſiæ tranſfundente. In Chriſto fuit, ut in ſuppoſito ſubſiſtente, ac ex univerſali fonte omnis boni lumen gratiæ influente: in* MARIA *ſicut feliciùs hæc omnia tam mente quàm carne recipiente.*

320. B. V. Mater gratiarum S. Bonav. S. Bonaventura in ſpec. B. V. lect. 3. MARIA, inquit, *dicitur mare propter affluentiam & copiam gratiarum. Vnde ſcriptum eſt in Eccleſiaſte, Omnia flumina intrant in mare: flumina ſunt chariſmata Spiritus S. unde Ioannes dicit: Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia chariſmata Sanctorum intrant in* MARIAM. B. V. omnium Sanctorum gratias habet. *Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in* MARIAM, *& flumen gratiæ Patriarcharum & Prophetarum intrat in* MARIAM, *& flumen gratiæ Apoſtolorum intrat in* MARIAM, *& flumen gratiæ Martyrum intrat in* MARIAM, *& flumen gratiæ Confeſſorum intrat in* MARIAM, *& flumen gratiæ Virginum intrat in* MARIAM. *Omnia flumina intrant in mare, id eſt, gratiæ intrant in* MARIAM. *Vnde ipſa optimè dicere poteſt illud* Eccleſiaſtici, *In me omnis gratia viæ & veritatis; & in me omnis ſpes vitæ.*

Idem in 1. diſt 43. *Beata Virgo*, ait, *tantam habuit gratiam, quòd de facto non poterat plus recipere, & quantum pura creatura recipere potuit.* Intellige ſecundùm legem Dei ordinatam, non autem ſecundùm abſolutam ipſius potentiam.

S. Thomas Aquinas Opuſc. 8. Docet B. Virginem plenam fuiſſe gratiâ quantum ad tria. Primò quantum ad animam, ad vitandum omne peccatum & omnium virtutum opera exercenda, & ideo datam vult in exemplum omnium virtutum. Secundò plenitudinem habuit quantum ad abundantiam gratiæ animæ ad corpus, de quo concepit filium Dei. Tertiò quantum ad refuſionem in omnes homines, quorum ſalutem juvat. 321. B. V. fuit plena gratiâ tripliciter.

Magnum eſt, inquit Aquinas, *in quolibet Sancto quando habet tantum de gratia, quod ſufficit ad ſalutem multorum, ſed quod haberet tantum, quod ſufficeret ad ſalutem omnium hominum de mundo, hoc eſt maximum, & hoc eſt in Chriſto & in beata Virgine. Nam in omni periculo potes obtinere ſalutem ab ipſa Virgine glorioſa. Vnde Cantic. 4. Mille clipei, id eſt, remedia pendent ex ea. Item, in opere virtutis potes eam habere in adjutorium. Et ideò dicit ipſa* Eccleſ. 24. *In me omnis ſpes vitæ & virtutis.* Hactenus D. Thom. B. V. recepit gratiam pro omnibus hominibus.

Divus Bernardus ſupra Euangelium miſſ. dicit: *De plenitudine ejus accipiunt univerſi, captivus redemptionem, cæcus illuminationem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, filius Dei humanæ carnis ſubſtantiam, & tota* Omnes participant de plenitudine gratiæ B. V.

 Tri-

Trinitas gloriam, ita ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus.

322. Abyſſum receptæ gratiæ à B. V. in hora Conceptionis filii Dei, Angeli non capiunt.

S. Bernardinus Sen. ſerm. 61. de Virgin. bened. c. 12. *Ad illam,* inquit, *Abyſſum imperſcrutabilem omnium chariſmatum Spiritus S. quæ in beatam Virginem deſcenderunt in horâ divinæ Conceptionis, intellectus humanus vel Angelicus numquam potuerunt attingere, quod declarans Angelus Gabriel, cum ab eo quæreret B. Virgo & diceret: Quomodo ſiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Reſpondit Angelus, ſe tantum myſterium ignorare, dicens: Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, quaſi diceret, quod à me quæris ignoro, ſed æternæ ſapientiæ Doctor (qui tibi ſoli hoc altiſſimum myſterium reſervavit) te per illuminatiſſimam experientiam edocebit.*

323. B. Virg. plena gratiæ quadrupliciter.

S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 21. §. 15. fin. Docet, quòd B. Virgo fuit plena gratiâ quadrupliciter. 1. *quia omnes gratias generales & ſpeciales omnium creaturarum habuit in ſummo.* 2. *Illas gratias habuit, à quibus omnis creatura vacua fuit.* 3. *quia ſua gratia tanta fuit, quod pura creatura majoris gratiæ capax non fuit.* 4. *quia etiam gratiam increatam, id eſt, Deum in ſe tota continuit, & ſic per omnem modum gratiâ plena* fuit. Sic Anton.

S. Epiph. ſerm. de laud. B. V. Damaſc. orat. 1. nativit. B. V.

D. Epiphanius: *Gratia,* inquit, *S. Virginis eſt immenſa,* item D. Bonavent. in ſpec. B. V. lect. 5. Anſelm. de excell. B. V. c. 8. Damaſc.

S. Athanaſius in Euang. de ſanctiſſima Deipara. *Idcirco,* inquit, *gratiâ plena cognominata eſt, eo quod adimpletione Spiritus S. omnibus gratiis abundaret, & virtute Altiſſimi obumbraretur, quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuiſſe confido, & poſt conceptum retinuiſſe, neque enim id temporarium in Virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe, quemadmodum & nunc in præſentia, & in æternum uſque habet hæc Virgo ſibi obumbrantem virtutem Altiſſimi, &c.*

CAP. II.

De immunitate B. V. ab omni peccato actuali.

Sanctitas conſiſtit in immunitate à peccatis, & poſſeſſione virtutum, adeoque quanto quis in hac firmior, provectior, perfectiorque, atque ab illis remotior, tanto coràm Deo ſanctior habetur. De immunitate B. Virginis ab originali peccato jam dictum: quod autem actualem culpam attinet, nemo ab ea umquam ita alienus extitit, quemadmodum B. V. Maria, quæ ne tenuiſſimum quidem venialem aliquando commiſit. Colligitur ex Conc. Claremontano ſub Vrbano II. celebrato ann. 1095. & Tridentino ſeſſ. 6. can. 23. ubi hæc concluſio manifeſtè continetur. Maria *Virgo in tota vita, quemadmodum tenet Eccleſia, ex ſpeciali Dei privilegio,* pec- 324.

Immunitas B. V. ab omni actuali.

Digitized by Google

B.V. ex ſpeciali gratia nullum umquam veniale peccatum commiſit.

peccata omnia, etiam venialia vitavit. Et ſic communiter cum Eccleſia docent SS. Patres, & concorditer tenent Doctores Scholaſtici in 3. d. 3.

D. Auguſtinus de natura & grat. c. 36. cujus verba, quia ſupra ubi de Concept. B. V. protulimus, hîc ſuperſedemus.

325. D. Baſilius Seleuciæ Epiſc. *Quid dulcius*, ait, *fratres chariſſimi, quid jucundius, quid ſalubrius, quid felicius, quàm de Virgine loqui, de Virgine cogitare? Hæc eſt, quæ fuit in utero matris abſque originali peccato concepta & generata, ab omni mortali vitio ſegregata, omni etiam veniali peccato privata, & in cunctis actibus & moribus Spiritus ſancti gratiâ plena & fœcunda.*

Richard. à S. Victore in Cant. c. 26. *Ante conceptionem Filii Dei per gratiam cuſtodita eſt à peccatis: poſt verò ita confirmata eſt ex virtute Altiſſimi obumbrata, & roborata, ut peccatum omnino committere non potuerit.*

326. Docent hoc etiam Hugo à S. Vict. l. 2. de Emmanuële. Rupertus l. 7. de glorific. Trin. c. 13. & l. 6. in Cant. D. Bernardus Serm. Aquæductus, &c. D. Thomas 3. p. q. 27. art. 4. *Cùm eximio*, ait, *& ſingulari quodam modo Dei Filius in B. Virgine habitaverit, ſimpliciter fatendum eſt, eam, nec mortale, nec veniale peccatum umquam commiſiſſe, hoc enim in Filii ignominiam quodammodo vergeret.* Rurſus Opuſc. 8. Super Salve Regina. *Excedit*, ait, *Angelos quantum ad puritatem, quia B. Virgo non tantum erat pura in ſe, ſed etiam procuravit puritatem in aliis. Ipſa enim puriſſima fuit & quantum ad culpam, quia ipſa Virgo, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.*

S. Bonaventura in 3. d. 3. art. 2. q. 2. *Congruum*, inquit, *erat, ut B. Virgo* M A R I A, *per quam auſertur, nobis opprobrium, vinceret diabolum, ut nec ei ſuccumberet ad modicum. Vnde de ipſa exponit tam* Bern. *quàm* Auguſtin. *illud: Ipſa conteret caput tuum. Si ergo ſuggeſtio eſt caput diaboli, nulla ſuggeſtio ingreſſum vel locum habuit in mentem Virginis, & ita tam à mortali immunis fuit, quàm à veniali. Congruum etiam fuit ut illa, quæ placuit Altiſſimo, adeò ut fieret ejus Sponſa, & Mater Filii Dei Vnigeniti, ſic eſſet immaculata mente, ſicut & intemerata carne. Quoniam ergo B. Virgo Advocata eſt peccatorum, gloria & corona Iuſtorum, Sponſa Dei, & totius Trinitatis triclinium, & ſpecialiſſimum filii reclinatorium, hinc eſt quod ſpeciali gratiâ Dei nullum in ea peccatum habuit locum.*

Doctor Subtilis Ioan. Scotus in 3. d. 18. q. 1. §. Hoc viſo, n. 13. *Beata Virgo*, inquit, *Mater Dei, numquam fuit inimica*, Dei videlicèt, *actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis, fuiſſet tamen, niſi fuiſſet præſervata.*

Digitized by Google

CAP. III.

De virtutibus B. Virginis ex Euangelio.

Virginitas B. MARIÆ ab Iſaia prædicta, etiam ab Euangeliſtis evulgatur, dum eam Virginem appellant etiam viro deſponſatam, hoc eſt conjugatam. Hanc autem ex voto ſervabat cùm ab ineunte ætate eam Deo conſecrâſſet. Ob eamdem cauſam attonita ſuper cœleſti nuncio de concipiendo & pariendo filium, dicebat: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* Id eſt, ex voto cognoſcere non poſſum, nec debeo. Audi, inquit Greg. Nyſſenus, puræ Virginis vocem; Angelus partum denunciat, & illa virginitatem amplectitur; quam ſine conſilio, præcepto, aut exemplo prima omnium ſervavit, & probabiliter veteres docuerunt. Luc. 1. Matth. 1.

327. Virginitas B. V. *Luc. 1. Matt. 1.*

Serm. de Nativ. Chriſt.

Humilitas B. MARIÆ illuxit in eo, quòd ab Angelo Mater Dei ſalutata, audito conceptionis ſtupendo ordine, Deo ſe totam humili ſubjectione dedicat, & velut tabulam ſe cœleſti penicillò poliendam pingendamque proponit, nec Dominam aut Reginam profitetur, ſed ancillam dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Luc. 1.

Humilitas B. V. ad Deum.

Et quidem illa prior ergaDeum: ſed nec minor erga proximum humilitas Virginis fuit. Intellexit ex Angelo cognatam Elizabeth concepiſſe, & jam ſextum menſem uterum geſtare, ſurgit ocyus, montana conſcendit pedes, teſte D. Bonaventurâ, & per quadraginta paſſuum millia iter arripit, ut cognatæ circa inſtans puerperium inſerviret, & congratularetur de cœleſti beneficio, quæ meritò congratulantium voces & miniſteria aliorum exſpectare debuerat. Vnde dum eam Beatam pronunciat Elizabeth, nihil elatior, largitorem Deum, à quo omne donum perfectum, magnificabat, quia humilitatem ancillæ ſuæ reſpicere dignatus fuiſſet.

Humilitas ad proximum.

Excellentiſſima item fuit humilitas Matris Dei ſanctiſſimæ, quando cum Sponſo Ioſeph in Bethlehem profecta eſt, ut edicto Cæſaris ſatisfaceret, atque ibidem non inveniens hoſpitium vile tugurium ſubiit, in quo divinam prolem peperit, interque jumenta in præſepio reclinavit. Mox Herodis furorem fugiens in Ægyptum ſeceſſit, ubi in gente ignota & barbara annis 7. morata eſt. Luc. 2.

Fides Deiparæ maxima fuit, utpote quæ res arduas, mundo ignotas, & paradoxa, ſicut erat Virginem parere, Deum hominem fieri, ita firmiter credidit, ut ne minimum in corde hæſitaverit. Sciebat apud Deum non eſſe impoſſibile omne verbum, ideoque magnum illud *fiat* (ad cujus ſonitum cœlum exultavit, terra tremuit & nihilominùs gaviſa eſt) edixit, nec aliunde Elizabeth, mater præcurſoris beatam prædicavit, quàm quòd

328. Fides B. V.

Digitized by Google

quòd credidiſſet. Luc. 1.

Charitas B.V. ad proximum

Declarant charitatem Virginis ad proximum nuptiæ factæ in Cana Galilææ, ad quas IESVS venit cum matre & diſcipulis ſuis. *Deficiente autem vino, dicit* MARIA *mater ad* IESVM: *Vinum non habent.* Ipſa ergo, quo egeſtati nuptiarum ſuccurreret, filium de defectu ſupplendo interpellat, in cujus manu, quod omnia poſita, quæ vellet facere, ſciret, admonet miniſtros ut facerent, quidquid ille juberet. Diſcite exemplo Virginis magnam in mirabilibus habere fidem: non defuit pietati fides, nec efficacia voto. Ioan. 2.

Devotionem ergà Deum conſuetudo adeundi ter in anno templum Ieroſolymitanum probat. *Aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti,* ait Luc. c. 2. &c. Igitur ex pia conſuetudine Virgo Mater cum ſponſo Ioſeph ad ſolemnitates annuas adſcendit, piiſque operibus vacavit, noſque exemplo ſuo dies feſtos colere, templa adire, & Deo vacare docuit

329. Devotio B. V. ad Deum.

Devotionem item Virginis illiuſque erga Deum gratitudinem patefacit canticum *Magnificat*, plenum myſteriis, quod ex corde ſuo & corpore jam Dei pleno deprompſit Luc. 1. Primum veteris Teſtamenti canticum in actionem gratiarum liberati populi de ſervitute Ægyptiorum, ore facundo modulavit Maria, ſoror Moyſis: at novi Teſtamenti canticum primum novumque altera MARIA longè præſtantior, Virgo ſcilicet & mater ob maximum ſalvationis mundi totius beneficium per *Verbum* divinum jam incarnatum exhibendum, edidit. Id verò, Pſalterii inſtar, decem verſibus, quaſi decem chordis, conſtat. Igitur velut in Pſalterio decem chordarum Virgo Deipara ſuaviſſimâ voce pſallit juxta illud Pſalm. 33. *In Pſalterio decem chordarum pſallite illi. Magnificat,* inquit, *anima mea Dominum:* quaſi dicat, Magnificas me, ô Elizabeth, aſt ego Deum magnifico. Laudas me, verùm ego has omnes laudes in Deum, qui fecit mihi magna, rejicio, & ſanctifico nomen ejus. Exultavit infans in utero tuo, verùm ſpiritus meus, non in virtutibus ſuis, aut etiam hominum, ſed in Deo ſalutari ſuo exultat. Eccleſia Catholica canticum hoc ex ore Virg. Deo decantatum, atque ab Euangeliſta mundo evulgatum, in veſpertinis horis quotidie ad exemplum Virg. concinendum decrevit. Faxit Deus ut canorâ voce, abſque ulla peccati raucedine, à nobis decantetur. Vt enim Origines, ait, *Peccatum raucedo eſt animæ. Quis,* inquit, *putas ita canoræ vocis eſt, & ita ſpiritus puræ mentis, qui ſincere canat, ut cantilena ejus poſſit divinum delectare auditum? Ille, qui nullum raucum habet ſonum.*

B. V. omnem laudem in Deum rejicit.

Orig. Peccatum, raucedo animæ.

Obedientia humilitatis comes, hanc etiam arcem tutata eſt, ex quo promptitudinis ancillaris vexillum ex ea ſublatum fuit. Quippè expleto puerperii tempore inſtar aliarum matronarum in dolore 330. Obedientia.

parien-

parientium ſpontè ſe purificationis legi ſubjecit, qua non tenebatur. Nam mulieribus, quæ viri operâ concepiſſent ac peperiſſent, tantummodò præſcripta. Qui gradus obedientiæ non exiguus reputatur, ad eumque Virgo benedicta conſcendit: cum quis lege non tenetur, & nihilominùs perfectiſſimè eam obſervat. Luc. 2. Sed & veteres plerique affirmant, maximè heroicum obedientiæ actum exercuiſſe, quando juxta Crucem ſtetit, & Filium in ea pendentem velut Patri cœleſti obtulit. Nec ſilenda peregrinatio de Nazareth in Bethlehem, quæ ex obedientia ad terrenum Principem, & quidem infidelem, proceſſit. Luc. 2.

Pudor

Pudor, virginitatis monile, in Deipara enituit, quòd intra domicilii ſui penetralia ſe contineret. Non obſcurè indicavit Lucas cum ait; *Et ingreſſus Angelus ad eam:* quaſi videlicet in interiori parte domus reconditam. Vnde Euſebius Emiſſ. Non in plateis erat, inquit, non in publico morabatur, intus erat in penetralibus, ſola ſedebat, non tamen ſola tanto virtutum exercitu circumſepta. Vnde & expavit à conſpectu Angelico, ut Ambroſius notavit: ubi timor, ibi pudor, ut ab Epimarcho dictum Suidas commemorat.

CAP. IV.

De Sacra Communione.

Beata Virgo Maria, ſancti Euangelii Chriſti non 331. Devotio B. V. ad S. Euchar.
tantum auditrix ſedula, verùm etiam ad amuſſim obſervatrix, poſt inſtitutum ſacroſancti corporis & pretioſi ſanguinis ſalutiferum ſacramentum, ac edictum de eo, à cunctis fidelibus ſumendo, ore Dominico promulgatum. *Amen, amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* (Joan. 6.) Ipſa ocyus & hilariter tempore opportuno paruit. Eccur non paruiſſe credatur, quæ etiam de conſiliis Domini ne iota unum præteriit? Eccur non paruiſſet, ubi jam virtutem ac emolumentum præſentiæ divinæ in Conceptione filii Dei copioſiſſimè experta eſſet? Paruit itaque præcepto, & quidem ineffabilis amoris divini præcepto, vel maximè expreſſivo. Cœleſte illud effuſiſſimæ ad homines pietatis filtrum ſumma cum animi religione ac reverentia inter virginea ſuſcepit viſcera, exinde ſpiritum pavit, eſurientem animam ſatiavit, boniſque cœleſtibus replevit, nec non ſuper omnia corde abſentia dilecti ſui mœſtum & gemebundum ejuſdem præſentia, ſubſtupendo quidem & mirabili, ſed tamen communi valde ac gratiſſimo ſpecierum

Digitized by Google

cierum panis & vini condimento recreavit.

332. Chriſtus Sacramentum altaris cur inſtituerit.

Inſtituit quidem Chriſtus Venerabile altaris Sacramentum, ut diſcipulos, quos in mundo relinquebat, conſolaretur, atque eorum ſuſpiria de ſua abſentia poſt cœlorum adſcenſum ac conſeſſum ad dexteram Patris mitigaret: ſic communiter ſancti Patres interpretantur verba illa Matth. ultimo. *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Verumtamen nullum dubium quin Chriſtus in tanti pignoris apud homines depoſitione ac elargitione, ſingularem habuerit rationem conſolandi per hoc ac roborandi ſanctiſſimam & individuam totius peregrinationis ſuæ ſociam, MARIAM matrem, quam pluſquam omnes fideles ſimul diligebat, cuique ſuam abſentiam præ reliquis moleſtiſſimam fore ſciebat: ſicque dulcedinum amorumque, quos à chariſſima parente acceperat, vices rependeret; imò & corpus pro corpore. Semper quippe immenſa Dei Conditoris bonitas, non tantum ad æqualitatem, ſed ſupra modum, ſupra menſuram & omnem cogitatum, tribuentibus ſibi bona, retribuit. Quamobrem lubens aſſentior dicentibus Dei filium intra materna viſcera, carne noſtrâ indutum concluſumque, tantâ inibi fuiſſe voluptate perfuſum, quod divino cum honore, divina cum charitate, omniumque virtutum ſplendidiſſimo apparatu ſuſciperetur à Virgine, ac foveretur, ut is, quo frequentius his ſancti Spiritus deliciis frueretur, adinvenerit modum eò poſt nativitatem revertendi, ac inſuper pacto quodam renovandi incarnationis myſterium, in quo ſibi tantopere complacebat. Quondam Nicodemus, magiſter in Iſraël, dictum Chriſti Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit denuo, &c.* ut impoſſibile ſuggillavit; unde & reſpondit: *Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire & renaſci.* Aſt Chriſtus, cui non impoſſibile omne verbum, ſtupendâ corporis ſui conſecratione, cuique MARIA Virgo ſub ſpecibus panis vinique ſæpius devotiſſimè communicavit, poſſibile ac veriſſimum reddidit, quod aſſeverârat D. Ioannes Apoſtolus, quocum habitabat B. Virgo, quaſi quotidie ſacrificabat; corpus, inquam, Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ad altare Patri cœleſti immolabat, & Virgo Mater in ſpiritu devotionis divinum & tremendum hoc myſterium adorabat, nec non B. Ioannes (cui à Chriſto dictum erat: *Ecce Mater tua.*) eandem ſacro illo ac cœleſti convivio reficiebat. *Ad divina myſteria*, inquit Author anonymus apud metaphraſtem, *quotidie accedebat, & filii corpus, quod prius in utero geſtaverat, ſæpe viſceribus inferebat.* Quid mirum? De primis Chriſtianis teſtatur Lucas Act. 2. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & commu-* 333.

Chriſtus in Sacramento amoris materni vices rependit.

Virtutes B. V. Chriſtum ad renovandum incarnationis myſterium allexerunt.

S. Ioan. B. V. Sacramentum altaris dabat

Communio

catio fra-ctionis panis quid.

communicatione fractionis panis, & orationibus. Et rurſus ibidem. *Quotidie perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis.* Priorem locum atteſtante Georgio Colvenerio, Doctore S. Theologiæ Duaci, plerique omnes de ſumptione Euchariſtiæ intelligunt. Favet textus Syriacus; qui ſic habet. *Et communicabant in oratione & fractione Euchariſtiæ.* Docuit eos Petrus fidem, ſimul & Apoſtolicos mores, nempe renunciare omnibus, ſimul convenire ad orationem, & panis à Chriſto edoctam fractionem. Ita citat Baronius ex Chryſoſt. in Acta Apoſtolorum hom. 4. Sunt qui utroque modo exponunt, videlicet de pane ſancto, & de pane communi, ut gloſſa interlinearis, Lyranus, Hugo Cardinalis, & alii. Poſteriorem quoque locum inter alios de Euchariſtia intelligunt S. Antoninus p. 1. Hiſt. tit. 6. c. 2. §. 1. qui dicit illud communiter exponi de pane Sacramentali Euchariſtiæ. Ioannes Gagnæus in hunc locum, & Baron. tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 34. Facit huc etiam textus Syriacus, qui habet. *Et domi frangentes erant munus benedictum,* id eſt, ſacram ſynaxim, inquit, Bodecrianus in Lexico Syro-Chaldaico. Ad eundem modum exponunt locum Act 20. *Vna autem ſabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem,* ubi per *fractionem panis,* inquit Marchantius in ſuo Tribunali tom. 2. tit. 1. q. 1. in initio, *intelligunt Patres ſacram communionem.* Vt autem hæc loca non convincerent, ſatis tamen conſtat poſt acceptum Spiritum S. hoc ſacramentum à fidelibus omnibus frequentari cœpiſſe. Si Chriſtianorum ceteri (ut argumentatur Drexelius (in ſacra communione frequentanda tam aſſidui, tam quotidiani, ergo etiam beatiſſima Virgo quotidie ſacra myſteria obivit, corpore filii ſui refecta, quem præ ceteris omnibus ardebat.

In kalend. B. V. 26. maji.

De Virt. B. V. ubi de communione & Mendoça in viridario l. 2. problem. 7. num. 41.

334. B. V. an communicaverit in die cœnæ

An verò ipſo die cœnæ Virgo beatiſſima ſacratiſſimam Euchariſtiam ſumpſerit, non vanè quærunt eruditi. Sumpſiſſe plures aſſerunt. Metaphraſtes modum explicat. In eadem prorſus domo, ait, in qua cum diſcipulis Chriſtus accubuit, in conclavi tamen diverſo, mater Chriſti eas fœminas, quæ filio miniſtraverant, excepit. His ad edendum Paſchatis agnum collectis, Chriſtus Dominus ſanctiſſimam Euchariſtiam per Petrum miſit. *Sic eis,* inquit, Metaphraſtes, gratiam referens pro miniſterio. Opinio probabilis, ait Drexelius ubi de virtut. B. Virg. cui accedunt Didacus Vega in Conc. Quadrageſim. fer. 6. majoris hebdom. conc. 1. Sebaſtianus Barradius tom. 4. in Euangelia l. 1. c. 17. in fine Ioan. Walterius de tripl. cœna c. 11. med. Ita Mater Domini (ſi fides illis teſtibus) ita etiam ſanctiſſimum illud gynecœum, etiam pridie Dominici funeris, Dominico cor-

Digitized by Google

corpore refectum eſt.

LECTIO IV.

HAc lectione ex probatis Authoribus nitimur B. Virginis ſanctitatem magis perſpicuam reddere, atque cunctis tamquam ſpeculum omnis perfectionis fulgidiſſimum præ oculis ponere. Verum quia ſanctitas ſeu perfectio præcipuè conſiſtit in charitate, tantoque amplius creſcit, quanto charitas magis intenditur ſeu perfectior evadit, ideo de hac prius agendum.

CAP. I.

De Charitate B. Virginis ad Deum.

335. B. V. ab infantia timuit & amavit Deum.

LIb. 1. Revel. S. Birgittæ c. 10. Deipara huic ſanctæ viduæ apparens ita de vita adoleſcentiæ ſuæ informat, & alloquitur. Ego à principio, cùm audirem Deum eſſe, ſemper ſolicita fui & timorata de ſalute & obſervantia mea. Cum autem audiſſem plenius ipſum Deum eſſe creatorem meum, & judicem de omnibus actibus meis, intimè dilexi illum, & omni hora timui & cogitavi, ne eum verbo vel facto offenderem. Deinde cùm audiſſem eum dediſſe legem populo, & præcepta ſua, & feciſſe cum eis tanta mirabilia, propoſui firmiter in animo, nihil niſi ipſum diligere & amara mihi erant mundana vehementer. Poſt hæc audito etiam, quod ille idem Deus redempturus eſſet mundum, & naſciturus de Virgine, tanta circa eum charitate affecta fui, quod nihil niſi Deum cogitabam, nihil volebam niſi ipſum. Ego elongavi me quantum potui à colloquiis & præſentia parentum & amicorum. Et omnia quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilque niſi victum tenuem, & veſtitum reſervavi. Nulla mihi, niſi Deus, placuerunt. Ego ſemper in corde meo optavi ut viverem ad tempus nativitatis ejus, ſi fieri mererer ancilla indigna Matris Dei. Vovi etiam in corde meo, ſi ei eſſet acceptabile obſervare virginitatem, nihil umquam poſſidere in mundo. Si autem aliter vellet Deus, fieret voluntas ejus, & non mea: quia credebam eum omnia poſſe, & velle niſi mihi utile, ideo ei omnem voluntatem meam commiſi. Inſtante verò tempore quo ſecundùm conſtitutionem virgines præſentabantur in templo, adſui & ego inter eas propter obedientiam parentum meorum, cogitans mecum, Deo nihil eſſe impoſſibile, & quia ipſe ſciebat me nihil deſiderare, nihil velle niſi ſe, poſſet me ſervare in virginitate, ſi ei placeret. Sin autem, fieret voluntas ejus. Auditis autem omnibus, quæ mandata erant in templo, regreſſa domum, ampliori quam prius ardebam amore, & novis quotidie inflammabar æſtibus & deſideriis amoris.

B. V. etiam parentum colloquia vitabat

B. V. vovit virginitatem.

Digitized by Google

ris. Propterea plus ſolito ab omnibus me elongavi, & fui ſola noctibus & diebus, timens vehementiſſimè, ne os loqueretur, vel auris audiret aliqua contra Deum meum, vel oculi mei viderent aliqua delectabilia. Timida quoque fui in ſilentio, & multum anxia ne fortè ſilerem, quæ magis loqui debuiſſem. Cumque ſic tribularer in corde ſola mecum, ſpemque omnem meam committerem Deo, illicò venit in mentem meam cogitare Dei magnam potentiam, quomodo ei ſerviunt Angeli & omnia creata. Et cùm hoc mirarer vidi tria mirabilia. Vidi namque ſidus, ſed non quale fulget de cœlo: vidi lumen, ſed non qualem lucem, quæ lucet in mundo: ſenſi odorem, non qualis herbarum, vel aliquid tale, ſed ſuaviſſimum & ferè ineffabilem, quo tota replebar, & præ gaudio exultabam. Inde ſtatim audivi unam vocem, ſed non de ore humano, & eâ auditâ ſatis timui reputans ne fortè eſſet illuſio. Et ſtatim apparuit ante me Angelus Dei, quaſi homo pulcherrimus, ſed non carne veſtitus, qui dixit ad me: *Ave gratiâ plena, &c.* Quod cùm audiſſem, mirabar, quid ſignificaret hoc, vel cur talem proponeret ſalutationem: ſciebam enim me & indignam ad aliquid tale, vel ad aliquid boni, Deo tamen non eſſe impoſſibile facere quidquid vellet. Tunc ſecundò Angelus ait: *Quod naſcetur ex te ſanctum eſt, & vocabitur filius Dei: & ſicut ei placuerit ſic fiet.* Nec tamen credebam me dignam; nec quæſivi ab Angelo, quare fiet, vel quando fiet, ſed quæſivi quomodo fiet, quod indigna ſim mater Dei, quæ & virum non cognoſco. Et reſpondit mihi Angelus ſicut dixi: Deo nihil eſſe impoſſibile, ſed quidquid ipſe vult facere, fiet. Quo Angeli verbo audito ferventiſſimum affectum habui eſſe mater Dei, & loquebatur anima mea præ amore: *Ecce ego, fiat voluntas tua in me.* Ad quod verbum illicò concipiebatur filius meus in utero meo cum ineffabili exultatione animæ & omnium membrorum, &c. Hactenus ex Revel. S. Birgittæ.

§. II.

De naturali amore B. V. ad Deum.

336. Chriſtus, quamvis ab omnibus ſit amandus ex toto corde, atque ex tota virtute quærendus, maximè tamen à B. Virgine, & amabatur ardentius, & tenebatur ſolicitius, cujus ipſe Deus, Dominus, Creator Redemptor, & Filius erat. Pro pleniore notitia, advertas velim, amorem Virginis in Chriſtum ex triplici promanâſſe fonte. Primò ex affectu naturali matris ad filium, & filium tantum ac talem; 2. Ex gratia & charitate infuſa, quæ ei pleniſſimè conceſſa fuit, 3. Ex tam longa Chriſti conver-

Amor B. V. triplex naturalis ſupernaturalis & acquiſitus.

verſatione & familiari convictu, ex quo ſolet oriri amor amicorum. Ex quolibet autem iſtorum tantus oritur amor, ut vix excogitari poſſit. Quid ergò erit amoris fluvius exundans ex his omnibus collectus.

Naturalis effectus. De primo naturali Matris in filium affectu, divinâ Scripturâ atteſtante, cognoſcitur eſſe maximus: adeo, ut cùm velit Deus amorem ſuum immenſum in homines exaggerare, dicat majorem eſſe amore matris in filium, Iſa. 49. *Numquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non misereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* Non ſolet mons conferri cum grano ſinapis. Maximus ergo ille amor eſt cum quo comparatur infinitus divinus. Adhæc Ariſtot. 9. Ethic. 7. *Matres*, inquit, *magis ſunt amantes filiorum, quàm patres: laborioſior eſt enim generatio matris; & magis ſciunt, qui ipſarum ſunt filii.*

Amor matris ad filium aliorum amores ſuperat.

Amor B. V. ad filium. Ex hinc rectè colligimus amorem Deiparæ matris erga filium, quem genuerat, lactaverat, & laboribus nutrierat, extitiſſe maximum, quippe cujus natura nobiliſſima & optimè conſtituta, nullis pravis vel privatis cupiditatibus retardata, ſuo pleno pondere erga hujuſmodi filium ardentiſſimè ferebatur. Quare D. Bernardinus Senenſis agens de amore naturali Virginis ad Chriſtum: *Similitudo*, ait, *& propinquitas eſt cauſa naturalis amoris. Unde Eccleſ. 13. ſcriptum eſt: Omne animal diligit ſimile ſibi: ſic & omnis homo proximum ſibi. Profectò inter filium & aliam quamcumque matrem, tanta propinquitas & ſimilitudo non fuit, quia Chriſtus fuit totus de ſola ſubſtantia matris, igitur inter nullos tanta dilectio.* Sic ille.

Præterea ſingulare fuit MARIÆ privilegium, quo mirum in modum amor ejus naturalis creſcebat. Et quod illud? Sanè ſecuritas certa, quod hic amor eam à Deo ſuo non ſeparabat, nec dividebat, imò verò conglutinabat & conjungebat, & ſic habenas omnino huic amori relaxabat. 337. Amor B. V. in filium non poterat eſſe nimius.

Amor aliorum naturalis temperari debet, ac cohiberi, ne divino amori contrarius fiat, ſi nimium creſcat. Quod ſi ita non eſſet, non diceret Chriſtus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & filios, &c.* Poteſt enim amor creaturæ, vel quia rei prohibitæ eſt, vel quia nimius, peccare. Hinc Hieronim. contra Iovinianum ait: *Adulter eſt in ſuam uxorem, amator ardentior*, quod explicabat Pythagoras ſymbolo illo: *Annulum arctum, ne geſtato*: id eſt, ne ſit tibi amor creaturæ, quæ te angat & cruciet nimium, prout exponit idem D. Hieron. Hoc verò in MARIA locum non habet, quæ cum filium dilexit, Deum ſuum dilexit, & ideò in filii amore excedere non voluit. Non potuit ipſa tantum diligere filium, ut non eſſet ille amplius & amplius diligendus. Non hic amor eam ſeparavit à Deo, imò conjunxit:

Amor creaturæ temperari debet.

junxit: ideò ſine timore dilexit, habenas laxavit, amoris flammas elicuit quaſi fornax ſeptuplum ſuccenſa. *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* His verò, quæ dicta ſunt, accedit, quod mater eſt, quam filius ſummis devinxit beneficiis, ut eum diligat. Prius enim ei eſſe dedit, quam ab ea acceperat, & filius eſt, qui in immenſum exaltavit, in matrem eam aſſumens. Ait enim Anſelmus. *Et in conceptione & in nativitate ei integritatem conſervavit, quam illa ſummè dilexit, quod nullus umquam filiorum fecit cum matre ſua.*

§. III.

De ſupernaturali amore B. V. MARIÆ.

338. Amor ſupernaturalis B. V. ERat 2. in MARIA ſupernaturalis amor procedens à gratia & charitate infuſa, de qua Apoc. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias.* Amor hic fortis adeò eſt, ut D. Ambroſius dicat, quod excedat omnem amorem naturalem, ac illum facilè vincat. Nullus enim naturalis amor parentum effecit, ut ea pro filiis præſtarent ac paterentur, quæ Martyres pro Chriſto. Et cùm amor ſupernaturalis cum naturali in arenam deſcendit, obtinet vincitque amor ſupernaturalis. In Abrahamo duo iſti amores pugnaverunt, prævaluit verò amor ſupernaturalis, quo paratus fuit mactare & immolare filium, illoque propter Deum privari. In matre Machabæorum & Symphoroſa ſimile accidit, in quibus divinus amor naturalem filiorum facilè ſuperavit. Hic verò divinus amor fuit in MARIA ſummus. Vnde D. Ildephonſus orat. 1. Aſſumpt. *Quæſo vos filii imitamini ſignaculum fidei veſtræ* MARIAM *beatam, quam velut ignis ferrum, Spiritus S. totam decoxit, incanduit, & ignivit, ita ut in ea Spiritus S. flamma tantum videatur, nec ſentiatur niſi tantum ignis amoris Dei & hominum.* Item D. Bernardus ſermone 19. in Cantica. *Sagitta*, inquit, *electa eſt amor Chriſti, quæ* MARIÆ *animam non modo confixit, ſed etiam pertranſivit, ut nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret, ſed toto corde, tota anima & tota virtute diligeret.* Idem reprehendens quoſdam pluſquam oportet ſapientes. *Quis*, inquit, *tu ſrater, aut unde tibi hæc ſapientia, ut mireris plus* MARIAM *compatientem, quam* MARIÆ *filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, iſta commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua majorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit.* Divus etiam Thomas opuſc. 8. *Quia*, inquit, *in corde B. Virginis amor Spiritus S. ſingulariter ardebat; ideo in carne mirabilia faciebat, in tantum quod de ea naſceretur Deus & homo.* Nec abſimiliter Hugo de S. Vi-

Amor naturalis cedit ſupernaturali.

Amor divinus in B. V. fuit ſummus.

Digitized by Google

Amor B. V. Deum traxit ad terras.

S. Victore. *Charitas*, inquit, *Virginis Deum captivum & ligatum de cælo duxit in hunc mundum.*

§. IV.

De Amore acquiſito B. V.

339. Amor B. V. acquiſitus.

ERat 3. in MARIA amor perpetuo convictu Chriſti acquiſitus. Eſt enim convictus oleum & ligna, quibus amor vehementer incenditur. Magdalena vel tantillo Evangelizationis tempore Chriſti Domini veſtigiis adhærens, immenſamque ipſius erga homines dignitatem pia cogitatione ruminans, in virtute indies proficiebat, tantumque in amore exardeſcebat, ut etiam mori & crucifici cum illo deſideraret: quanto perfectior evaſit B. Virgo, quæ triginta amplius annis cum Chriſto converſata altiſſimo mentis corde ipſius verba omnia & facta retinebat. Ponantur nunc ſimul in camino Mariani pectoris omnes tres dicti amores, Deus immortalis, quantus ignis non accendetur? quouſque flammæ hujus non aſſurgent? Non dubium quin longo intervallo tranſcendant ardorem ſtupendum Seraphinorum, eamque ſuo principio & fini totam immergi ac tranſformari penitus fecerint. Imò ex ſententia D. Anſelmi; *Superat omnes omnium rerum creatarum amores & dulcedines magnitudo amoris iſtius Virginis in filium ſuum, & dulcedinis immenſitas, qua exultabat & liquefiebat anima ejus in eundem Dominum Deum ſuum.*

CAP. II.

Amor B. V. MARIÆ *ad Deum enucleatius declaratur.*

§. I.

AMor B. Virginis ad Chriſtum & Deum ex quadruplici amoris proprietate enucleatius expenditur & declaratur. Primam amoris proprietatem tradit S. Dionyſius l. de div. nom. c. 4. *Amor*, inquit, *eſt virtus faciens unionem.* Divinus itaque amor juxta doctrinam magni Dionyſii voluntatum unionem ſive conformitatem inter Creatorem & rationalem creaturam per omnia inducit. MARIÆ conformitatem animæ cum Deo, quis ſufficienter explicet? Quis dignis laudibus efferat? Voluit Deus Virginem pudicitiæ votò alligatam, deſponſari viro; idem ipſum voluit & MARIA. Voluit Deus Virginem concipere & parere ignorantem virum; idem ipſum voluit & MARIA. Voluit Deus Virginem matrem cum infante peregrinari in Ægypto, atque ibidem apud barbaram gentem, tamquam alienigenam, pluribus annis commorari; idem ipſum voluit & MARIA. Voluit Deus Virginem conjugatarum matrum legi-

340. Amor. proprietates 4.

1. Amor unionem fecit.

legibus obſequi; idem ipſum voluit & MARIA. Voluit Deus Virginem ethnici hominis ſubjacere decretis, idem ipſum voluit & MARIA. Voluit Deus ut Virgo Mater una ſecum in monte Calvariæ Filium ſuum unicum & chariſſimum pro ſalute populi immolaret; id ipſum voluit & MARIA, & quod voluit opere adimplevit. Ex hac ipſius Deiformi ad amuſſim voluntate factum eſt, ut & dignitatem matris ipſius filii Dei adepta ſit, & hominum advocata fieri quàm feliciſſima meruerit.

§. II.

B. Virgo qualiter bonum Dei curat.

341 2. proprietas bonum delecti velle & curare. AMoris ſecunda proprietas eſt mutua inhæſio, qua mutuo ſe amant redamantque Deus & homo, atque vi amoris ſibi viciſſim bona volunt & procurant, juxta illud: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Quod hoc attinet: Quis verbi Dei bonum ita curavit, quemadmodum Virgo MARIA? Verum quidem dicit Vates Regius *Deum bonorum noſtrorum non egere:* & revera non indiget, utpote ſibi ipſi quoad omnia ſufficientiſſimus & beatiſſimus. Itaque non eguit Deus creaturis ſuis propter beatitudinem ſuam, ſed propter nos homines, & propter noſtram ſalutem. Eguit, inquam, non abſolutè, quaſi aliter ſalvare non potuiſſet, ſed quia voluit, & ut modo maximè congruo id fieret, ex infinita paterna ſua pietate, non vera ex juſtitia. Etenim teſte Iacobo, *Apud Deum miſericordia exaltat judicium.* Et per Prophetam dicit: *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis: & ero quaſi exaltans jugum.* Ex millibus autem filiarum Adam in adjutorium Salvatoris electa & vocata eſt B. ſemper Virgo MARIA, dicente ad eam Angelo, *Ecce concipies in utero, & paries filium, &c.* q. d. in tantum placuiſſe divinis oculis, ut filius Dei in te, ex te, & à te poſtulet habitu mortalis carnis indui, ac quaſi unum ex vobis fieri: à te Deus, homo factus pauper & egenus, lactari, veſtiri, & velut infans foveri & protegi deſiderat, modò tamen in his omnibus liberè conſenſeris. In omni quippe matrimonio non minus fœminæ, quàm veri conſenſus requiritur, ideò in celebratione matrimonii *Verbi* divini cum humanitate, atque Chriſti cum Eccleſia (cujus meminit ſponſa dicens: *In die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.*) Oportebat ut non ſolum ex parte *Verbi* divini ſive etiam Spiritus S. ſed & humanæ naturæ (cujus vices gerebat Virgo) conſenſus adeſſet. Hinc D. Ambroſ. in Luc. 1. *Nec ſanè,* inquit, *ita operatur Deus in electis ſuis, ut artifex in materia inanimata & inſenſibili: requirit enim ille aſſenſum noſtrum, quem etiam Angelus ex Virgine aſſecutus eſt, cum* illa

In deſponſatione verbi cum humanitate B. V. conſenſus neceſſarius.

illa dixit: Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Studium ergo Virginis, quo gloriam Dei & bonum ipſius curavit, eſt conſenſus præſtitus ad incarnationem *Verbi* divini, ſubminiſtratio carnis & ſanguinis, lactatio, educatio, &c. Quare D. Bern. ſerm. Sign. magn. *Quam familiaris,* inquit, *ei facta es Domina, quam proxima, imo quam intima fieri meruiſti, quantam inveniſti gratiam apud Deum: in te manet, & tu in eo; & veſtis eum, & veſtiris ab eo: veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſuæ majeſtatis: veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris.* Opera miſericordiæ, quæ alii creaturis, MARIA in carne noſtra impendit Creatori, ſimul in unum diviti & pauperi variis modis ſubveniens. Albertus magnus horum à beata Virgine Chriſto exhibitorum operum præſtantiam commendans ait, *Iſta opera* (ſcilicet miſericordiæ) *beata Virgo exercuit in ſummo* (videlicet perfectionis gradu) *ſuper omnes viatores, quia operum miſericordiæ alterum altero eſt majus & excellentius 5. modis: 1. ſi fiat ex majori charitate; 2. ſi fiat magis indigenti: 3. ſi fiat magis digno indigenti: 4. ſi fuerit cum majori affectu impenſum. 5. ſi ſit magis ex neceſſario & minus ſuperfluo.* Hæ conditiones nulli ita congruerunt ſicut IESU & MARIÆ. In mundo non fuit pauperior & indigentior Chriſto, nemo item dignior. In charitate autem & miniſterio non fuit altera MARIÆ ſimilis, quæ etiam virgineum puriſſimum ſanguinem divino incarnando *Verbo* ſubminiſtravit. Accipe de hac re D. Bernardini judicium. *Sicut enim nulla fuit ſimilis contemplatrix, ſic numquam fuit ſimilis Virgini miniſtratrix. Alii induunt pauperes de lana ovis, ipſa induit filium ſuum de puriſſimis ſanguinibus ſuis. Alii induunt de panno, ipſa de corpore ſuo. Alii paſcunt pauperem de pane extrinſeco, ipſa pavit humanatum Deum de lacte proprio. Alii ſuſcipiunt pauperem hominem in tugurio, ipſa ſuſcepit immenſum Deum in corde & corpore ſuo: cui in terris peregrinanti facta eſt hoſpitium amoroſum. Alii propter Deum miniſtrant infirmo, ipſa Deo in pauperculo corpore infirmo officioſiſſimè miniſtravit, ipſum lavando, ipſum faſciendo, &c. Alii ſoliciti ſunt, ne aliquid deficiat inopi; Virgo ſolicita miniſtratrix fuit, & manibus ſuis laboravit, ut ſubveniret Deo homini pro ſalute omnium indigenti. Alii incarceratos & vulneratos homines viſitant, & eis compatiuntur dum vivunt, & mortuos ſepeliunt. Virgo, Chriſto pro nobis capto, cruci affixo, & vulneribus dilaniato, tanto dolore compaſſa eſt, ut inexpreſſibile ſit, etiam Angelicæ linguæ.* Hactenus Bernardinus.

B.V. quantum dilecti bonum curavit.

342. Opera B.V. maximæ perfectionis.

B.V. ſicut in charitate omnes excelluit ita in ſervitiis.

S. Bernardinus Sen. ſerm. 4. de Concept. B.V. art. 3. c. 3.

§. III.

B. V. Cogitatus ſemper in Deum.

343. 3. proprietas, cogitatio aſſidua de dilecto. Alia amoris proprietas eſt cogitare aſſiduè, & in oculis mentis habere Chriſtum Deum Opt. Max. Eſt quippe amot nexus animorum, nectere autem non poteſt ſine jugi & viſceroſa cogitatione: Vnde dicitur in Euangelio: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Item Bern. *Non eſt præſentior ſpiritus noſter, ubi animat, quàm ubi amat.* Quorum ergo theſaurus Chriſtus, & quorum affectus in Deum dirigitur, horum etiam corda & animæ ſanctis cogitationibus piiſque votis in eodem commorantur. Hinc Cantic. 8. ſponſus ad ſponſam: *Pone me*, inquit, *ut ſignaculum ſuper cor tuum: ut ſignaculum ſuper brachium tuum; quia fortis eſt ut mors dilectio*, quaſi dicere voluiſſet: quando ad me velut ſcopum cogitatus tuos crebrius jacies, tum demonſtrabis, quòd me diligas: item quando amore mei opera tua virtutis moderaberis, tum innoteſcet, quòd me fortiter ames. Aſt cujus theſaurus juſtius dicendus Chriſtus? Cujus etiam affectus appretiativè ſimul & intenſivè ex filiis hominum ad Deum major? Cujus cor ita ſummè Deo affixum fuit? Cujus cogitatus ita verſùs Dominum jugiter directi? Num Mariæ æqualem reperies? haud credo, ne quidem inter Angelos. *Adjuro vos*, inquit, *filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo.* Septuag. legunt: *Excordiaſti me*, quia nempe pluſquam Seraphicæ charitatis ſagitta ſuaviſſima Patris viſcera penetraret Maria, indeque illi cor, id eſt, *Verbum*, noſtro modo loquendi, eriperet, in viſceribus ſuis propriis collocandum. Hoc modo adjurabat amicos ſponſi (Angelos, nempe, beatos in miniſterium eorum miſſos, qui hæreditatem capiunt ſalutis) cujus amplexibus illi jam fruebantur, obſecrans ne ardentiſſimum erga ſponſum affectum reticerent, ſed fideliter referrent. Ad dilectum verò hujuſmodi cordis ſuſpiria tranſmittebat. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te ſolum foris, & jam me nemo deſpiciat. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ.* Apprehenſo autem per continua deſideria, & intima plurimum ignita cordis ſuſpiria in noſtra humilitate, miſeria, & infirmitate ſponſo, dicit faſciculus myrrhæ *Dilectus meus mihi, inter ubera mea cõmorabitur.* Hoc eſt dilectus meus, quamdiu in hoc mundo vixit, verè fuit faſciculus myrrhæ; myrrhæ ſcilicet laborum, myrrhæ penuriarum, myrrhæ tentationum, myrrhæ dolorum, & paſſionum; quare & ego nihil aliud ab his verſabor in mente, ceteris omnibus miſſis, cum dilecto amaritudinibus replebo animam meam.

Ob-

Digitized by Google

344. Obſerva hoc loco plurimos graves Authores tribuere Virgini uſum liberi arbitrii ab ipſo conceptu & ſanctificatione in utero matris, qui ne quidem ipsâ dormiente umquam omnino ſopitus fuit: huic ſi ſociatam conſideres gratiæ plenitudinem, ſanctique Spiritus jugem præſentiam, haud dubiè dicendum venit, MARIAM nullo non tempore inſtar Angelorum vacâſſe rebus contemplandis divinis.

Cajet. in 3. 4. q. 27. a. 3. Suar. in 3. p. diſp. 14. ſect. 7. Barradius tom. 1. in Euang. l. 6. c. 3. S. Ambroſius infra in contextu. lect. 17. circa init.

B V. habuit uſum liberi arbitrii in utero matris, item dormiens.

S. Bernardinus Senenſis ſerm. 51. a. 1. c. 2. *Beata Virgo*, ait, *etiam dum erat in utero matris, habuit uſum liberi arbitrii, atque lumen perfectum in intellectu & ratione. Proinde ſecundùm quoſdam fuit tunc in ſublimioris contemplationis ſtatu, quàm fuit aliqua creatura humana in perfecta ætate. Et licèt in utero matris ſuæ ſicut & ceteri infantes dormiret: attamen ſomnus, qui abyſſat & ſepilit in nobis rationis & liberi arbitrii actus, & per conſequens actus merendi, non credo quod talia in ipſa fuerit operatus, ſed anima ſua liberè ac meritorio actu tunc tendebat in Deum. Vnde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quàm umquam fuerit alius alius dum vigilavit. Vnde & Cant. 5. ipſa ait: Ego dormio, & cor meum vigilat; ſcilicet in contemplatione perfecta à nulla actione debilitata. Hoc tamen ſecundum alios fuit poſt ſecundam ſanctificationem; quod fortè verius eſt. Nec miretur quiſquam ſi Mater Dei ante debitam ætatem habuit uſum liberi arbitrii & fulſit tanto lumine rationis, cum & plerique alii Sancti in pueritia eorum ante debitam ætatem habuerunt virtutem, gratiam, & lumen. De virtute in S. Nicolao reperitur exemplum, qua in quarta & ſexta feriis, ſemel tantum ſugebat mammas. Et de gratia in S. Benedicto patet, qui in pueritia ſua cœpit miraculis coruſcare. De lumine verò in S. Ioanne clariſſimè comprobatur. Vnde Ambroſ. ait: Verè Ioannes novit Chriſtum, non natura ſed gratia,* & ſuper Lucam etiam ait idem. *Nec enim ullam ſenſit infantiæ ætatem; qui ſupra naturam, ſupra ætatem in utero ſitus matris, à menſura cœpit ætatis plenitudinis Chriſti. Hæc ſiquidem nullo modo eſſent vera, ſi infantilitas corporis impediſſet uſum liberum rationis, &c. Si igitur de B. Ioanne talia credenda ſunt, quanto etiam majora de Virgine Matre Chriſti ſentire neceſſe eſt.* Hactenus S. Bernardinus.

S. Nicolaus in infantia exercuit actus virtutis.

S. Benedictus puer miracula faciebat.

Rupertus l. 5. in Cant. initio explicans verba illa, *Ego dormio, & cor meum vigilat*, ait: *Quid hoc eſt aliud niſi illud ipſum, quod alibi dicit habitatrix pectoris tui, Sapientia Dei. In omnibus requiem quæſivi. Et quid hæc ſunt: Ego dormio, & in omnibus requiem quæſivi? niſi optimam partem elegi, relictis cunctis ſolicitudinibus vel curis ſæculi. Et quidem multæ filiæ ſive multæ animæ taliter dormierunt, vel dormire cupierunt: ſed tu dormitionis hujus totum obtines magiſterium, & vigiliarum cordis totum tenes principatum. Quid aliud nobis in Pſalmo loquitur idem dilectus, dicens: Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus? Hoc namque* 345.

Digitized by Google

idem eſt ac ſi diceret: Vos dormite, & cor veſtrum vigilet. Intelligimus igitur *quid dicas: ego dormio, & cor meum vigilat: quia ſcilicet talem nobis, ut ſequamur, vitam tuam eſſe inſinuas, qualis in patre tuo Iacob, quaſi per umbram, ſignificata eſt, qui & ipſe quando dormivit, tunc cor ejus vigilavit ſicut ſcriptum eſt: Cumque veniſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requieſcere, tulit de lapidibus, qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo dormivit in eodem loco, viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen ejus tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Et paucis interpoſitis Rupertus concludit dicens: *Sed tu, ô cœlum Dei, unica ſedes Domini in utroque vigilantiæ modo cunctis mortalibus ſive terrenis hominibus longè eminentior extitiſti, longe ſtudioſior ad contemplandum eum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, atque aptior fuiſti. Quid ergo tu cum hominibus, quamvis Sanctis? Quid tu loqui vel converſari cum mortalibus, quamvis Apoſtolis? Cur non potius tamquam turtur caſtiſſima, turtur ſolivaga ſolitudinem expendiſti, remotior quàm Ioannes Baptiſta, ſecretior quàm Elias, ut ſoli te ſcirent, tibique famularentur Angeli ſancti; non ad horam, ſicut Angelus Eliam ſemel aut iterum pavit; neque ad tempus, ſicut eumdem corvi paverunt miniſtri: ſed jugiter donec tuis completis diebus ad transferendum te in cœlum æthereum non unus tantum currus igneus, ſed totus cum Rege ſuo filio tuo veniret atque occurreret Angelorum exercitus.* Ita Rupertus.

B. V. ſimilis Jacob in ſomno contemplantœ-leſtia.

Scriptum eſt in Levitico, quòd ſuper altare ſemper arderet ignis miraculo deſuper incenſus, ex quo reliquæ lampades deberent accendi. D. Aug. per hunc cœleſtem ignem non incongruè B. Virginem intelligens, dicit. *Ex illo igne, quia divinitus ad altare venerat deinceps cuſtodito, omnia erant accendenda: ſic flamma charitatis de cœlo in cor Virginis velut Altare venit, in eoque ſemper arſit juxta illud* Levitic. 6. *Ignis in altari meo ſemper ardebit.*

B. V. ab amore non ceſſavit.

S. Antoninus 4. p. t. 15. c. 44. §. 9. 346.
poſt Albertum magnum probat charitatem Virginis fuiſſe magis continuam charitate Seraphim, his verbis: *Inceſſabilitatem*, ait, *habuit* B. MARIA *ſuper Seraphim, quod ſic probat Albertus: Magis inceſſabile eſt, quod non ceſſat, nec umquam potuit ceſſare, quàm quod non ceſſat, nec poteſt ceſſare, ſed potuit aliquando ceſſare. Sed charitas Seraphim, etſi non poteſt modo, potuit tamen aliquando ceſſare, ſcilicet in prima eorum conditione. Quod patet per exemplum Luciferi, qui ſecundùm B. Gregorium ſupremus fuit de ordine Seraphim, qui à charitate ſibi collata cecidit de cœlo: ſed charitas* B. MARIÆ *numquam potuit ceſſare, quod oſtenditur per hoc, quia charitas non poteſt ceſſare niſi per mortale peccatum, ſed numquam potuit peccare mortaliter, quia in utero ſanctificata, antequam poſſet peccare, per ipſam ſanctificationem ita fuit confirmata in gratia & charitate, quòd poſtea peccare* non

Digitized by Google

non potuit etiam venialiter; unde nec amittere charitatem, quod tamen potuerunt Seraphim agere, & de facto aliqui amiſerunt, ſcilicet Lucifer cum ſuis. Ergo B. Virgo in hoc omnes excellit. Ita D. Antoninus cum Alberto.

§. IV.

Amor B. Virginis extaticus.

347. 4. Proprietas extaſis. QVarta amoris proprietas eſt Extaſis. Extaſin facit divinus amor: quia, teſte D. Dionyſio de div. nom. c. 4. amatores de ſtatu ſuo dimovet, & ſui juris eſſe non ſinit, ſed in ea, quæ diligunt penitus transfert: verba Dionyſii ſunt: *Dimovet de ſtatu divinus amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam, quæ amantur.* In ep. Ioan. Vnde D. Aug. *Talis quiſque eſt, qualis eſt dilectio. Terram diligis, terra eris: Deum diligis, Deus eris.* Exemplum habemus in illo, qui dicit: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* B. V. parem in amore non habuit. Et iterum *Chriſto*, inquit, *confixus ſum cruci.* Sed numquid in Apoſtolo Paulo Chriſtus revixit perfectius, quàm in MARIA gratiâ pleniſſima, & ex qua conceptus, ac de qua natus eſt IESVS? Minimè gentium. Neque enim dicere poteſt quod illa: *Fili.* Vel etiam numquid Paulus Chriſto in pœnis conformior, quam B. Virgo MARIA de qua in Cant. *Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris, & videbo, ubi, quem diligit anima mea, paſcit, ubi cubat in meridie, nec diſcedam donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ. Stabat* namque, teſte Evangeliſta, *juxta crucem* IESV *Mater ejus*, atque ibi meſſuit myrrham primam cum aromatibus, ſuis. Pauli amor longe minor B. V. Chriſti famulus Paulus à longe ſtetit & adſpexit crucifixum Deum Salvatorem, utpote ad cujus agnitionem aliquot annis poſt paſſionem ejuſdem venit, atque affectuum greſſibus magiſtro adhærens, ejuſdem dolorum jaculis per vehementem amorem confixus eſt. MARIA verò in corpore & anima, plenoque ac tenerrimo materno corde morienti filio (cujus majeſtatis excellentiam ſimul & depreſſionem penitius capiebat quàm ullus) proximè adſtitit, ac ſingula tormenta ſine miſericordia & lege inferri conſpexit, adeoque nullius pœna amarior, quia nemo propinquior; nullius fides major, quia fide concepit Dei Filium; neque ullius cor per divinam charitatem conjunctius; quia ceteri cor miniſtrorum, B. V. MARIA verè elevatum maternum habuit. Hoc ipſum non obſcurè declaravit Simeon quando in ſpiritu prævidens quantos dolores Virgo Mater ex amore, præſentia, & acerbitate paſſionis Filii ſubitura erat, dixit: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Emphaſim habent verba illa: *Tuam ipſius animam.* His enim inſinuat Propheta ſancta

ctus Virginem cum Chriſto Filio quaſi unius animæ fuiſſe: adeoque non potuiſſe aliter fieri, quin filii tormenta omnia ad matrem tranſirent, & ferirent. Sic nempe Virgo MARIA per præcellentem amorem & condolentiam, quaſi omnino oblita ſui, in filium crucifixum transformata eſt, ut ſi intima penetrari potuiſſent, quemadmodum ſpiritu penetravit Simeon, in ipſis nihil niſi flagella, coronam ſpineam, fel, clavos, lanceam, Chriſtique opprobria reperiſſes. Hinc B. Laur. Iuſtinianus l. de agone Chriſti. *Cor*, ait, *Virginis fuit clariſſimum ſpeculum paſſionis Chriſti, & perfecta mortis ejus imago.* Hinc juſtius quam olim Noëmi dicere poterat: *Ne vocetis me Noëmi, id eſt, pulchram, ſed vocate me mara, id eſt, amaram, quia amaritudine valde replevit me omnipotens.* q. d. vellet, ô animæ fideles, nolite jam vocare me gratioſam, illuminatam, benedictam in mulieribus, à qua impiè & ferociter ſurripitur vita, lux, omniumque bonorum fons Chriſtus, chariſſimus filius meus: ſed potius *vocate me mara*, id eſt amaram, quia juxta nomen meum mare amariſſimum ego ſum, quia amaritudine omni replevit animam multiplex paſſio Filii. Etenim una cum illo circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.

Cor B. V. fuit ſpeculum paſſionis Chriſti & mortis ejus imago.

§. V.

348\. 5. Proprietas amoris divini eſt generare virtutes.

ALiæ amoris divini, præter ſupra aſſignatas proprietates ſunt, videlicet, generare virtutes. 1. Cor. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, &c. omnia credit, omnia ſperat, &c.* D. Greg. *Vt enim*, ait, *multi arboris rami ex una radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex una charitate generantur.* Rurſus, vividum reddere, nobilitare virtutes, actusque humanos, gratiæ ſeu amoris divini effectus ſunt. 1. Cor. 13. *Et ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* D. Gregorius: *Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis.* Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* D. Leo: *Pondera operum charitatis lance penſantur.*

6\. nobilitare & vivificare actus humanos.

Charitas etiam perficit 1. Cor. 8. *Charitas ædificat.* Item perdurat: Cor. 13. *Charitas numquam excidit.* Denique beatificat. 1. Ioan. 3. *Nos ſumus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*, & ibid. c. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

7\. amor perficit, perdurat, beatificat.

Revera quemadmodum ſine ſole corporeo mundus tenebræ ſunt, 349

ſunt, agri ſteriles, animalia tabeſcunt, ita ſine charitate opera hominum vilia ſunt, virtutes obſcuræ, homines languidi, quinimò mortui computantur, juxta illud Pauli: *Si charitatem non habuero, nihil ſum: nihil mihi prodeſt.* Charitas ſol divinus, vitam donat, animam pulchram reddit, intellectum deificat, & voluntatem inflammat. Hoc ſole divino Ioannes Apoſtolus Virginem noſtram ornatiſſimam & flagrantiſſimam vidit Apoc. 12. *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus.* Super quo D. Bern. *Iure*, inquit, MARIA *ſole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam divinæ ſapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyſſum: ut quantum ſine perſonali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa. Illo enim igne prophetæ labia purgantur: illo igne Seraphim accenduntur. Longè vero aliter* MARIA *meruit, non velut ſummatim tangi, ſed operiri magis undique & circumfundi, & tamquam ipſo igne concludi. Candidiſſimus ſanè, ſed & calidiſſimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, ut nihil in ea, non dico tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem, vel minus lucidum, ſed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventiſſimum liceat ſuſpicari.* Ita D. Bernard

LECTIO V.

Sanctitas B. Virginis operum argumentis amplius ex SS. Patribus ſtabilitur.

BEatus Hieron. de vita & moribus Dei Genetricis MARIÆ tradit quæ ſequuntur. *Hanc ſibi regulam B. Virgo ſtatuerat, ut à mane uſque ad horam tertiam orationibus inſiſteret: à tertia uſque ad nonam, externo opere ſe occuparet: à nona verò iterum ab oratione non recedebat, quouſque dum illi Angelus apparet, de cujus manibus eſcam accipere ſolebat, & melius in Dei opere & amore proficiebat. Fiebat ut in vigiliis inveniretur prior, in ſapientia legis Dei eruditior, in humilitate humilior, in carminibus Davidicis elegantior, in charitate glorioſior, in puritate purior, in omni virtute perfectior. Erat enim conſtans & immobilis, & cum quotidie melius tranſiſſent, hanc iraſcentem nullus vel vidit, vel audivit. Omnis ſermo ejus erat ita gratiâ plenus, ut cognoſceretur in lingua ejus Deus. Semper in oratione & ſcrutatione legis Dei permanebat. Et erat ſolicita circa ſocias, ne aliqua ex eis in ullo ſermone peccaret, ne aliqua in riſu vocem ſuam exaltaret, ne aliqua injurias aut ſuperbiam contra parem ſuam exerceret. Sine intermiſſione benedicebat Deum, & ne forte in ſalutatione ſua à Dei laudibus tolleretur, ſi quis eam ſalutabat, illa pro ſalutatione ſua, Deo gratias, reſpondebat. Denique primum*

S. Bonav. in Medit. vita Chriſ. c. 3.

350. Modus vivendi B. V. ex Hieron.

B.V. gerebat curam ſodalium.

Erat continua in laude Dei. In ſalutatione ajebat Deo gratias.

ex

ex ipſa exiit, ut dum ſalutantur homines ſancti, Deo gratias dicant. De eſca quam de manu Angeli accipiebat, ipſa reficiebatur: quam verò à Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quaſi chariſſimæ ſorori, vel matri, obtemperabat ei. Hactenus D. Hieron. apud S. Bonaventuram in medit. de vita Chriſti c. 3.

351. Vita B. V. ex Ambr. D. Ambroſius l. 2. Virginit. *Quid*, ait, *nobilius Dei Matre? Quid ſplendidius eâ, quam ſplendor elegit? Quid caſtius eâ, quæ corpus ſine corporis contagione generavit? Nam de ceteris ejus virtutibus quid loquamur? Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto divitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens. Intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere. Non lædere reos, benè velle omnibus, adſurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Quando iſta vultu læſit parentes? Quando diſſenſit propinquis? Quando faſtidivit humilem? Quando vitavit inopem? Eos ſolos ſolita cœtus virorum inviſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia.* Poſt pauca. *Quid ego exequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam ſuperfuiſſe, alterum pene ipſi naturæ defuiſſe? Illic nulla intermiſſa tempora, hic congeminati jejunio dies, & ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non qui delicias miniſtraret. Dormire non prius cupiditas, quàm neceſſitas fuit: & tamen cum quieſceret corpus, vigilaret animus;* N. B. V. dormiens vigilibat animo. *qui frequenter in ſomnis, aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda pronunciat.* Huc uſque D. Ambroſius.

D. Damaſcenus Orat. de B. Virg. Nat. *O divinum*, exclamat, *ac vivum mundi ſimulacrum, ad quod opifex Deus inventus eſt; mentem quidem divinitus gubernatam habens.* Hic B.V. vivum mundi ſimulacrum cujus mentem Deus regebat. Mariæ mentem in ſpirituali Mariæ univerſo cum cœlo conferre videtur, atque in eo præſtare ait; quod cœlum ſpiritualis aliqua intelligentia torqueat ac moveat, mentem autem Virginis, cœlo ipſo ampliorem, Deus ipſe impellat ac regat. Inferiores verò animi vires cum elementis confert. Quàm vero aptæ inter ſe compactæ ac modulatæ fuerint oſtendit his verbis. Inferiores vires animæ B. V. quàm modulatæ. *Cupiditatem omnem ad id quod ſolum expetendum & amandum eſt, intentam habes, iram verò adverſus peccatum dumtaxat, illiusque partem. Appetitus tuus in hoc ſitus eſt, ut divinis ſermonibus nutriaris hiſque ſaginêris: ſanctam omnem & cum animæ utilitate conjunctam cogitationem habes, contra ſupervacaneam, & animo exitioſam, antequam guſtes, ejicis: oculi ſemper ad Dominum, perenne & inacceſſum lumen intuentes: aures divinum ſermonem*

nem audiunt, ac ſpiritus cithara oblectantur, per quas Verbum carnem aſſumpturum ingreſſum eſt: nares unguentorum ſponſi odore deliniuntur; quod quidem unguentum eſt ſponte exhauſtum, atque humanitatem ſuam ungens. Porro labia tibi ſunt Dominum laudantia, ipſiuſque labris adhærentia: lingua & fauces Dei verba diſcernentes: cor purum & labis expers: venter, in quo habitavit is, qui nullo loco capitur: lactis ubera, quæ puerum IESVM aluerunt; manus Deum geſtantes; genua thronus Cherubinis ſublimior: pedes, Dei lege tamquam lucernæ deducti: tota denique Spiritus thalamus eſt, gratiarum pelagus, &c. Sic Damaſc.

§. II.

Declaratio excellentis ſanctitatis B. V.

352. Perfectio virtutum B. V. ex Bern. DIvus Bernardus ſerm. 4. Aſſumpt. Non eſt equidem, ait, quod me magis delectet, ſed nec quod terreat magis, quàm de gloria Virginis MARIÆ habere ſermonem. Ecce enim ſi in ea laudavero virginitatem, mihi multæ Virgines videntur offerri: ſi humilitatem prædicavero, inveniuntur fortè vel pauci, qui docente filio ejus, mites facti ſunt, & humiles corde. Si magnificare voluero miſericordiæ ejus multitudinem, ſunt aliqui miſericordiæ viri, etiam & mulieres. Vnum eſt, in quo nec primam ſimilem viſa eſt, nec habuere ſequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. MARIÆ privilegium eſt, non dabitur alteri, ſingulare eſt, ſed continuò etiam indicibile invenitur. Verumtamen non hoc tantum, ſi diligenter attendas, ſed ceteras quoque virtutes ſingulares prorſus invenies in MARIA, quæ videbantur eſſe communes. (Nota) Quæ enim vel Angelica puritas virginitati illius audeat comparari, quæ digna fuit Spiritûs ſancti ſacrarium fieri, & habitaculum filii Dei. Quanta verò & quam pretioſa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, conſcientia prorſus abſque delicto, imò cum tantæ gratiæ plenitudine. Vnde tibi humilitas & humilitas tanta, ô Beata? Digna planè quam reſpiceret Dominus, cujus decorem concupiſceret Rex, cujus odore ſuaviſſimo ab æterno illo paterni ſinus adtraheretur accubitu, &c. Hactenus Bern.

(Virtutes B. V. perfectiſſimæ ideo ſingulares.) S. Thomas opuſc. 8. Alii Sancti, ait, ſpecialia quædam opera virtutum exercuerunt, quia alius fuit humilis, alius caſtus, alius miſericors, & ideò ipſi dantur in exemplum ſpecialium virtutum, ſicut B. Nicolaus in exemplum miſericordiæ, &c. Sed B. Virgo in exemplum omnium virtutum, quia in ea reperis exemplum humiliatis Luc. 1. Ecce ancilla Domini; & poſt Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Caſtitatis; quoniam virum non cognoſco: & omnium virtutum, ut ſatis patet.

Nota. Non hîc intelligendus Doctor Angelicus, quaſi aſſerere velit S. Nicolaum, vel quemlibet Sanctum alium, unicâ tantum virtute præditum fuiſſe, miſſis re-

Digitized by Google

liquis; Beatam verò Virginem omnibus ornatam virtutibus, taliter qualiter, nequaquam: ſed, quòd Sancti, licèt pluribus virtutibus prædici eſſent, in aliqua tamen ſic excelluêre, ut parem in iſtius virtutis perfectione habere non videantur; & hujus reſpectu proponuntur in exemplum ſpecialium virtutum. Quod verò Deiparam attinet, ipſa in ſingulis virtutibus tam perfecta & præſtans extitit, ut nullus mortalium, ne unius quidem perfectionis apicem attingere umquam potuerit, Vnde & hinc exemplar omnium virtutum exiſtit.

Richardus à S. Laurentio l. 1. de laud. Virg. c. 4. *Nota,* inquit, *quod dicitur, gratiâ plena, non gratiarum aut gratiis, ſicut Eſther. 15. dixiſſe legitur Aſſuero: Facies tua plena eſt gratiarum: non enim mirabile diceretur, ſi multis gratiis plena diceretur, neque tam unâ, quam plena oſtenderetur omnibus, fortaſſe ſimul ſumptis, ſed ita gratiarum plena eſt, ut unaquaque gratiarum plena ſit: v. g. adeo plena humilitate, ut nullus in ea locus relinqueretur ſuperbiæ; non habent enim viri Sancti illam plenitudinem, quia vel cogitatione cor eorum quandoque occupet ſuperbia, ſaltem venialis; ſed ſpeciale privilegium fuit* B. MARIÆ *Virginis ut nec etiam cogitationem ejus vitium aliquod occuparet. Similiter ſic plena caſtitatis, ut nec cogitationem umquam occuparet luxuria, quæ in Sanctis quandoque ſubl imiora loca ſibi vendicare contendit. Nec ſola cogitatione contenta eſt, ſed etiam per primos motus in affectionem irrumpere molitur. Sic & plena charitate, ut nec noviſſimum vel modicum locum invidia, ira, vel odium in ipſa occupârit; & ſic de ſingulis virtutibus.*

S. Hieron. in ep. ad Euſtoch. & Paulam *Tanta*, inquit, *erat* MARIÆ *vitæ claritas, ut omnium vitam quodammodo obſcuraret.* Et S. Maximus: *Omnis pulchritudo ad Virginem comparata, deformitas eſt, & omnis innocentia peccatum.* Vide Aloyſ. Novarinum in Vmbr. Virg. num. marg. 536.

S. Antoninus 3. p. tit. 31. c. 4. §. 2. Cum oſtendiſſet Deiparam Virg. per templum Salomonis ſignificari, pulchrê ea, quæ in templo erant, ejus virtutibus accommodat. *Abundantia*, inquit, *gratiæ & virtutum Deiparæ in templo ipſo figurata fuit. Nam in medio ejus, in loco, qui dicitur, Sancta, erat ibi ex uno latere altare aureum thimiamatis, & thuribulum aureum, ac etiam candelabrum aureum, cum ſeptem lucernis, velum quoque quod dividebat Sancta Sanctorum, quadricolore: Sic in templo mentis Virginalis fuit menſa fidei perfectiſſima duodecim articulorum, deſignatorum per panes: fuit & altare aureum ſummæ dilectionis cum thuribulo ſpeciali unde fumus aromatum, id eſt, devotiſſimarum orationum & contemplationum adſcendebat ad cœlum: candelabrum quoque gratiæ ſeptem donorum Spiritus Sancti; virtutes quoque cardinales deſignatæ per velum quatuor colorum ſecundùm Magiſtrum in 3. ſent.*

Digitized by Google

tent. utique fuerunt in ea prudentia, fortitudo, juſtitia, & temperantia. Sic Antonin.

§. III.

Deſcriptio exercitiorum B.V.

353. Vita B. V. ex Ignatio. Divus Ignatius in epiſt. ad Ioan. Apoſt. *Quidam notificaverunt*, ait, *eamdem Matrem Dei omnium gratiarum eſſe abundantem, & omnium virtutum more Virginis fœcundam: quæ, ut dicunt, in perſecutionibus & afflictionibus eſt hilaris, in penuriis & indigentiis non querula, injuriantibus grata, & modeſta in re læta. Miſeris & afflictis condolet coafflicta, & ſubvenire non pigreſcit. Contra vitiorum autem peſtiferos conflictus in pugna fidei diſceptans, eniteſcit: noſtræ novæ religionis & pœnitentiæ eſt magiſtra, & apud fideles omnium operum pietatis miniſtra. Humilibus quidem eſt devota, & devotis devotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur.* Et parum infra: *Sicut nobis*, ait, *à fide dignis narratur in* Maria Iesu *humanæ naturæ natura ſanctitatis Angelicæ ſociatur.*

Auctor Pomerii l. 7. p. 1. a. 3. Hæc quæ ſequuntur multorum Doctorum authoritate conteſtata reliquit. Totam vitam, inquit, ſuam expendit in opere bono. Vt enim de ea ſcribunt concorditer Epiphanius, Germanus, Ignatius atque Hieronymus in Epiſt. ad Chromatium & Helvidium, hanc regulam Virgo Beata in tota vita ſua ſibi ſtatuerat, ut horâ matutinâ quotidie ſurgeret, & uſque ad mane continuè ac inceſſanter oraret. Ab aurora cogitabat de filio ſuo omnia myſteria, ſcilicet Conceptionis, Nativitatis, Baptiſmi, Iejunii, Paſſionis, Sepulturæ, Reſurrectionis, Adſcenſionis, &c. Et gratias agebat Deo de tam pia liberatione humani generis. Illuceſcente die uſque ad tertiam loca myſteriorum Chriſti prope Ieruſalem exiſtentia vel intra, devotione ſedula actu viſitabat. A tertia verò uſque ad horam nonam opere textrino ſe occupabat. Fertur Viennæ eſſe unus cingulus, quem in propria domo dicitur contexuiſſe, & qui eum viderunt, narrant, numquam illo pulchriorem videri potuiſſe. Item à nona ab oratione non recedebat, quoadusque illi Angelus appareret, & eſcam afferret, quam ſolebat de manu ejus accipere cum gratiarum actione. Nec mirum hoc: quoniam ſi filios Iſraël Deus pavit manna quadraginta annis in deſerto Angelicis manibus præparato, & Eliam adſcendentem montem Oreb, quanto magis illud credendum eſt de Virgine Matre? Eſca igitur quam Virgo de manu Angeli accipiebat, ipſa reficiebatur, quam verò à Pontificibus accipiebat, pauperibus erogabat. Sedulius quoque dicit, quod juxta lectuli ejus caput erat una ſedes ubi libri ſancti ſtabant, in quibus ſomnum interrumpens ſæpe ſæpius legebat. Erat ibidem

& oratorium ubi jugiter orationi & contemplationi inſiſtebat. Vnde patet, quia nullum fuit tempus, nulla hora, quin viriliter in Dei ſervitio & merito acquirendo non foret occupata. Quod autem hîc narrat de ſacris locis à B. Virgine religiosè viſitatis, confirmant Vincentius, Antonius, & Ildephonſus relati à Caniſio l. 5. de Deip. c. 1. item l. 6. Revelat. S. Birgitt. c. 61. *Omni tempore*, ait B. Virgo, *quod poſt adſcenſionem filii mei vixi, viſitavi loca, in quibus ipſe paſſus eſt, & mirabilia ſua oſtendit.*

§. IV.

Virtutum B. V. deſcriptio ex Idiota.

254. IDiota l. de Contemplat. B. V. c. 3. Speciositas tua, inquit, B. Virgo MARIA deſignatur per ſeptemplicem ſpeciem, quæ in ſacra Scriptura reperitur. Eſt namque ſpecies olivæ, de qua ſcribitur: *Quaſi oliva ſpecioſa in campis.* Eſt ſpecies columbæ, de qua canitur: *Vidi ſpecioſam ſicut columbam.* Eſt ſpecies Libani, de qua dicitur: *Species ejus ut Libani.* Eſt ſpecies cœli, de qua legitur: *Species cœli cum viſione gloriæ.* Et ſpecies ignis in nocte, de qua ſcribitur: *Operiebat tabernaculum quaſi ſpecies ignis.* Eſt ſpecies arcus, de qua ſcribitur: *Vidi arcum, & benedixi, qui fecit illum; valde enim ſpecioſus eſt.* Eſt ſpecies ſolis, de qua ſcribitur: *Eſt enim ſpecioſior ſole.*

Species olivæ conſiſtit inter cetera in viroris amœnitate. Sic tua ſpecies B. Virgo MARIA, conſiſtit inter alia in fidei ſinceritate. Et ſicut viror pacificæ olivæ delectat oculum corporis, ſic fides tua, quæ pacem inter Deum & hominem reperit, delectat oculum mentis, B.V. comparat Olivæ, ratio.

Species columbæ conſiſtit in ſimplicitate, pulchritudine oculorum, colorum mutatione, & varietate circa collum. Sic ô B. Virgo MARIA, ſpecies tua conſiſtit, in humilitate, pulchritudine ſanctorum cogitatuum, & doctrinæ veritate, quæ in collo intelligitur: quia doctrix fuiſti Doctorum, & Magiſtra Apoſtolorum. Vnde & B. Lucas, cui inter ceteros Evangeliſtas deſcriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur; Euangelii ſeriem à te Virgine MARIA didiciſſe traditur. Columbæ, ratio.

Species libani conſiſtit in continua virgultorum fœcunditate, & delectabilium florum candore: & ſignificat, ô glorioſiſſima Virgo MARIA, candorem tuæ fœcundæ virginitatis: quia tu es, de qua dicitur: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus adſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.* De tua autem ſupereminenti viginitate juſtè dici poteſt, quod ſcribitur: *Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus.* Libano ratio.

Spe-

Digitized by Google

Cœlo, ratio.

Species cœli eſt in viſione gloriæ, & ſignificat in te ſanctiſſima Virgine MARIA, contemplationis ſublimitatem, de qua ſcribitur: *Species mulieris, exhilarat ſpeciem viri:* per quod intelligere quis poſſit, altitudinem contemplationis acceptam eſſe & placentem in conſpectu divinæ pulchritudinis.

Igni, ratio.

Species ignis conſiſtit in ardore & ſplendore; in te autem beatiſſima Virgo MARIA, fuit ignis charitatis ardens & ſplendens ante Deum, & nos miſeros peccatores protegens. Et ſicut Regina Virginum nominaris: ſic charitas illa tua regina virtutum appellatur; quæ virtus nomen amittit, quæ charitati non famulatur.

Arcui cœleſti ratio.

Arcus cœleſtis fit ex radiis ſolis in humida nube, & ſignificat Incarnationem filii tui ſuperbenedicti in te. Tunc enim ſol juſtitiæ qui eſt ſplendor Patris, ingreſſurus in mundum adſcendit ſuper nubem levem, id eſt, ſibi univit mundiſſimam carnem ſine pondere peccati, quod factum eſt de tua carne in tuo virginali utero. Et ſic facta eſt viſibilis imago ſolis juſtitiæ cum profuſionis gratiarum plenitudine, ut ſit viſibilis imago ſolis, cum ſit arcus, ſed non niſi indic profuſionis pluviæ.

Soli, ratio.

Species ſolis conſiſtit in ſplendentium radiorum emiſſione, & ſignificat in te Advocatâ noſtrâ, Virgine MARIA, largam gratiarum effuſionem, in omnes qui ad te ſe convertunt, quæ es ſole ſpecioſior, & emiſſione gratiarum fœcundior. Tua ergo ſpecies Virgo MARIA fuit in corporis caſtitate, in conſcientiæ puritate, in exteriori converſatione, & in divinorum contemplatione. Munda igitur cor meum immundum & inquinatum, ô piiſſima Virgo MARIA, & tuis precibus mihi obtine ſpeciem ſpecialem, &c. ſic Idiota doctiſſimus.

§. V.

Virtutum B. V. Deſcriptio ex Birgitta & Mechtilde.

LIb. 1. Revelat. S. Birgittæ c. 355.
51. Mater mea inquit, Chriſtus, tu es ſimilis flori, qui crevit in una valle, circa quam vallem erant 5. alti montes; & crevit flos ipſe de tribus radicibus cum recto haſtili, quod nullos habebat nodos. Hic flos habebat 5. folia plena omni ſuavitate. Vallis autem crevit cum flore ſuo ſuper iſtos quinque montes, & folia floris dilataverunt ſe ſuper omnem altitudinem cœli, & ſuper choros Angelorum. Tu dilecta Mater, tu es vallis illa propter humilitatem tuam, quam præ aliis habuiſti. Hæc exceſſit quinque montes; primus mons erat Moyſes propter poteſtatem. Ipſe enim habuit poteſtatem in lege ſuper populum meum, ac ſi fuiſſet concluſus in pugno ſuo. Tu autem concluſiſti omnium legum Dominum in utero

B.V. ſimilis flori vallis cui montes 5. circumſtant.

Flos oritur ex tribus radicibus, haſtile ejus rectum cum 5. foliis.

Vallis ſignat humilitatem B.V.

Montes 5: Moyſes, Elias, Sampſon, David, Salomon.

Digitized by Google

tero tuo, ideo tu altior illo monte. Secundus mons erat Elias, qui ſic ſanctus fuit quod cum anima & corpore fuit aſſumptus in ſanctum locum. Tu autem chariſſima mater mea: anima tua aſſumpta fuit ſuper choros Angelorum ad thronum Dei, & cum ea ſanctiſſimum corpus tuum, ideò tu altior Elia. Tertius mons erat fortitudo Sampſonis, quam habuit ſuper omnes homines, tamen vicit eum diabolus fallaciâ ſuâ: tu autem viciſti diabolum fortitudine tuâ, ideo tu fortior Sampſone. Quartus mons erat David, qui fuit vir ſecundùm cor meum & voluntatem meam, & tamen cecidit in peccatum. Tu autem mater mea ſequebaris omnem voluntatem meam, & numquam peccâſti. Quintus mons erat Salomon, qui fuit plenus ſapientiâ, tamen fuit infatuatus; Tu autem mater mea, plena fuiſti omni ſapientia, & numquam fuiſti inſipiens nec decepta.

B. V. iſtos excellit in poteſtate, ſanctitate fortitudine conformitate cum Deo & ſapientia.

Flos autem prodiit de tribus radicibus, quia tu à juventute tua habuiſti tria, ſcilicet obedientiam, charitatem, & divinam intelligentiam. De his enim tribus radicibus crevit haſtile rectiſſimum ſine omni nodo, id eſt, voluntas tua, quæ numquam flectebatur niſi ad velle meum. Flos etiam iſte habuit quinque folia, quæ creverunt ſuper omnes choros Angelorum. Verè tu mater mea flos iſtorum 5. foliorum es. Primum folium eſt honeſtas tua, in tantum quòd Angeli mei, qui ſunt honeſti, conſiderantes honeſtatem tuam, viderunt eam ſupra ſe eſſe & eminentiorem illorum ſanctitate & honeſtate: ideò tu altior es Angelis. Secundum folium eſt miſericordia tua, quæ tanta fuit, quod cum videres animarum miſeriam compatiebaris eis, & paſſa es maximam pœnam in morte mea. Angeli ſunt pleni miſericordiâ, tamen numquam patiuntur dolorem: ſed tu piiſſima Mater miſerta es miſeris, quando ſentiebas omnem dolorem de morte mea, & propter miſericordiam voluiſti magis pati dolorem, quàm exempta eſſe ab eo. Ideo miſericordia tua exceſſit omnium Angelorum miſericordiam. Tertium folium eſt mititas tua: Angeli quippe mites ſunt, & cupiunt omnibus bonum, ſed tu Mater mea chariſſima ante mortem tuam habuiſti in anima tua & corpore voluntatem quaſi Angelus, & feciſti omnibus bonum, & nulli adhuc negas, qui rationabiliter petit, ſuam voluntatem. Et ideo mititas tua excellentior eſt Angelis. Quartum folium eſt pulchritudo tua: Angeli enim conſiderant alter alterius pulchritudinem, & pulchritudinem omnium animarum & omnium corporum mirantur, ſed animæ tuæ pulchritudinem vident eſſe ſuper omnia, quæ creata ſunt, & corporis tui honeſtatem excellere omnes homines, qui creati ſunt. Et ſic omnes Angelos, & omnia, quæ creata ſunt, exceſſit pulchritudo tua. Quintum

Radices floris obedientia charitas & intelligentia divina. Haſtile rectum voluntas ſancta B. V.

Folia 5. virtutes 5. honeſtas miſericordia mititas

pulchritudo & voluptas in Deo B. V. in illis ſuperavit Angelos.

tum folium erat divina delectatio tua: quia nihil delectabat te niſi Deus, ſicut nec delectat Angelos aliud niſi Deus, & quilibet eorum ſentit & ſentiebat delectationem in ſe; cùm autem viderunt delectationem tuam in te ad Deum, videbatur eis in conſcientia ſua, quod delectatio eorum arderet in eis quaſi lumen in divina charitate. Videntes autem delectationem tuam eſſe tamquam ardentiſſimum rogum, ardentem ferventiſſimo igne, & ſic altum, quod flamma ejus appropinquabat Deitati meæ. Et ideo mater dulciſſima bene ardebat delectatio tua divina ſuper omnes choros Angelorum.

Hic flos, quia habuit hæc quinque folia, honeſtatem ſcilicet, miſericordiam, mititatem, pulchritudinẽ & ſummam delectationem, erat plenus omni dulcedine. Quicumque autem voluerit guſtare ſuavitatem, debet appropinquare ſuavitati & recipere eam in ſe, & ſic feciſti tu, bona Mater. Tu enim fuiſti ſic dulcis Patri meo, quòd ipſe recepit totam in ſpiritum ſuum, & dulcedo tua ſuper omnes placuit ei. Flos etiam portat ſemen ex calore & virtute ſolis, ex quo creſcit fructus. Sed benedictus ille ſol, ſcilicet Deitas mea, quæ ſuſcepit humanitatem de virgineis tuis viſceribus. Nam ſicut ſemen ubicumque ſeminatur tales flores germinat, quale ſemen fuerit: ſic membra mea conformia fuerunt membris tuis in forma & facie, tamen ego fui vir, tu virgo fœmina. Hæc vallis exaltata eſt ſuper omnes montes cum flore ſuo, quando corpus tuum exaltatum eſt ſuper omnes choros Angelorum cum ſanctiſſima anima tua. Hactenus ex Revelatione S. Birgit.

Rurſus ubi ſupra c. 52. Reſpondit filius Benedicta ſis tu chariſſima Mater mea. Gabriel Angelus meus dixit tibi: Benedicta ſis tu MARIA præ mulieribus. Et ego perhibeo tibi teſtimonium, quod tu benedicta & ſanctiſſima es ſuper omnes Angelorum choros. Tu es quaſi flos in horto, quem licet diverſi odoriferi flores circumſtent, tamen ipſe omnes excellit in odore, in pulchritudine & virtute. Flores iſti ſunt omnes electi ab Adam uſque ad finem mundi, qui in horto mundi plantati, & diverſis virtutibus nituerunt & floruerunt. Sed inter omnes, qui fuerunt, & poſt futuri ſunt, tu excellentior fuiſti in odore bonæ vitæ, & humilitatis, in pulchritudine gratiſſimæ virginitatis, in virtute abſtinentiæ Teſtimonium enim perhibeo tibi, quod tu in paſſione mea plus fuiſti quàm martyr, in abſtinentia plus quàm aliquis Confeſſorum, in miſericordia & bona voluntate plus quàm Angelus. Ideò propter te verba mea radicabo quaſi bitumen fortiſſimum in cordibus amicorum meorum; Dilatabuntur quaſi flores odoriferi, & fructificabunt quaſi dactilus ſuaviſſimus.

B. V. flos horti præſtans in odore, pulchritudine & virtute.

Digitized by Google

mus & dulciſſimus. Sancta Mechtildis cum in adventu Domini cuperet glorioſiſſimam Virginem MARIAM ſalutare, ſic edocta eſt à Domino. *Saluta*, inquit, *cor virgineum meæ Matris in affluentia omnium bonorum, quibus hominibus perutile fuit; ſcilicet quod fuit puriſſimum unde prima votum virginitatis emiſit: humillimum, quia præcipuè meruit de Spiritu S. concipere. Devotiſſimum & deſiderantiſſimum; quia ſuo deſiderio ſe mihi intraxit. 4. ferventiſſimum in amore ad Deum & proximum. 5. Conſervantiſſimum, diligenter omnia conſervans, quæ in infantia, pueritia, in iuventute peregi. 6. patientiſſimum in paſſione mea, quæ maxime cor ejus per jugem memoriam pertranſivit. 7. fideliſſimum, quia me unicum Filium ſuum pro mundi redemptione voluit, imò maluit immolari. 8. In oratione maximè ſolicitum, pro Eccleſia novella jugiter intercedens. 9. In contemplatione ſedulum, ſuis meritis hominibus gratiam impetrans.*

Alia vice, cùm ſe culpabilem redderet pro eo, quòd ejus Matrem numquam, ut debuit, dilexiſſet, ait illi Dominus: *Pro hac negligentia lauda Matrem meam in fidelitate, quia mihi in omnibus in vita ſua fideliſſima adſtitit, in omnibus actibus ſuis ſemper voluntatem ſuam meæ ſubjiciens voluntati. 2. extolle fidelitatem ipſius, quia mihi in omnibus neceſſitatibus meis fideliſſimè adſtitit, ita ut omnia quæ ego paſſus ſum corpore, ipſa ſuſtinuit mente. 3. Magnifica illam, quia adhuc in cælo mihi fideliſſima in acquirendo mihi peccatores, ut convertantur, & animas ut à pœnis liberentur, quia ipſius interventionibus innumeri peccatores ſunt converſi.* Sic in vita ejus apud Benedictum Gononum in Vitis Patrum Occidentis l. 4. fol. 233. & ſeq.

§. VI.

Sanctitas B. V. ex Ildeph. Chriſoſt. & Bonaven.

Sanctus Ildephonſus ſermone 3. Aſſumpt. ad illud Cant. *Quæ eſt iſta, quæ adſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, &c. Quoniam*, inquit, *in aſcenſu multa flagrabant ornamenta, virtutum incendio. divini concremata amoris. Quæ ideò quaſi virgula fumi, quia ipſa eſt virga illa de radice Ieſſe qua adſcendit gracilis quidem & delicata ex aromatibus pigmentarii pulveris, ſed conflagrata incendio charitatis. Et ideò bene in modum fumi virgula ex aromatibus, quia facta eſt tota in holocauſtum Dei, quæ odoramenta virtutum ſpargebat de ſe uſque ad cælos, & non qualiacumque, ſed univerſi pulveris pigmentarii. Vnde, fratres, admiratio illa Angelica non de virginitate ſola, quæ ſingularis fuit in* MARIA, *ſed de immenſitate gratiæ venit, quia univerſæ virtutes in ea reſpergebant ex incendio divini amoris ſuavitatem odoris, ut in ea eſſet forma non ſolum Virginum, ſed etiam omnium Eccleſiarum Dei.* 356. B. V. virgula fumi, ratio. Omnes virtutes in B. V. fuere ſingulares.

D. Chryſoſt. *Magnum revera*, inquit, B. V. magnum mundi miraculum.

inquit, *miraculum, fratres dilectiſſimi, fuit Beata ſemper Virgo* M A R I A. *Quid namque illâ majus aut illuſtrius ullo umquam tempore inventum eſt, ſeu aliquando inveniri poterit? Hac ſola cælum & terram amplitudine ſuperavit. Quid illâ ſanctius? Non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res viſibiles aut inviſibiles majus aut excellentius inveniri poteſt.* Sic ille. Vide Brev. Rom. 12. Sept.

Eccli. c. 1. B. V. cœlum, terra, abyſſus. *Pſ. 102. Pſ. 66.*

S. Bonav. in Spec. lect. 5. *Quis immenſitatem* M A R I Æ *poteſt menſurare? Ecce quod dicitur in Eccleſiaſtico; Altitudinem cæli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt? Cælum eſt* M A R I A, *tum quia cæleſti puritate, cæleſti claritate, cæleſtibus aliis virtutibus abundavit: tum quia ſedes Dei altiſſima fuit, teſte Prophetâ, qui dicit: Dominus in cælo paravit ſedem ſuam. Terra quoque* M A R I A *fuit, quæ fructum illum nobis protulit, de quo idem Propheta ait; Terra dedit fructus ſuos. Abyſſus etiam eſt* M A R I A *in bonitate & in miſericordia profundiſſima. Unde etiam profundiſſimam miſericordiam filii ſui pro nobis interpellat, quaſi abyſſus abyſſum invocat. Cælum ergo eſt* M A R I A, *terra eſt* M A R I A; *abyſſus eſt* M A R I A. *Quis hujus cæli altitudinem quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyſſi profunditatem; quis inquam,* M A R I Æ *immenſitatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus, qui ipſam, non ſolum in gratia & gloria, ſed etiam in miſericordia tam altiſſimam, tam latiſſimam, tam profundam operatus eſt.* Sic Bonav.

Concludo tandem, atque cum Bonav. ſimul & noſtro Bernardino Sen. cujus hæc ſunt verba, dico; Tanta igitur fuit perfectio ejus, ut ſoli Deo cognoſcenda reſervetur, juxta illud Eccl. 1. *Ipſe creavit illam in Spiritu S. vidit, dinumeravit, & menſus eſt, ſcilicet ipſe ſolus Deus.*

LECTIO VI.

De aliis quibuſdam B. V. M. Excellentiis.

CAP. VI.

De Merito B. Virginis MARIÆ.

MAjus atque præſtantius hominis meritum eſſe non 357.
poteſt, quàm meritum dignitatis Matris Dei: hoc ipſum ſibi B. Virgo vendicat: quod tamen ut ſanè intelligatur,

Sciendum 1. apud Theologos duplex communiter aſſignari meritum, condignum ſcilicet, ac congruum. Condignum fundatur in juſtitia, congruum ſuper liberalitatem, ac unumquodque ſuo modo obligare dicitur.

Sciendum 2. opus aliquod dupliciter dici poſſe alicujus præmii condignum: ſemel quia ejus valor per ſe & ſeclusâ promiſſione eſt abſolutè tantus, quantus eſt valor

ipſius præmii, ita ut minore præmio non poſſit ei exactè ſatisfieri. Atque hac ratione condignum conſiſtit in abſoluta commenſuratione & æqualitate inter valorem operis & præmii: & talem condignitatem neceſſariò requirit mera & rigoroſa juſtitia commutativa, aut etiam vindicativa, quando iis nihil omnino liberalitatis, vel miſericordiæ admiſcetur.

Alterum condignum conſiſtit, in quadam proportione, quam opus in his circumſtantiis habet reſpectu præmii: qua ratione opus aliquod dicitur verè & abſolutè dignum aliquo præmio, quod rigoroſè loquendo ipſius valorem longe excedit. Patet hoc in præmiis in aliqua concertatione propoſitis, quæ ſæpe excedunt valorem operis requiſiti; & tamen qui in ejuſmodi certamine alios ſuperavit, dicitur dignus præmio primo, illudque dignè meruiſſe.

Nos poſteriori modo accipimus condignum: in quo, quod debetur, debetur quidem ex juſtitiâ, ſed latè ſumptâ, prout ſcilicet etiam fidelitatem comprehendit.

358. Pro quo ſciendum 3. opera noſtra moraliter bona ſufficientem ad merenda divina præmia acquirere proportionem, primò ex eo quòd gloria æterna ordinatur & promittitur à Deo, ceu præmium viatoribus hujus vitæ & athletis, ſicut bravium, quod Princeps terrenus promittit currentibus in ſtadio, ut dicitur 1. Cor. 9. & Philipp. 3. Atque hoc ipſo, quo aliqui in ſtadio currant, eorum victoria ſit proportionata & digna propoſito præmio, quantumvis aliàs operis dignitatem ſuperante, ergo etiam ſimiliter noſtra victoria ſit proportionata & digna vitâ æternâ. 2. opera quibus meremur, cùm fiunt ex gratia, ſunt ſupernaturalis ordinis, adeoque hâc ratione proportionata præmio ſupernaturali. 3. quia fiunt à filiis, quibus legitimè certantibus non decet proponi aliud præmium niſi hæreditatem. 4. quatenus opera noſtra fiunt à vivo Chriſti membro, eâ ratione ex ipſis meritis aliquam dignitatem, & vim merendi participant, ut docet Concilium Tridentinum ſſ. 6. c. 16. & can. 32. ac ſſ. 14. c. 8.

Sciendum 4. quòd ad meritum condignum, promiſſio Dei omnino neceſſaria eſt, quâ nos ad gloriam æternam promerendam ordinat, eamque nobis, ceu præmium operis addicit, ut eam de condigno mereamur. Etenim cùm ſupremus omnium Dominus ſit independens à nobis & operibus noſtris neque per eadem aliquid ei accedat, utpote in ſe & per ſe perfectiſſimus atque beatiſſimus, non poteſt obligari ad aliquid niſi per ſeipſum ordinando & promittendo; quo facto conſtituitur nobis verè debitor præmii, ita ut non ſolum ſibi, ſed etiam nobis obligetur id dare. Ita Bellarminus l. 5. de Iuſtific. c. 14. Suarez 359.

releċt. de libert. div. diſp. 2. ſect. 2. n. 33. Colligitur ex c. 4. ad Rom. ubi dicitur. *Si autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*, ubi agit de mercede à Deo nobis danda pro bonis operibus, & docet eam dari ſecundùm debitum, & quidem excludente gratuitam donationem, quod dici non poſſet ſi nobis non eſſet verè debita. 2. Tim. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Vbi docet juſtis debitam coronam juſtitiæ, quam reddet juſtus judex; apertè inſignans illam eſſe debitam ex juſtitia, & Deum eam reddendo exercere actum juſtitiæ. D. Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Apoſtoli, paulò poſt initium, ait: *In his enim, quæ jam habemus, laudemus Deum largitorem: in his quæ nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus eſt nobis, non aliquid à nobis accipiendo, ſed, quod ei placuit, promittendo.* Deinde fuſius oſtendit, nos poſſe exigere à Deo promiſſum præmium, non quia aliquid ei prius dedimus, ſed quia id ipſe promiſit. Notandum autem quod obligatio, quâ Deus tenetur juſtis dare gloriam pro meritis, non eſt obligatio juſtitiæ commutativæ propriæ dictæ, ſed juſtitiæ latè ſumptæ, prout includit fidelitatem. Hæc eſt D. Thomæ 1. 2. q. 114. art. 1. Ratio: quia omnis qui facit contra, ſive violat obligationem juſtitiæ commutativæ, facit veram injuriam ei, cui ex juſtitia obligatur eam non violare, atque Deus nobis invitis, & ſine noſtra culpa negando gloriam, facit contra obligationem, qua nobis obligatur eam dare; & tamen nullam nobis facit injuriam, quia ipſe non eſt ſubjectum aptum nobis ex juſtitia obligari. Dicitur autem nobis reddere gloriam ut juſtus judex: quia id facit ex virtute valdè ſimili juſtitiæ ſtrictè ſumptæ, quæque lato modo juſtitia in Scriptura vocatur. De his fuſius Ægid. Koninck l. de moralitate actuum ſupernat. diſp. 8. de merito dub. 3. 4. 5. &c.

Sciendum 5. Præter gloriam æternam, gloriæ & gratiæ augmentum, nihil ſub meritum de condigno cadere. Ratio, quia de his, non de aliis, promiſſio divina exſtat. Ad præfata verò merenda præter Dei promiſſionem & opus bonum prærequiritur prima gratia de qua Conc. Arauſ. c. 18. *Debetur*, ait, *merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Vide etiam Conc. Trid. ſſ. 6. c. 5.

His præſuppoſitis, dicendum primò B. V. MARIAM meruiſſe ut eſſet *Mater Dei.* Sic tenent SS. Patres cum Eccleſia. De Eccleſia patet, quia in Antiphona 360.
Paſchali ei accinit: *Quem meruiſti portare, reſurrexit.* Item in orat. ad *Salve Regina. Vt dignum*, ait, *Filii tui habitaculum effici mereretur.* D. Aug. l. de nat. & gra. c. 36. *Illum meruit parere, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* D. Gregorius in

II. Regum: *An non ſublimis* M a r i a, *quæ ut ad Conceptionem Verbi æterni pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros uſque ad ſolium Deitatis erexit.* Infra plures alios dabimus Patres.

361. Dicendum ſecundò, beatam Virginem M a r i a m non meruiſſe dignitatem Matris Dei de condigno. Ratio: quia meritum de condigno non poteſt acquiri ſpeciali favore Dei adſtipulantis & acceptantis bona opera in genere actuum meritoriorum ad tale præmium. Non reperimus autem Deum aliter opera noſtra exigere & acceptare, quàm ut digna augmento gratiæ, ac iis, quæ neceſſaria ſunt ad conſequendum regnum cœlorum: adeoque gradus *Matris Dei*, cum ſit omnino extra præmium à divina Majeſtate virtutum operibus impoſitum, non poteſt dici datus via juſtitiæ, aut quod hoc prætextu juſtè exigi poſſit. Hinc D. Fulgentius de Incarnat. & grat. c. 7. *Ipſum Deum,* inquit, *hominem factum non humanis meritis, ſed concepti naſcentiſque ex ea ſummi Dei dignitate promeruit.* Et D. Hieron. tom. 1. Dial. 1. contra Pelag. aſſerit: quod Virgo M a r i a *Beatam* ſe ſic dicat, *non proprio merito, ſed Dei in ſe habitantis clementia.*

362. Quidam nihilominus Theologi tenent, quod B. Virgo M a r i a, ſi non meruit de condigno eſſe *Mater Dei*, id non fuit defectu actionum carentium proportione ad magnitudinem hujus tituli: verùm quia Deus illas in hunc finem non acceptavit, ſaltem quod ſciamus: ceterum ſi Deus hanc dignitatem velut præmium ſtatuere voluiſſet, proculdubio ipſa Virgo meritis operum ſuorum eminentibus bravium iſtud reportâſſet. Ratio eſt, præſtantia meritorum ipſius præ cunctis hominibus. 2. quia titulus *Matris Dei* etſi magnitudine ſua captum excedat noſtrum, non tamen ita ſimpliciter infinitus eſt, quemadmodum titulus *Filii Dei* per naturam; ſed cum reſtrictione, ratione ſcilicet termini quem includit, ad eum modum, quo gloria Beatorum, licèt cum exceſſu proportionis. Vnde dico non in congruum eſſe, ut creaturæ alicujus merita eo uſque pertingere valerent, ſi à Deo in hunc finem ordinata & acceptata eſſent.

Dicendum 3. B. Virginem meruiſſe dignitatem Matris Dei de congruo: ſic communiter docent Theologi: Ad meritum autem de congruo, ſolùm requiritur ut faciamus aliquid, quod in his circumſtantiis merito moveat alterius benignitatem aut liberalitatem, ut illud nobis conferat, ſive quod tale ſit, ut omnino conveniat benignum ac liberalem eo moveri, ut illud nobis det. *Rectè,* inquit Clichtovæus, *tam excellenti & ſingulari virtuti illud tribuimus præconium, quod meruerit portare Regem cœlorum & Dominum, id eſt, digna fuerit & idonea ex Dei munere primùm, & deinde ſui ipſius apta diſpoſi-* 363.

Petr. Caniſ. de Deip. Rich. art. 3. Cejetanus in 3. p. q. 2. a. 11.

Digitized by Google

Suar. diſp. 10. ſect. 8. Vaſquez diſp. 23. c. 4. Franc. Poirè in Corona Trip. B. V. ubi de meritis.

poſitione per bonorum operum ſtudium ferre caſtis ſuis viſeribus Chriſtum Dei Filium. Divus verò Thomas 3. p. q. 2. a. 11. ad 3. *Beata Virgo*, inquit, *dicitur meruiſſe portare Dominum omnium; non quia meruit ipſum incarnari, ſed quia meruit ex gratia ſibi data illum puritatis & ſanctitatis gradum, ut congruè poſſet eſſe Mater Dei.* Et in hoc ſenſu intelligendi ſunt SS. Patres & Eccleſia. Quoniam verò hujus ſanctiſſimæ Virginis virtutes omnes huc tamquam apta diſpoſitio collimarunt; ideò SS. Patres modò humilitati ipſius, modò puritati, modò obedientiæ, modò charitati adſcribunt tantæ dignitatis meritum. Humilitati adſcribit D. Aug. ſerm. 35. de SS. *O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innovavit, mundum purificavit, paradiſum aperuit, & hominum animas ab inferis liberavit. O verè, inquam; glorioſa* MARIÆ *humilitas, quæ porta Paradiſi efficitur, ſcala cæli conſtruitur per quam deſcendit Deus ad terras. Quia, Reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ ſuæ, & quid eſt dicere reſpexit, niſi comprobavit, placuit ei humilitas mea.* Divus item Bern. ſerm. 1. Miſſ. *Si virginitate placuit; humilitate concepit.*

Virtutes B. V. quibus de congruo meruit eſſe Mater Dei. Humilitas.

364. Puritas.

Puritati B. Virginis attribuit Greg. Nyſſ. qui in hunc ſenſum loquitur: Verbum æternum ad ima deſcendit, non curru Eliæ igneo, non veliſicanti navi, ſed pennis puritatis & integritatis. Item l. 1. Revel. S. Birgit. c. 50. Chriſtus ita Matrem ſuam benedictam affatur: *Chariſſima Mater mea, tu es quaſi aurora procedens cum ſerenitate, tu radiaſti ſuper omnes cælos, lux tua & ſerenitas tua excellit omnes Angelos, tu adtraxiſti ad te ſerenitate tua ſolem verum, id eſt, Deitatem meam, &c. In veritate mea dico, quod puritas tua, quæ mihi ſuper omnes Angelos placuit, traxit Deitatem meam in te.*

Fidei attribuit S. Petrus Chryſologus ſerm. 2. Annunc. *Meritò*, inquit, *concipit Verbum, quæ credidit verbo.* Item D. Bonaventura in Luc. c. 11. *Virgo* MARIA *fuit laudabilis in concipiendo, quia fide concipit. Et ideo dixit ei Elizabeth: Beata, quæ credidiſti, &c.* Fides.

Obedientiæ adſcribit D. Aug. ſerm. 18. de SS. *O felix*, exclamat, *obedientia! o inſignis gratia, quædam fidem dedit humiliter, cæli opificem incorporavit. Implevit in ea Dominus quod dudum prædixerat, obedientiam malle, quàm ſacrificium, & ſcientiam Dei quàm holocauſtum. Hæc fuit vera obedientia, omnique ſacrificio gratior: hæc voluntas cunctis hoſtiis acceptior, hinc promeruit gloriam, quam ipſa poſtmodum hauſit. Quia, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

S. Bernardinus Sen. ſerm. 51. 365. Obedientia.
a. 3. c. 1. *Virgo beata*, inquit, *in Conceptionis Filii Dei conſenſu plus meruit, quàm omnes creaturæ, tam Angeli quam homines in cunctis actibus, & cogitationibus ſuis. Nempe omnes qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri niſi ſecundùm varios ſtatus & gra-*

Digitized by Google

gradus gloriam ſempiternam. Hæc autem Virgo in illo admirando conſenſu meruit totalem fomitis extinctionem; &c. meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem Filii Dei, &c.

366. Charitas. Demum charitati B. Virginis attribuit Conceptionem Filii Dei, B. Laur. Iuſtinianus l. caſt. conc. c. 9. *Hæc propter humilitatis meritum & ferventiſſimum charitatis effectum ab Altiſſimo adamatur, eligitur à Verbo, fœcundatur à Spiritu, divinâ prole ditatur, &c.* Item Alb. Magnus ſuper Miſſ. *Omnes*, ait, *iſtæ virtutes præparabant ad hoc myſterium ſuas potentias, elevando habitualiter, maximè virtus humilitatis, de qua loquens D. Aug. in quodam ſerm, ait. Humilitas genuit nobis Deum, id eſt generari fecit. Charitas tamen tamquam forma & vinculum perfectionis fecit conjunctionem actualiter & complementum. Vnde de ipſa dicit* Hugo à S. Vict. *quod Deum captivum & ligatum de cœlo duxit in hunc mundum.* D. Thomas Aquinas: Opuſc. 8. *Quia*, inquit, *in corde B. Virginis amor Spiritus ſancti ſingulariter ardebat, ideò in carne mirabilia faciebat, in tantum quod de ea naſceretur Deus & homo.*

367. Meritum B. V. de condigno. Quod meritum B. Virginis de condigno attinet, obſervandum ipſam ab utero matris habuiſſe uſum liberi arbitrii, nec eumdem per ſomnum impeditum fuiſſe, adeoque ſemper vigilaſſe: inſuper certum eſt B. Virginem omni tempore plenam gratiâ & Spiritu S. fuiſſe. Ex hinc collige quantum congregârit meritorum cumulum per ſpatium ſexaginta amplius annorum, quibus continuò ſine interruptione ſanctiſſimè vel cogitavit, vel fecit, vel dixit; computando tempus à die immaculatæ conceptionis in utero matris, uſque ad ultimum vitæ labentis momentum, includendo ſimul non tantum tempora & momenta infantiæ, verumetiam dormitionis, ſomnive, quia corpore dormiente mens vigilabat, & cæleſtia ruminabat. Præterea ſecundùm excellentiam Marianæ dilectionis, de qua ſupra, collige meritorum ipſius præſtantiam. Etenim *pondera operum*, ut ait D. Leo, *charitatis lance penſantur.* Hinc cùm ſine comparatione B. Virgo omnes Sanctos in amore longe excelluerit, etiam quævis ipſius opera, Sanctorum actiones & paſſiones, quatumvis arduas, dignitate ac merito longè ſuperabunt. Hoc fundamento nixus Eccleſiaſtes ille à veritate aberrâſſe non videtur, cùm dixit: B. MARIAM *plus meruiſſe cum Chriſtum pannis involuit, quam Laurentius, cum pro Chriſto candentem craticulam toleravit.* Nec ille, qui alludens ad illud Cantic. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua. Per rubentem*, inquit, *coccum paſſio ſignificatur, ut vel ſic innueretur non minus* MARIAM *loquendo meruiſſe, quàm meruerint Martyres, ſanguinem dum fuderunt.* Rurſus idem: *Magis* MARIA *meruit placidiſſimè moriens, quàm meruerint ſanguinis fuſu martyres ipſi.*

Nota. Meritum præſtans B. V.

Ioan. Oſorius apud Drexelium de virtut. B. V. q. 1: c. 1. §. 2. Aloyſ. Novarinus in Vmbra Virg. l. 4. num. marg. 1677. & 1710.

His

His conſonat Cardinalis Hailgrinus in c. 7. Cantic. ad illa verba. *Et ubera tua botris: Vbera*, inquit, *botris aſsimilata ſunt, in quo mirabilis prærogativa merendi monſtratur in Virgine, quæ non minus meruit fundendo lac de uberibus ſuis ad Filii nutrimentum, quàm martyres (qui per botros ſignantur) meruerunt, fundendo ſanguinem ſuum in martyrio. Omnium enim operum merces ſecundùm radicem charitatis penſatur.*

368. Ex his & Patrum ſententiis pondera & obſtupeſce ſuper ineffabili atque incomprehenſibili meritorum Virg. Deiparæ multitudine ac magnitudine. D. Ildephonſus ſerm. 2. Aſſumpt. *Sicut*, ait, *eſt incomparabile, quod geſſit, & ineffabile, quod percepit; ita eſt incomprehenſibile præmium gloriæ, quod meruit.*

B. Laurentius ſerm. Nat. B. V. *Nullus*, inquit, *mortalium, quamvis donorum cæleſtium numeroſitate ſit præditus, Virgini valet coæquari. Patriarcharum utique Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, omniumque Sanctorum merita* B. MARIA *tranſcendit.*

D. Thom. Aquin. *Eſt lyptote*, inquit, *qui pauca dicis, ſignificatque magna. Fuit enim exaltata ſuper choros Angelorum & ſuper omnes Sanctos: nec mirum ſi exaltata eſt ſicut Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, &c. In carne enim eſſe & ſecundùm carnem non vivere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis. Virginitas eſt ſoror Angelorum. Habuit enim meritum Prophetæ prophetando* Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes. Vidit enim ſpiritu prophetico, & prophetabat, quòd debebat beatificari ab omnibus gentibus, & quod omnes gentes debebant recipere Filium Dei, & ſuum. Habuit meritum Apoſtolorum & Prophetarum docendo. Multa enim ſcripta ſunt & prædicata, quæ non potuerunt Sancti, niſi per revelationem ejus ſcire, ſicut de viſitatione Angeli in Conceptione, & aliis pluribus. Habuit mentem Martyris, mortem crucis cum Chriſto patiendo* Luc. 2. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Habuit meritum confeſſorum devotè Domino confitendo* Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum. Habuit meritum Virginum, inchoando virginitatem & conſecrando* Luc. 1. *Ingreſſus eſt Angelus ad* MARIAM *Virginem. Et ſicut habuit meritum omnium, & amplius, ita congruum fuit ut ſuper omnes ponatur Ordines cæleſtium.* Ita D. Thomas l. de ſolemnit. Sanctorum.

CAP. II.

De Obitu B. V. MARIÆ, *Corporis incorruptione, & ejuſdem reſuſcitatione.*

E*x antiqua*, inquit Damaſcenus, *accipimus traditione, quòd tempore glorioſæ dormitionis B. Virginis, univerſi quidem ſancti Apoſtoli, qui orbem terræ ad ſalutem gentium peragrabant, momento temporis in ſublime elati convenerunt Ieroſolymis: cumque illic eſſent, eis viſio apparuit*

Brev. Rom. 13. *Aug.*
369.
Niceph. l. 15. *Hiſt. Eccl. c.* 14.
Obitus B. V. ad quem omnes A-

ruit Angelica, & audita eſt pſalmodia cæleſtium poteſtatum; & ſic cum divina gloria in manus Dei ſanctam tradidit animam. Ejus autem corpus, quod Deum ineffabili quadam ratione ſuſcepit, cum Angelica & Apoſtolica hymnodia elatum, in loco fuit depoſitum Gethſemani: quo in loco Angelorum cantus manſit tres dies continuos. Poſt tres autem dies, Angelico cantu ceſſante, qui aderant Apoſtoli (cùm unus Thomas, qui abſuerat, poſt tertium diem veniſſet, & quod Deum ſuſceperat corpus adorare voluiſſet) tumulum aperuerunt ſed omni ex parte ſacrum ejus corpus nequaquam invenire potuerunt. Cùm ea autem tantum inveniſſent, in quibus fuerat compoſitum, & ineffabili, qui ex iis proficiſcebatur, eſſent odore repleti, loculum clauſerunt. Ejus myſterii obſtupefacti miraculo, hoc ſolum cogitare potuerunt, quod cui placuit ex MARIA *Virgine carnem ſumere & hominem fieri & naſci, cum eſſet Deus Verbum & Dominus gloriæ: quique poſt partum incorruptam ſervavit ejus virginitatem, eidem etiam placuit, & ipſius, poſtquam migravit, immaculatum corpus, incorruptum ſervatum, tranſlatione honorare ante communem & univerſalem reſurrectionem, &c.* Sic Damaſc. Huic hiſtoriæ tanto fides major adhibenda, quanto à majori & ſinceriori authoritate pro vera adſtruitur & evulgatur. Major autem firmiorque authoritas & ſinceritas non eſt, quàm Eccleſiæ, quæ hanc de Virginis morte & reſuſcitatione hiſtoriam pro ejuſdem ſolemnizanda Aſſumptione in officio divino uſurpat, unde & irrefragabilis redditur, & conſequenter glorioſa Deiparæ Virginis corporalis cum anima reſurrectio. Quamobrem S. R. Eccleſia dum aliorum omnium Sanctorum abitûs celebritatem recolit, natalem illorum diem nominare conſuevit, vel migrationem, vel aliquando dormitionem. Cum verò agit de obitu ſanctiſſimæ Dei Genetricis, non natalium, non dormitionem non migrationem vocat, ſed Aſſumptionem, quòd nempe piè credat Filii gratiâ & virtute à mortuis ſuſcitatam jam in cœlis ſecundùm corpus & animam cum Deo regnare in perpetuas æternitates. Sophronius ſerm. de Aſſumpt. dicit omnem cœli militiam Deiparæ proceſſione obviam ad honorandam illam, eamque cœleſti ſplendore circumfuſam cum concentu deduxiſſe ad thronum ſibi præparatum. Deinde addit Aſſumptionis feſtum, quod ſemel à nobis quot-annis celebratur, à Spiritibus beatis, totaque Ieruſalem cœleſti continenter celebrari.

Divus iterum Damaſcenus, & cum eo Eccleſia in feſto Aſſumptionis: *Virgo*, ait, *immaculata, quæ nullis terrenis inquinata eſt affectibus, ſed cœleſtibus educata cogitationibus, non in terram reverſa eſt, ſed cum eſſet animatum cœlum in cœleſtibus tabernaculis collocatur. Ex qua enim omnibus vera vita manavit, quomodo illa mortem guſtaret? Sed cedit legi lata ab eo, quem genuit, & ut filia*

Apoſtoli convenerunt. Cantus Angelorum ad ſepulchrum B. V. 3. diebus manſit. D. Thomas corpus B. V. poſt mortem videre & honorare cupiebat. Sepulchrum B. V. vacuum repertum, ſpirabat ſuavem odorem. B. V. cum corpore tranſlata in cœlum.

Eccleſia obitum B. V. feſtivus cur vocet aſſumptionem.

Digitized by Google

B. V. obiit ut filia Adam, aſſumpta in cælum ut mater Dei.

lia veteris Adam veterem ſententiam. ſubiit. (Nam & ejus Filius, qui eſt vita ipſa, eam non recuſavit) ut autem Dei viventis mater, ad illum ipſum dignè aſſumitur.

370. Fulbertus Carnot. ſerm. 2. Nat. B.V. *Credit*, ait, *Chriſtiana pietas quia Chriſtus Deus, Dei filius matrem ſuam glorioſè reſuſcitaverit & exaltaverit ſuper cælos.* Sic & Ant. 4. p. Sum Theol. tit. 15. c. 43. §. 3. *De Virgine glorioſa*, inquit, *piè creditur ab omni Eccleſia & Doctoribus, in corpore & anima glorificata in cælis.*

B. V. M. a tribus maledictionibus immunis.

D. Thomas Aquinus Opuſc. 8. *Tres*, ait, *maledictiones datæ ſunt hominibus propter peccatum* 1. *data eſt mulieri, ſcilicet quod cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret, & in dolore pareret: ſed ab hac immunis fuit B. Virgo, quia ſine corruptione concepit, in ſolatio portavit, & in gaudio peperit Salvatorem* Iſa. 35. *Germinans germinabit exultabunda & laudans* 2. *data eſt homini, ſcilicet, quod in ſudore vultus veſceretur pane ſuo. Ab hac immunis fuit B. Virgo, quia ut dicit Apoſtolus* 1. *Cor.* 7. *Virgines ſolutæ ſunt à curis hujus mundi, & ſoli Deo vacant.* 3. *fuit communis viris & fœminis, ſcilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit B. Virgo, quia cum corpore aſſumpta eſt in cælum* Pſ. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.*

Idem docent D. Bonav. in Spec. lect. 2. Hugo à S. Vict. l. 3. Erud. Theol. c. 125. Rich à S. Vict. in Cant. c. 42. Rupertus l. 6. in Cant. Gerſon Alphab. 14.

Aſſumptio B. V. revelata S. Birgittæ.

Lib. 1. Revel. S. Birgittæ c. 9. *Completo curſu vitæ meæ*, inquit, Deipara ad Birgittam, *Deus primo animam quia ipſa domina erat corporis, ad Deitatem excellentius ceteris elevavit. Inde corpus meum, ut nullius creaturæ corpus ſit tam propinquum Deo, ſicut meum. Ecce quantum filius meus dilexit animam meam & corpus. Sed aliqui ſunt qui maligno ſpiritu negant me aſſumptam corpore & anima, aliqui etiam quia neſciunt melius. Sed iſta eſt pro certiſſimo rei veritas, quod cum corpore & anima aſſumpta ſum.* Rurſus l. 7. c. 26. *Scias quod nullum corpus humanum in cælo eſt, niſi corpus glorioſum filii mei & corpus meum.* Vide etiam harum Revelationum l. 1. c. 46. & 51. l. 6. c. 12. 60. & 62. & l. 7. c. 25. cum Annotat. Conſalui Duranti. Vide item Georg. Colvener Doct. S. Theol. Duaci in Kalend. B. V. 15. Auguſti, qui fusè agit de Aſſumpt.

CAP. III.

De gloria B. V. MARIÆ *in cælis.*

371. Gloria duplex eſſentialis & accidentalis.

Diſtinguunt Theologi gloriam æternæ beatitudinis in eſſentialem & accidentalem. Eſſentialis (quam auream & coronam nuncupant) conſiſtit in poſſeſſione regni cæleſtis, Dei clara viſione ac perfecta fruitione. Accidentalis eſt quid ſuperadditum præmio ſeu gloriæ eſſentiali, ut

Digitized by Google

v. g. revelationes, impetrationes, aureolæ &c. D. Thomas Aquin. in Supplem. 3. p. q. 96. a. 1. *Aureola eſt*, inquit, *quoddam gaudium de operibus à ſe factis, quæ habent rationem victoriæ excellentis, quod eſt aliud gaudium ab eo, quo de conjunctione ad Deum quis gaudet, quod dicitur aurea.* Idem ſupra art. 5. *cum per virginitatem*, inquit, *ſingularis quædam victoria contra carnem obtineatur, Virginibus quibus propoſitum fuit virginitatis perpetuo ſervandæ, aureola meritò debetur.* Et a 6. *Martyribus aureola debetur, tum propter victoriam paſſionum martyrii, tum propter cauſam pugnæ.* Art. vero 7. *Doctores*, ait D. Thom. *aureolam conſequuntur propter victoriam, quam obtinent adverſus diabolum per prædicationem & doctrinam.*

Aureola quid.

Aureola virginitatis.

Aureola martyrii.

Aureola doctoratus.

Eſſentialis gloria B.V.

Itaque ſi loquendum de eſſentiali perfectione Beatitudinis, dico B. MARIAM ea in re & Angelos & homines anteire juxta illud quod canit Eccleſia: *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum.* Et hoc probant D. Anſelmus l. de excell. c. 4. D. Bern. ſerm. 1. & 2. Aſſumpt. Damaſc. Orat. de Dormit. Nazianz. in invocat. ad Virg. Athanaſius ſerm. de Deip. & alii quos infra ponimus.

D. Dionyſius l. 4. cæl. Hierarch. c. 4. docet Angelos, quia Deo viciniores ſunt, divinæ bonitatis eſſe magis participes, quam homines. Item D. Paulus 2. Cor. 9. ait: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Ex quibus infertur B. Virginem cum Deo propinquiſſima ſit, atque in benedictionibus ſeminaverit, id eſt, in ampliori ac præſtantiori charitate atque religione erga Deum opera ſua in hac vita mortali ſupra omnes Beatos (ut ex ſuperioribus lect. patet) peregerit, ipſa quoque in altera vita in benedictionibus meſſuit, id eſt, ampliorem gloriam gaudiumque uberius præ ceteris tam quoad animam, quam quoad corpus recepit. Deus enim remunerat cujuſque opera ſecundum merita.

372. Accidentalis gloria B. V.

Iam ſi ſermo ſit de accidentali gloria, ut ſunt revelationes, impetrationes & alia ſexcenta, etiam credendum, B. Virginem perfectius & cumulatius hujuſmodi accidentalibus præmiis abundare, quam omnes alii Beati, ut ex citatis Patribus colligitur. At ſi loquamur de aureolis, quis unquam dubitet, ipſam quoque illas obtinuiſſe. Et de virginitatis aureola conſtat tanto in MARIA fuiſſe præſtantiorem, quanto ipſa perfectius ceteris virginitatem dilexit & ſervavit, quod adeo verum eſt, ut *Primiceria Virginum* à Patribus, atque *Virgo Virginum* ab Eccleſia nuncupetur. De aureola debita Doctoribus patet, quod ea quoque fruatur in cælis. Ipſa namque ſapientiſſima, & in ſacris literis eruditiſſima fuit; Apoſtolorum etiam magiſtra & Doctrix Evangeliſtarum, imò omnium myſteriorum Dei vas & rece-

Aureola virginitatis B.V.

Aureola doctoratus B. V.

Digitized by Google

receptaculum, ut indicavit Greg. Taumat. ſerm. 2. Annunc. Et licet Doctoris officio publicè non ſit functa palam docendo & concionando, id tamen ad hanc promerendam aureolam non eſt neceſſe. Satis enim eſt fidei veritatem in alios diffundere, ut egregiè animadvertit D. Thom. in 4. diſt. 49. q. 5. a. 5. Vide etiam Spinell. de Deip. c. 19.

373. Aureola martyrii B. V. Sed de aureola martyrii fuit aliqualis controverſia, quandoquidem exploratum ſit Virginem MARIAM violenta morte non obiiſſe, at quoniam SS. Patres eam & Martyrem vocarunt, & pluſquam Martyrem, ideo exiſtimandum eſt Martyrii aureola non caruiſſe. Sic D. Hieron. ſerm. de Aſſumpt. D. Bern. ſerm. Sign. Magn. S. Anſelm. de excell. Virg. c. 5. Alii plures habuiſſe autem Martyrii aureolam probat Franc. Suarez in 3. p. D. Thom. q. 37. a. 4. diſp. 2. ſect. 4. qui pro hac opinione citat Gabriel in 4. d. 49. q. 4. a. 3. Viguerium Inſtitut. Theol. c. 14. §. 2. verb. 2. Item S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 24. §. 1. Item Eccleſia Romana S. Theclam pro Martyre colit, non quod pro fide necata ſit ſed quia pro fide talia in vita tormenta ſuſtinuit, in quibus procul dubio exſpiraſſet niſi divinitus ſervata fuiſſet.

In officio proprio Annunciatarum de doloribus B. Virg. prima Antiphona ad Laudes eſt, *Gladius doloris, & lancea amoris pertranſierunt animam Virginis, ut pluſquam martyr in cælo aureola xcellentiſſima decorata ſit.*

De ſingulis aureolis vide idem probantem Georgium Colvener S. Theol. Doct. in Kalend. B. V. 15. Aug. ubi dicit communem eſſe ſententiam Doctorum Scholaſticorum. Videndus etiam Albertus Magn. ſuper Miſſ. q. 116. 117. & 118. item Mendoca in Viridario l. 2. Problem. 7. num. marg. 44.

Ex his facilè deducitur, quid de gloria corporis B. Virginis dicendum ſit. Habuit enim omnes illas dotes, quas omnes Beati communiter habent in patria, & tanto perfectius, quanto excellentiori animæ beatitudine fruitur. Imò opinatur Suarez loc. citato MARIAM ob ſingularem filii ſui generationem etiam in corpore habere ſingularem quempiam præ ceteris Beatis ſplendorem, vel aliquid aliud, quod in ſigne ſit Regiæ dignitatis, ac divinæ maternitatis.

CAP. IV.

Cenſura Patrum de Virginis MARIÆ *in greſſu & exaltatione ejuſdem in regno cælorum.*

D. Anſelmus de Excell. Virg. c. 6. inquirit quare Chriſtus in cælum adſcendens matrem etiam ſecum non rapuerit? Oc- 374. Gloria ingreſſus B. V. in cælum.

 cur-

Digitized by Google

currit ad hunc modum. *Quomodo*, inquit, *potuiſti pati te in regnum gloriæ tuæ remeante, illam quaſi orbatam in miſeriis mundi relinquere, ut non eam ſtatim tecum regnaturam aſſumeres? Fortaſſis Domine ne curiæ tuæ veniret in mentem, cui potius occurrat? tibi videlicet Domino ſuo tunc regnum in aſſumpta carne petenti, an ipſi Dominæ ſuæ ipſum regnum jam ſuum materno jure effectum aſcendenti. Nam ut in partes ſuo occurſu divideretur; quatenus pars tibi in primo occurſu obſequeretur, non ditere exiſtimo. Præſertim cum tota ſit tua, totaque per te eadem cæleſtis curia ſua ſit. Prudentiori ergo & digniori conſilio uſus illam præire volebas, quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo præparares, ac ſic comitatus tota curia tua feſtinus ei occurreres, eamque ſublimius ſicut decet tantam matrem ad teipſum exaltares.* Hactenus Anſelm. En pompam, quæ B. Virginis ingreſſum in cælum proſecuta eſt, tota videlicet curia cæleſtis ſimul cum Chriſto, qua minorem ullam totam matrem haud decere exiſtimavit Anſelmus. Adſtipulatur B. Petrus Damianus ſerm. Aſſumpt. *Attolle*, inquit, *oculos ad Aſſumptionem Virginis, & ſalvâ majeſtate filii invenies occurſum hujus pompæ non mediocriter digniorem; ſoli quippe Angelo Redemptori occurrere potuerunt, matri vero cælorum palatia penetranti filius ipſe cum tota curia tam Angelorum quàm juſtorum ſolemniter occurrens evexit ad beatæ conſiſtorium ſeſſionis.*

D. Ildephonſus ſerm. i. Aſſumpt. *Vidi*, ait, *Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo, ornatam auro mundo, & lapidibus pretioſis intextam. Quo profectò hodie decorata ideo deſcendit, ut Reginam mundi, beatam ſcilicet* MARIAM, *ſecum eveheret ad ſublimia, & collocaret in throno regni.* Et mox. *Quod ſi David cum omni populo dignum duxit arcam veteris Teſtamenti cum tanto honore proſequi, ut ſcriptura teſtatur: multo religioſius eſt hanc dignis laudibus commendari. Adſcendit David & omnis populus cum eo, ut ferrent arcam Dei, ſuper quam invocatum eſt nomen Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim, & David & omnis populus ludebant coram Domino omni virtute in canticis, citharis, & pſalteriis, tympanis & ſiſtris, cum cymbalis & tubis. Rogo ſi in figura officioſiſſimè tanta confertur gloria, quid hodie ante B. Virginem, quando illa in cæleſtem Ieruſalem evehitur? Quantus exercitus Sanctorum præcurrit cum hymnis & canticis? Quæ nimirum Virgo ac ſi arca hodie de captivitate hujus ſæculi Angelorum exſequiis glorificata reducitur, non in Ieruſalem, quam decoxit vel vaſtavit Chaldæorum exercitus, ſed in illam veram & cæleſtem, quam fundavit Deus, & non homo, collocatur.* Sic Ildeph.

Curia cæleſtis occurrit B. V. ingredienti cælum.

D. Bernardus ſerm. 1. Aſſumpt. *Quis cogitare ſufficiat quàm glorioſa hodie mundi Regina proceſſerit, & quanto devotionis affectu in ejus occurſum cæleſtium legionum prodierit multitudo: quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta; quam placido vultu, quam ſerena facie, quam divi-*

375. B. V. qualiter à Chriſto filio ſuſcepta.

divinis amplexibus ſuſcepta à filio, & ſuper omnem exaltata creaturam cum eo honore, quo tanta mater digna fuit; cum ea gloria, quæ tantum decuit filium. Rurſus: *Chriſti generationem, & MARIÆ Aſſumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta eſt præ ceteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ ſingularis. Quod ſi oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe: quid præparavit gignenti ſe, & (quod omnibus eſt certum) diligenti præ omnibus, quis loquatur?* Idem: *In mundo non fuit locus dignior virginalis uteri templo, in quo filium Dei MARIA ſuſcepit: ita nec in cælo fuit glorioſior locus regali ſolio, in quo MARIAM MARIÆ filius ſublimavit.*

B. Petrus Damianus ſerm. Aſſumpt. *Quantumlibet aliæ ſtellæ reluceant, luna tamen & magnitudine præeminet, & ſplendore: ſic utramque naturam Virgo ſingularis exſuperat, & immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum. Virga Ieſſe veri prævia luminis in illa inacceſſibili luce perlucens ſic utrorumque ſpirituum habebat dignitatem, ut ſint quaſi non ſint, & comparatione illius nec poſſint, nec debeant apparere. Sicut ſol ſolus orbem illuminat, ſic hæc ſola ſolidiori lumine & Angelos & homines illuſtrat. Terribilis ut caſtrorum acies ordinata; terribilis dæmonibus, ordinata virtutibus, ſingularis timor malignorum ſpirituum, ſpecialis amor civium Beatorum.* Ita B. Petrus Damianus.

§. II.

De gloria & loco ſeſſionis B.V. cenſura D. Bernardini, Gerſonis, & S. Antonini.

S. Bernardinus Sen. tom. 3. ſerm. 11. a. 4. *In hac*, inquit, *Aſſumptione Virginis impletum eſt, quod 2. Reg. 6. de David dictum eſt, quod adduxit arcam Domini, & erant cum David ſeptem chori ſcilicet beatorum Spirituum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, qui jam tranſierant, Martyrum, Confeſſorum atque Virginum, ut impleatur in Virgine quod Eccleſ. 24. ſcriptum eſt: In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Et mox hanc Virginis gloriam explicat, cum Salomon 3. Reg. 2. Matris thronum ad dexteram ſuam collocavit ubi, *Contemplare*, ait, *altiſſimam matris ſublimationem, & immediatiſſimam conjunctionem, quia poſitus eſt thronus Matri, & ſedit ad dexteram filii.* 376.

Seſſio B.V. ad dexteram filii.

Idem ſerm. 3. de glor. nom. B. V. a. 2. §. 1. ait: *Certitudinaliter tenendum eſt, quod ipſa ſit ſuper omnem creaturam in gloria exaltata, tamquam per ſe implens & continens unum integrum & totalem ſtatum; cui ſecundum rectam rationem altera perſona congruè non poteſt addi: quia nullatenus dicet filium Dei, niſi unam ſolam naturalem matrem habere: ſed ratio naturalis ex gratuita lege dictat, quod mater Regis, omnium eſt ſuper omnes miniſtrorum ordines collocanda.*

B.V. ſola conſtituit chorum particularem ſupra ordines Angelorum.

Digitized by Google

Idem ſerm. 11. de Aſſumpt. a. 2. c. 3. *Tota Trinitas uniformi & concorde voluntate hanc ineſtimabilẽ Virginem oſte dit eſſe ſuam ſponſam incommunicabilis charitatis: cœli Reginam inattingibilis dignitatis, electorum omnium genitricem piam inexſiccabilis pietatis: omnium Dei hoſtium conculcatricem triumphaliſsimam inſuperabilis ſtrenuitatis: omnium cæleſtium theſaurorum diſpenſatricem largifluam pro ſua complacentia voluntatis.*

Idem tom. 1. ſerm. 61. art. 3. c. 3. *Poſuit diadema regni ſuper caput ejus, & voluit eam eſſe Reginam.* Eſth. 1. *Iſtud eſt diadema ſpeciei & corona gloriæ, qua Virgo ſuper Angelos coronatur, ut intra Trinitatis gloriam ipſa ſola amplius ſit evecta, ac plus beatiiſsimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, ſentiat, fruatur, quam omnis alia pura creatura ſimul ſumpta, de cujus gloria poſt filium participant univerſi.*

B. V. in cœlis totam gloriam habet, quantam omnes Beati ſimul, & amplius.

Idem ſupra art. 1. c. 6. *Tot creaturæ ſerviunt glorioſæ Virgini* MARIÆ, *quot ſerviunt Trinitati, omnes nempe creaturæ, quemcumque gradum teneant in creatis, ſiue ſpirituales, ut Angeli; ſive rationales, ut homines; ſive corporales, ut cæli & elementa; ſive damnati, ſive Beati: quæ omnia ſunt divino imperio ſubjugata, glorioſæ Virgini ſunt objecta. Ille enim qui filius Dei eſt, & Virgini benedictæ Matri famulabatur in terra* Luc. 2. *Orat. ſubditus illis.*

377. Tract. 4. Magn.

Gerſon. Cancell. Pariſienſ. *Virgo*, inquit, *ſola conſtituit hierarchiam ſecundam ſub Deo trino & uno hierarcha primo & ſummo, apud quem Hierarcham humanitas filii ſola ſublimata ſed & à dextris virtutis Dei per unitatem ſuppoſiti.*

Idem ſuper Magn. *Piè creditur Dei privilegio in Virginis Aſſumptione evacuatum eſſe purgatorium. Dum enim princeps coronatur aperiuntur carceres, quanto magis in coronatione Deiparæ.*

D. Antoninus ut probet B. Virginem conſtituere particularem Ordinem in regno cœlorum ſuper omnem puram creaturam ex Alberto Magno has profert rationes. *Plus diſtat Virgo à Seraphim in dignitate & gloria, quàm Seraphim & Cherubim: ſed Seraphim per excellentiam dignitatis Ordinem habet ſuperiorem ad Cherubim, ergo Virgo erit ſuper Hierarchiam Angelorum. Item plus improportionaliter differt Dominus à ſervo, quam ſervus à ſervo: ſed omnes Angeli ſunt adminiſtratorii Spiritus, id eſt, ſervi, & tamen inter eos diverſi ſunt Ordines; ſed B. Virgo eſt Domina Angelorum, ergo & improportionabiliter eſt ſupra Seraphim, & ſupra omnem hierarchiam Angelorum exaltata.*

4. p. tit. 15. c 20. §. 15.

Idem ſupra §. 1. rectè animadvertit quod Sancti comparantur ſtellis, quarum una eſt lucidior altera, & omnes à ſole, id eſt, à Chriſto illuminantur. At *Virgo* ſactiſſima, ait Antoninus, *quamvis & ipſa ſtella maris illuſtretur à ſole, tamen Apoc. 12. dicitur veſtita ipſo ſole, ut oſtendatur præmium ejus excellentiſſimum; ut ſicut nihil conjunctius, & propinquius corpori quam ve-*

B. V. ſole veſtita, ſoli juſtitiæ cæteris propinquior.

veſtitus ejus, ita nihil propinquius gloriæ Chriſti, quam gloria & præmium B MARIÆ. *Et aptè, quia ſicut ipſa veſtivit ſolem ipſum in mundo, Dei filium carne ſua ſecundum Ezech. 32. Solem nube tegam ſic ipſe eam in cælo veſtivit ſole exceſſiva gloriæ.*

§. III.

Cenſura & judicium Divi Bonaventuræ de gloria Beatiſsimæ Virginis in cælis, &c.

378. S. Bonaventura in Specul. B. V. lect. 6. illud Eſth. 2. applicans glorificationi Deip. Virginis: *Ducta eſt* itaque *ad cubiculum Regis Aſſueri, & adamavit eam rex pluſquam omnes mulieres, habuit gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite ejus. Iſta*, inquit, *Eſther Regina, B. Virgo* MARIA *ducta eſt in cubiculum Regis æterni in Aſſumptione, in cubiculum quietis æternæ, gratiam veri Regis habens ſuper omnes mulieres, id eſt ſuper omnes intelligentias Angelicas, & ſuper omnes beatas animas, ut ſit in* MARIA *gratia ſuper gratiam omnium Beatorum. Nam revera in capite ejus Rex Regum Diadema regni poſuit tam impretiabile, tam delectabile, tam mirabile, quod hoc omni linguæ inenarrabile, omni ingenio inſcrutabile eſt.* Rurſus ibidem: *Ecce*, inquit, *quam glorioſum gloriæ* MARIÆ *privilegium, quod ipſa in gloria glorioſiſſima eſt poſt Deum: glorioſum gloriæ* MARIÆ *privilegium, quod quidquid poſt Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria eſt, hoc* MARIA, *hoc in* MARIA, *hoc per* MARIAM *eſt. Glorioſum gloriæ* MARIÆ *privilegium eſt, quod Poſt Deum major gloria noſtra, majus noſtrum gaudium eſt.* Vnde Bernardus: *Summa gloria eſt, ô* MARIA, *poſt Dominum te videre, tibi adhærere, in tuæ protectionis munimine demorari.*

Diadema regni B. V. impretiabile.

Idem ubi ſupra lect. 3. MARIA, inquit, *interpretatur Domina: hoc quoque competit Imperatrici, quæ revera Domina eſt cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, Domina, inquam, Angelorum, hominum, & dæmonum. Eſt Domina Angelorum ſignata in Domina Eſther Regina, de qua legitur quod ſuper unam famulam ſuam delicioſè innitebatur, altera autem famularum ſequebatur Dominam defluentia in humum veſtimenta ſuſtentans. Duæ famulæ ſunt Angelica & humana creatura.* Et infra. *Anima, humana eſt famula, quæ Dominam ſuam* MARIAM *ſequitur in mundo, colligens virtutes & exempla* MARIÆ. *Intelligentia vero Angelica eſt famula ſuper quam Domina ſua* MARIA *innititur in cælo. Innititur certè tamquam familiariſſima Angelis ſe ſociando, & ſe cum ſua plenitudine Angelis communicando & tamquam potentiſſima Angelis imperando.* Vnde Aug. *ait, Michaël Dux & princeps militiæ cæleſtis cum*

Angeli & homines famulantur B. V.

Digitized by Google

Michael Archang. B. V. famulatur.

cum omnibus Spiritibus adminiſtratoriis tuis, Virgo paret præceptis, in defendendis in corpore, & in ſuſcipiendis de corpore animabus fidelium, ſpecialiter tibi, Domina, & die & nocte ſe commendantium.

379. B. V. adventit ſuo, gaudium Beatorum auxit.

D. Bern. ſerm. 1. Aſſumpt. init. *Virgo glorioſa cælos adſcendens ſupernorum gaudia civium copioſis ſine dubio cumulavit augmentis. Hæc eſt enim cujus ſalutationis vox, & ipſos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt. Quod ſi parvuli necdum nati anima liquefacta eſt, ut* M A R I A *locuta eſt: quid putamus, quænam illa fuerit cæleſtium exultatio, cum & vocem audire & videre faciem, & beata ejus frui præſentia meruerunt? Nobis vero chariſſimi, quæ in ejus Aſſumptione ſolemnitatis occaſio, quæ cauſa lætitiæ, quæ materia gaudiorum:* Mox occurrit. *Advocatam*, inquit, *præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tamquam Iudicis mater, & mater miſericordiæ ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit. Pretioſum hodie munus terra noſtra direxit in cælum, ut dando & accipiendo, felici amicitiarum fœdere, copulentur humana divinis, terrena cæleſtibus, ima ſummis. Illò enim adſcendit fructus terræ ſublimis, unde data optima & dona perfecta deſcendunt. Adſcendens ergo in altum Virgo beata dabit ipſa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas, Regina cælorum eſt, miſericors eſt, denique mater eſt unigeniti filii Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis ejus ſeu pietatis magnitudinem commendare. Niſi fortè aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis poteſt, omnino in affectum charitatis tranſiſſe* M A R I Æ *viſcera, in quibus, ipſa, quæ ex Deo eſt, charitas, novem menſibus corporaliter requievit.* Hactenus Bernardus.

Ex Patrum doctrina colligitur Aſſumptionem Dei Genitricis M A R I Æ non tantum illi ceſſiſſe in gloriam & præmium meritorum, ac toti cæleſti curiæ in cumulum gaudiorum, verum etiam mundi exulibus prodeſſe ad efficax vendicandæ libertatis ſuffragium. Vnde & in hunc modum Deiparæ opem implorat Eccleſia.

Munera noſtra, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis commendet oratio: quam idcirco de præſenti ſæculo tranſtuliſti, ut pro peccatis noſtris apud te fiducialiter intercedat. Miſſ. Rom. in Vig. Aſſ.

LECTIO VII.

3. Medium obtinendi Patrocinii B. V.

De honore M A R I Æ *Deiparæ exhibendo.*

380. POſt aliqualem excellentiarum B. Virginis notitiam, quam nobis Patrum doctrina ſuggeſſit, nunc de honore ei debito, ceu medio patrocinii illius obtinendi breviter dicendum. Prius ta-

Digitized by Google

Honor in quo conſiſtat. tamen obſervandum, honorem non tantum excellentiæ alterius cognitionem complecti, neque præcipuè conſiſtere in ſigno exteriori humiliationis, quod monſtramus alicui aſſurgendo, caput diſcooperiendo, vel corpus inclinando &c. Sed propriè ac maximè conſiſtere in actu voluntatis, quo nos alteri interius ſubjicimus, atque opere aliquo ſive interno, ſive externo proteſtari cupimus, ipſius eminentiam ſeu dignitatem, ac ſimul noſtram ſubmiſſionem. Quemadmodum verò dignitas ſecundùm diverſitatem objecti variatur, ſic & honor variari debet. Beatiſſimæ MARIÆ Virginis amplitudinem in ſanctitate ac dignitate præcedentes aliquot lectiones perſpicuam reddiderunt: quid ergò faciemus huic digniſſimæ ac ſanctiſſimæ Virgini Matri, quam Rex Regum, & Dominus Dominantium Deus, ſic magnificare voluit, juxta illud: *Fecit mihi magna, qui potens eſt.* Quem honorem ei præbebimus? quo cultu proſequemur? **Latriæ cultus ſoli Deo proprius.** Latriam ſine divinæ læſæ Majeſtatis crimine illi tribuere nequaquam poſſumus. Nam latria eſt cultus ſoli Deo debitus propter immenſam excellentiam increatam, quam habet, ac ſupremum dominium, quo ſuper omnes creaturas principatur. Ob hanc enim rationem B. Paulus dixit: *Soli Deo honor & gloria.* Etenim excellentia Dei, quia in ſemetipſa ſingulariſſima & nulli communicabilis, ideo ſingulariſſima & imparticipabilis adoratio ei ſoli debita eſt: non ſecus ac propter infinitam ejus bonitatem debetur ei ſpecialis dilectio ſuper omnia, quæ non poteſt ad aliquam creaturam transferri, quantumcumque ſublimem: ita ratione ejus infinitæ excellentiæ ſingularis honor ei ſoli competit, nec non peculiaris immenſæ perfectionis illius æſtimatio. Atque hoc genus dorationis, latriæ videlicet, noluerunt ſibi exhiberi Paulus & Barnabas Act. 14. Quodque Exodi c. 20. ſpeciali præcepto puræ creaturæ deferri cavetur. *Non habebis*, ait Dominus, *Deos alienos coram me: non adorabis, neque coles*: nimirum cultu latriæ ſeu obſequio ſoli Deo ſacro. Hinc. D. Aug. *Illo cultu*, inquit, *qui græcè latria dicitur, latinè uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam propriè divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus niſi unum Deum.* *Lib. 20. contra fauſt. c. 21.* Quam ob rem hujuſmodi cultu & honore uni ſoli Deo vero & vivo reſervato atque omnino pleniſſimè conſecrato; inquiritur, quali Deiparæ Virgini convenienter ſerviendum? An tantummodo ſicut alium quemvis Beatum ſive Confeſſorem, ſive Martyrem, ſive Apoſtolum, ſive Prophetam, ſive etiam Angelum, quamvis ſupremum Seraph, æſtimabimus atque honorabimus eam, quæ horum dignitatem ac ſanctitudinem infinitis prope gradibus tranſcendit? Illi ſervi, iſthæc Altiſsimi mater:

Digitized by Google

mater: miniſtri illi, hæc Domina & Regina: adeoq́ue ſi juſtitiæ trutina in honore, ſicut in aliis, obſervanda, diſpariter ac eminentius longè MARIA Deipara æſtimanda & honoranda venit. Sic nos manifeſtè docent Magiſtri S. Theologiæ Scholaſticæ, dum videlicet religioſum, Sanctis debitum cultum diſtinguunt in duliam & hyperduliam. Dulia eſt cultus ſeu ſervitus creaturæ rationali præſtanda ſupernaturalibus donis præditæ, qualibus ſolet Deus ſervos ſuos & amicos afficere atque honorificare. Vnde D. Aug. ſerm. 7. ad fratres in eremo, præclarè dixit: *Quando duliam damus Sanctis, Deo verò latriam reſervamus, tunc damus nos quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Quod ſi tamen munera gratiæ ac gloriæ in aliquo ſint ſpeciali ratione præeminentia, vel titulum dignitatis regiæ conjunctum habeant, tunc cultus illi congruens hyperdulia dicitur. Hinc MARIA Virgo ſingularibus prærogativis etiam ſupra ſummos cœlorum Spiritus decorata, nec famula, ut cæteri, ſed mater Dei ac proinde illorum intuitu verè Domina & Regina, hyperduliæ cultu veneranda. Sic docent Theologi Scholaſtici cum eorum anteſignano Divo Thoma, cujus 3. p. q. 25. a. 5. hæc ſunt verba: *Debetur ei, non qualiſcumque Dulia, ſed hyperdulia.* Item Scotus in 3. diſt. 9. q. 1. §. quantum ad iſtum art. ſequuntur utriuſque diſcipuli.

B. V. hyperduliæ cultu veneranda.

§. II.

NOn mirum cuipiam videri debet tantum honorem B. Virgini Dei Genitrici in cœlis jam regnanti & dominanti ab hominibus deferendum, atque ei de jure competere, quandoquidem Deus ipſe adhùc in terra degenti, gloriam majorem contulerit, quàm vel cor humanum comprehendere valeat, utpote quam *Verbum* Patris ſibi in matrem aſſumptam reveritus eſt, cuique ut filius ſedulò obedivit, teſte Evangeliſta dicente: *Et erat ſubditus illis.* Hinc D. Methodius ad illud Exod. 20. *Honora Patrem tuum & matrem tuam. Deus*, inquit, *ut decretum ſuum obſervaret, atque hac in parte alios excelleret omnem matri & gratiam & honorem impendit.* Hoc ſuo exemplo docere voluit Chriſtus Dominus MARIAM ab omni creatura potiori ratione poſt Deum coli ac ſuſpici debere, quàm ipſe Creator omnium & Dominus tantopere coluit & obſervavit. Quamobrem Sancti omnes in cœlo videntes Deum tanto honore & amore proſequi Virginem, ſummèque æſtimare, ipſi eamdem, ſimiliter juxta ſtatus ſui excellentiam venerantur, magniq́ue pendunt. Quippe eo in pretio & reverentia quempiam habent, quo Deum habere conſpiciunt. D. Bonav. in 1. Sentent. diſt. 44. *Tanta*, inquit, *fuit Deiparæ dignitas, ut ſi omnes creaturæ, quantumcum-*

381.

Deus miro honore matrem afficit.

Creaturæ omnes matri Dei reverentiam debent.

cumque aſcenderent in gradibus nobilitatis, eſſent præſentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei. Item D. Thomas Aquin. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. dicit: *Maxima reverentia debetur homini ex affinitate, quam habet ad Deum.* Super quem locum ejus interpres Cajetanus ita loquitur. *Natura humana ab extra ad Deitatis fines attigit, quaſi uxor ad extrema adveniens in thalamo uteri virginalis: & ideo Genetrix illius affinis Deo conſtituta dicitur.* Vnde meritò illi accommodatur quod habetur Sap. 8. *Generoſitatem ejus glorificat contubernium habens Dei.* Nam ut ad Virginem eminentiſſimam loquitur D. Athanaſius: *Beatam te prædicant omnes Angelorum & terreſtrium Hierarchiæ, quæ & in cælis benediceris, & in terra prædicaris.* Item D. Damaſcenus. *Eam*, inquit, *Cherubim laudibus efferunt, Seraphim gloria afficiunt, nec ipſi minus gloriâ afficiuntur, cum gloriæ parenti gloriam tribuunt.* Sanctus etiam Bernard. Sen. *Meritò*, inquit, *habent de illa omnes cæleſtes Spiritus confiteri & dicere illud* 1. Reg. 10. *Servi tui ſumus, quæcumque juſſeris faciemus.* Auguſtinus demum affirmat Michaëlem cum omnibus Angelis MARIAM intueri, ut videant, an aliquid præcipiat agendum circa aliquam animam. Quod ſi exemplum Domini & Sanctorum, ipſiuſque Virginis ſanctitas & dignitas cor tuum ferreum non emolliant, vel inclinent ad ipſius dignam venerationem ac æſtimationem: ſaltem, miſeria tua, ô homo, paupertas tua, periculum tuum & ſalus duram cervicem tuam frangant atque inflectant. Sicut enim Pater cæleſtis omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem: ita filius omnem gratiæ diſpenſationem commiſit matri, ut juxta gradum ſuum & ordinem cuncti honorificent matrem, ſicut & filium. Auſculta ſermocinantem Bernardum. *Intuere*, inquit, *ô homo, conſilium Dei, conſilium ſapientiæ, conſilium pietatis. Cæleſti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit; redempturus humanum genus pretium univerſim contulit in* MARIAM. *Quare? fortè ut excuſetur Heva per filiam, ut querela viri adverſus fœminam deinceps ſopiretur? piiſſimum ſanè conſilium: ſed & aliud latet, & nec totum hoc eſt. Intuere igitur, ô homo, quanto devotionis affectu eam à nobis voluerit honorari; qui totius boni plenitudinem poſuit in* MARIA, *ut ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis ab ea noverimus redundare.* Ita Bern. Divus Auguſtinus ideo monet, *Vt cunctis præconiis veneremur* MARIAM, *ut ipſa nos inter procellas ſæculi ferventes reſpiciat, & ipſa inter curſus mundiales continua oratione confoveat. Neque enim dubium eſt, quin, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſit liberatis impertiri ſuffragium.* Has itaque ob cauſas, ô homo, ſive juſtus ſis, ſive peccator, honorem habebis Matri IESV MARIÆ

Chriſtus B. V. Matrem conſtituit ut ab hominibus honoraretur.

omnibus diebus vitæ tuæ, & quantum poteris retribues illi: quoniam niſi per illius benedictum uteri fructum regeneratus non fuiſſes, nec filiorum hæreditate donaberis, niſi per illius patrocinium.

§. III.

382. PAragrapho 1. diſtinximus triplicem cultum religioſum: unum cum communi ſchola Theologorum diximus latriam, quâ Deum rerum omnium Creatorem mente adoramus, ei nos totos ut ſummo bono finique noſtro veroque Domino ſubjicimus, proſternimus & conſecramus, & hac mente cultum externum exhibemus. Alterũ appellant Theologi duliam, quâ veneramur Sanctos Dei cum Chriſto in cœlo regnantes, quorum vel orationes poſtulamus, vel auxilium imploramus. Tertius porro eſt medius, primo inferior, ſecundo ſuperior, quem recepto jam vocabulo Scholaſtici hyperduliam nuncupant, quaſi majorem duliam, eamque venerationem attribuimus illis creaturis, quæ propter inſignem veramque cum Deo conjunctionem ampliorem omnino, quàm communem illum aliorum Sanctorum, cultum merentur. Virgo utique beatiſſima, quæ de carne ſua Dei filio carnem dedit, cujus Deificam carnem ipſa lacte ſuo nutrivit, quæ verum Deum revera genuit: propter admirabilem hanc cum Deo cognationem, hoc privilegio digna cenſeri debet, ut proximus divinitati honos ei à creaturis omnibus habeatur. Cum enim matris Regis plurimum diſpar conditio ſit à ſervo, ideo etiam illa præ hoc altiorem longe honoris gradum promeretur.

Igitur quicumque cultus defertur Sanctis reliquis, ille præſtantius quaſi ex hyperdulia defertur Matri Dei; quidquid etiam exhibetur honoris & reverentiæ hominibus in terra adhuc viventibus, illud potiori jure debetur MARIÆ. Mortales ſanè variis excipiuntur honoribus, filii ſupplices fiunt parentibus, rei judicibus, ſubditi regibus, ſtatuæ eriguntur principibus, eæque honeſto conſtituuntur loco. Nota eſt tragœdia Conſtantinopoli excitata tempore B. Chriſoſtomi ob Imperatricis everſam imaginem. Ad principis nomen aperimus caput in honoris indicium, cereis & facibus accenſis reges adventantes, etiam mediâ luce, proſequimur: piorum hominum orationes petimus, aliorum opem in neceſſitatibus imploramus; flagitamus à divitibus ſatiari famem, à principibus arceri aut propulſari hoſtem; à medicis reſtitui ſanitatem; à doctis conſilium, ab aliis denique petimus alia nobis præſtari. Hæc igitur eadem meritò ſanctiſſimæ Virgini tribuimus, & ſine divinitatis injuria ab ea devotè poſtulamus. Sancti verò cœlo- 383. Cultus & honor creaturæ exhibitus præſtantius & jure potiori debetur B. V.

Digitized by Google

lorum cives variis coluntur modis: nam eis ſtatuuntur dies feſti, in honorem eorum atque memoriam Deo templa conſecrantur, eriguntur altaria, offeruntur ſacrificia, nuncupantur vota, Religioſorum familiæ inſtituuntur; ipſi in patronos, vitæ noſtræ directores & cuſtodes à nobis aſſumuntur, atque à Deo conſtituuntur, ſuntque hominum privatorum, civitatum, ditionum, regnorumque protectores, nulla ſanè majori injuria Dei, quàm Angelus dictus eſt princeps regni Perſarum, vel Michaël Archangelus princeps populi Iudaici. Hæc, inquam, omnia ſublimiori cultu tribuuntur per hyperduliam Deiparæ MARIÆ, cujus memoria, laus, gloria per univerſum orbem celebratur, quam beatam dicunt omnes generationes, ut nulla jam ditio Chriſtianorum, quæ non aliquo loco ſolemnem colat Virginis memoriam, habeatque ejus miraculis claram effigiem, vix ullam Rempubl. invenias, quæ non habeat templum in Virginis honorem dedicatum, vix ulla eſt Eccleſia, quæ non oratorio, vel altari Virginis honoretur. Multa regna, ditiones, civitates hâc patronâ erectæ ſunt, & florent. Multæ religiones Virginis patrocinio introductæ; vota caſtitatis, Virgini gratiſſima, ad ejus honorem Deo nuncupantur; ſacrificia, non Virgini, ſed Deo in memoriam Virginis afferuntur; peregrinationes ſuſcipiuntur; denique alia religioſè præſtantur, quæ tot annis ad ejus gloriam noſtramque utilitatem uſurpavit Eccleſia &c. De quibus in l. ſcintillarum latius. Tu igitur non verearis omnem Virgini Deiparæ cultum exhibere, quemcumque ſub Deo creaturæ cuicumque præſtari à piis hominibus ac potiſſimum ab univerſali Eccleſiâ animadvertis, quo fiet ut in hoc mundo vitæ æternæ fructum centuplum conſequaris.

§. IV.

Sancti in Eccleſia præſtantes B. V. ſingulariter honorarunt.

OBſerva demum, neminem umquam in Eccleſia Dei militante eximiè ſanctum extitiſſe, vel amplioribus amicitiæ favoribus a Chriſto proſecutum fuiſſe, qui digniſſimam matrem ſuam non ſuſpexerit, amaverit, plurimumque coluerit, ut impleretur illud Pſalm. 44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Dilexit Matrem Domini Elizabeth, magni Ioannis parens, atque cum ſtupore mentis benedixit: quando videlicet divinæ pietatis in ea peracto myſterio, ſibique reſerato ad præſentiam & vocem ſalutationis Chriſtiferæ Virginis exclamavit: *Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me. Benedicta tu inter mulieres, & bene-* 384

Digitized by Google

benedictus fructus ventris tui. Tantæ virtutis & efficaciæ fuit iſthæc Mariæ viſitatio, ut ad primum ingreſſum ac ſalutationis vocem, Ioannes adhuc utero clauſus, imbre gratiarum ſuperni Numinis perfuſus præ gaudio geſtierit, atque in præcurſorem unctus fuerit, ut tempore definito in ſpiritu & virtute Eliæ Domini Salvatoris adventum prænunciaret, ac veluti paranymphus digito monſtraret diu deſideratum ſponſum clamans: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Elizabeth autem mater, repleta eſt Spiritu S. & prophetavit. Suſpexit Deiparam Virginem alter Ioannes, Zebedæi filius, vultumque ipſius cum animi religionè deprecatus eſt; ipſe verò nominari, & eſſe meruit diſcipulus, quem diligebat Iesus, Apoſtolus, qui in lecto crucis, teſtamenti vice, Mariam in matrem acciperet, Propheta, cui Iesus incerta & occulta ſapientiæ ſuæ reſeraret. Suſpexit Mariam Lucas medicus, ac honoravit, ipſe viciſſim ab ea unicè dilectus, atque inter chariſſimos amicos habitus, myſteriorum fidei, præſertim Incarnationis & nativitatis filii Dei ſeriem ab eadem edoctus eſt, quæ poſtea ſcriptis fideliter mandans inter ſacros Euangeliſtas non immeritò computatur. S. Dionyſius Areopagus flagrantiſſimo viſendæ Virginis deſiderio æſtuans, itineris plurimum, hujus rei gratia, confecit: voto autem potitus tantam in vultûs ejus contemplatione cordis ſuavitatem ſenſit, ut etiam in corpus redundàrit: tanto item luminis ex facie ſanctiſſimæ Genitricis Dei emicantis ſplendore circumfuſus, ut ſpiritus à mundo deficiens ad ſuperna gaudia rapi videretur. Exinde in ſe & ad fideles reverſus mirandis præconiis Deiparam ſupra omnes creaturas celebravit. Hic porro adeò glorificatus eſt, ut & Theologorum Coryphæus, Martyrumque illuſtrium aureolà fuſo ſanguine donari meruerit. Non minori in veneratione Mariam habuit antiquus Ignatius, hic vultum ejus deprecatus, etiam noviter converſos ad ſingularem cultum, illius adhortatus eſt, ac tandem teſtis Chriſti fidelis, glorioſo etiam martyrio caducam vitam cum perpetua commutavit. Quinimò ut tradit S. Dionyſius l. de diu. nom. c. 3. Apoſtoli, eorum diſcipuli, aliique Eccleſiæ primitivæ Chriſtiani Ieroſolymam convenerunt non ob aliam rationem, quam ut Mariam contemplarentur, & ex ejus contemplatione infinità potentià præditam bonitatem, quantum eorum ferret imbecillitas collaudarent.

Athanaſius, Baſilius, Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Epiphanius, Chryſoſtomus luminaria Eccleſiæ orthodoxæ magna, ſummi parentis magnæ veneratores, ac ſingulares prærogativarum ejus præcones exſti-

exſtiterunt: omitto Anſelmum, Iſidorum, Ildephonſum, Germanum, Bonaventuram, Antoninum, Epiſcopos S. Theologiæ ſcientiâ, vitæque ſanctitate clariſſimos: taceo itidem Ephrem, Damaſcenum, V. Bedam: nec memorabo Bernardum, Dominicum, Aquinatem, Bernardinum, milleque ſimiles miraculorum gloria, divinarum literarum peritiâ, virtutumque eximiarum dotibus illuſtres: horum enim præclara geſta & ſcripta abundè teſtatam reddunt egregiam ſuam ad Dei Genitricem Virginem pietatem.

385. Vnum tamen Franciſcum Seraphicum, Ordinis Minorum fundatorem inclytum, ſilentio præterire minimè poſſum, nec debeo. Hic ſanctimoniam Virginis Matris, fidem nempe inconcuſſam, animi demiſſionem admirandam, puritatem pluſquam Angelicam, pauperiem altiſſimam, obedientiam promptiſſimam, ſuſtinentiam jugem & lætam, charitatem denique flagrantiſſimam ceu abſolutiſſimum omnis perfectionis exemplar in corde circumferens ruminanſque in omnibus operibus ſuis exprimere nitebatur medullitus. Quin etiam profunda ſapidaque mentis conſideratione revolvens ſalutis noſtræ myſteria, quibus mediante Virgine participes efficimur, vivimus, & ſalvamur, tantam jugiter & talem Dei erga genus noſtrum dignationem ſtupens laudabat; neque rarò in lacrimas & animi compunctionem reſolvebatur? Aſt viri hujus ſanctimoniam quis declarabit? Nihil illo ſubmiſſius, nihil caſtius, nihil benignius. Prærogativam ſignaculorum Domini Redemptoris in corpore illius, quis non obſtupeſcat? In terris coram hominibus velut Angelus converſatus eſt, in cæleſtibus autem coram Deo & Beatis ceu altiſſimus Seraph divino amore perflagravit effulſiſque in hujus rei manifeſtum teſtimonium arbitror Regem gloriæ Chriſtum in ſpecie lucidiſsimi ignitique Seraph famulo ſuo Franciſco crucifixum apparuiſſe, nec non regalis amicitiæ ſignacula, ſeu redemptionis noſtræ vulnerum plagas tam mirabiliter quàm miſericorditer in ipſius puriſſimo corpore adaptâſſe ac renovâſſe: quo nimirum mundo pateſceret, amore Seraphico vehementer arſiſſe virum, in quorum forma ipſe Dominus dignabatur ſe illi munificum exhibere. Hinc non immeritò plures illuminati viri illud Apocalip. de eo dictum ac impletum volunt: *Vidi alterum Angelum adſcendentem ob ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi.* Quod juxta Iacobi à Voragine ſententiam portavit in corde per amoris vulnerationem, in corpore per macerationem, in parte per ſtigmatum impreſſionem. Ecquis noſtrum cogitat altam multæ ſanctitatis conſtruere fabricam? Ecquis etiam cupit ingentem meritorum meſſem colligere, atque in horrea excm-

D. Bonav. & Leo X. in Bulla union. &c.

exemplum, MARIA Virgo inſpectanda, MARIA honoranda, MARIA invocanda, MARIÆ virtutes imitandæ. Neque dubium; hujuſcemodi Virginis cultor à deſiderio cordis ſui haud fraudabitur, ac miſericordiæ Reginam habebit amicam ſuæquè cauſſæ apud tribunal Dei excelſi ſtudioſiſſimam.

LECTIO VIII.

Quo ſenſu B. V. Dea, Reparatrix, omnipotens &c. dicatur.

386. VT cultum B. Virgini dignum ſufficienter declararem, oportuit me, ut ſupra inſinuavi, aliquot lectiones de ipſius Excellentiis ac titulis honorificentiſſimis præmittere. Nunc autem, ad cautelam, noviſſimam lectionem appono in qua tituli alii deiparæ ab aliquibus Patribus attributi, elucidantur, ſimulque patrocinium ejuſdem præ omnibus Beatis, quantumvis ſublimibus efficaciſſimum & præſtantiſſimum commendatur.

Notandum ergo nullo modo divinæ Majeſtatis honori infeſtum eſſe, quod interdum ab Eccleſia & Patribus Virgo MARIA cum Deo ſive Chriſto eiſdem vocabulis ſeu titulis inſigniatur, modo utrobique ſanus accedat ſenſus. Habemus ſiquidem ex Scriptura ſacra non rarò Deum nomina ſibi ſingulariſſime convenientia maximeque propria, etiam illa amicis ſuis attribuere. Deut. 32. *Videte*, inquit Dominus, *quod ego ſim ſolus, & non eſt alius Deus præter me.* Hoc veritatis aſſerto non obſtante, ait ad Moyſen Exod. 7. c. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Ioan. 10. c. Iudæis Chriſtum de blaſphemia arguentibus, quia ſcilicet ſeipſum diceret Deum, reſpondit Dominus illis: *Scriptum eſt in lege veſtra; Ego dixi, Dii eſtis. Si illos dixit Deos; ad quos ſermo Dei factus eſt &c.* Luc. 18. affirmat Chriſtus, quod, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Nihilominus ibidem c. 16 dicit: *Bonus homo, de bono theſauro cordis ſui profert bonum.* Et Gen. 1. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Rurſus Chriſtus Ioan. 10. dicit: *Ergo ſum lux mundi.* Matth. autem 5. de diſcipulis quoque aſſeverat: *Vos eſtis lux mundi.* Gen. 17. *Ego Deus omnipotens.* Paulus Apoſtolus tantumdem audens: *Omnia*, inquit, *poſſum.* Philipp. 4. c. v. 13.

Deus nomina ſibi ſingulariter propria quandoque amicis attribuit.

Moyſes Deus Pharaonis Exod. 7.

Homines Dii vocantur Ioan. 10.

D. Bern. ſerm. 1. Miſſ. poſteaquam intimavit Angelum Gabrielem cum Domino Angelorum eodem vocabulo appellari, exponit conſequenter quali cum diſcrimine hoc fiat. *Non dedecens, inquit, aut incongruum videatur Dominum & nuncium communi cenſeri vocabulo; cum ſimilis cauſa. Aliter quippe Chriſtus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupativè Chriſtus autem etiam ſubſtantivè. Chriſtus Dei virtus dicitur & eſt, qui forti arma-*

Diſparitas rationis circa hujuſmodi attributionem.

Digitized by Google

armato, qui ſuum atrium in pace cuſtodire ſolebat, fortior ſuperveniens, ipſum ſuo brachio debellavit; & ſic ei vaſa captivitatis potenter eripuit. Angelus fortitudo Dei appellatus eſt, vel quod ejuſmodi meruerit prærogativam officii, quo ejuſdem nunciaret adventum virtutis, &c. Sic Bern.

Itaque Deus & homo, Creator & creatura, Dominus & ſervus, idem quidem aliquando ſortiuntur nomen & titulum; multum tamen differenter ab invicem. Deus quidquid eſt, id per ſeipſum eſt. Non eſt ipſe Deus, omnipotens, immortalis, bonus, ſapiens, glorioſus, ſanctus, &c. per aliud à ſe, ſed per propriam ſimpliciſſimam & perfectiſſimam eſſentiam omnia illa eſt: nempe, ſua ipſa eſſentia Deus eſt, & ſine ulla ſuper addita qualitate omnipotens eſt, bona eſt, ſapiens eſt, glorioſa eſt &c. à nullo omnino dependens: ſua ipſa natura fontale principium omnium aliarum eſſentiarum, vegetationum, motuum, actionum &c. adeoque propriè & ſimpliciter Deus ſine pari, creator, conſervator, gubernator, ac ſupremus omnium Dominus &c. In hoc ſenſu tituli ipſius alteri puræ creaturæ ſine graviſſimo blaſphemiæ crimine communicari nequaquam poſſunt, nec ullus iſtos in hoc ſenſu ſibi adſcribere poteſt. Vnde quando vocabulum Deo ſingulariſſimè proprium transfertur ad creaturas, id fit omnino ſub diverſa ratione, aliave ſignificatione, aut ſaltem valde ampliatâ, ſeu accommodatè ſumptâ.

Quapropter nemo ſcandali anſam capiat, dum à Catholicis Doctoribus audit, vel in eorum libris legit ſeu animadvertit, MARIAM Deiparam vocari, nunc Deam, etſi rarius, nunc omnipotentem &c. *Per orationem*, inquit Chryſologus, *fit Moyſes Pharaonis Deus, & ad triumphos ſuos militare ſibi mandat omnia elementa: per orationem Virgo fit tamquam Dea univerſæ creaturæ.* Vnde ad illam Chriſtus ita à Guarico inducitur loqui: *Communicaſti mihi, quod homo ſum: communicabo tibi, quod Deus ſum.* Concinit Bonav. *Quia Dominus potentiſsimus tecum eſt, ideò & tu potentiſsima es apud Ipſum, verè ut dicere poſsis: in Ieruſalem poteſtas mea.* Eſto ergo Moyſes dicatur *Deus*, MARIA dicatur *Dea*, Iudices populi vocentur *Dii*, hoc tamen ſolum eſt ob ſimilitudinem cum ſupremo Deo, ſive in participatione naturæ cum Deo, ſapientiæ &c. ſive in facultate & potentia operandi mirabilia &c. adeoque dii minores ſunt, facti, creati, cum continua dependentia. Eſto igitur rurſum, Moyſes dicatur omnipotens, Paulus omnia poteſt, MARIÆ nihil impoſſibile: non intelligendum quod hujuſmodi ſint ex ſe; aſt per primum principium, Deum ſcilicet ſupremum, atque ex gratuita voluntate meraque bonitate ipſius, juxta quod ſcriptum eſt: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem*

387.

B. V. Dea univerſæ creaturæ.

B. V. potentiſsima in Chriſto.

Digitized by Google

exemplum, MARIA Virgo inſpectanda, MARIA honoranda, MARIA invocanda, MARIÆ virtutes imitandæ. Neque dubium; hujuſcemodi Virginis cultor à deſiderio cordis ſui haud fraudabitur, ac miſericordiæ Reginam habebit amicam ſuæque cauſſæ apud tribunal Dei excelſi ſtudioſiſſimam.

LECTIO VIII.

Quo ſenſu B. V. Dea, Reparatrix, omnipotens &c. dicatur.

386. VT cultum B. Virgini dignum ſufficienter declararem, oportuit me, ut ſupra inſinuavi, aliquot lectiones de ipſius Excellentiis ac titulis honorificentiſſimis præmittere. Nunc autem, ad cautelam, noviſſimam lectionem appono in qua tituli alii deiparæ ab aliquibus Patribus attributi, elucidantur, ſimulque patrocinium ejuſdem præ omnibus Beatis, quamtumvis ſublimibus efficaciſſimum & præſtantiſſimum commendatur.

Notandum ergo nullo modo divinæ Majeſtatis honori infeſtum eſſe, quod interdum ab Eccleſia & Patribus Virgo MARIA cum Deo ſive Chriſto eiſdem vocabulis ſeu titulis inſigniatur, modo utrobique ſanus accedat ſenſus. Habemus ſiquidem ex Scriptura ſacra non rarò Deum nomina ſibi ſingulariſſime convenientia maximeque propria, etiam illa amicis ſuis attribuere. Deut. 32. *Videte*, inquit Dominus, *quod ego ſim ſolus, & non eſt alius Deus præter me.* Hoc veritatis aſſerto non obſtante, ait ad Moyſen Exod. 7. c. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Ioan. 10. c. Iudæis Chriſtum de blaſphemia arguentibus, quia ſcilicet ſeipſum diceret Deum, reſpondit Dominus illis: *Scriptum eſt in lege veſtra; Ego dixi, Dii eſtis. Si illos dixit Deos; ad quos ſermo Dei factus eſt &c.* Luc. 18. affirmat Chriſtus, quod *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Nihilominus ibidem c. 16 dicit: *Bonus homo, de bono theſauro cordis ſui profert bonum.* Et Gen. 1. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Rurſus Chriſtus Ioan. 10. dicit: *Ergo ſum lux mundi.* Matth. autem 5. de diſcipulis quoque aſſeverat: *Vos eſtis lux mundi.* Gen. 17. *Ego Deus omnipotens.* Paulus Apoſtolus tantumdem audens: *Omnia*, inquit, *poſſum.* Philipp. 4. c. v. 13.

Deus nomina ſibi ſingulariter propria quandoque amicis attribuit.

Moyſes Deus Pharaonis Exod. 7.

Homines Dii vocantur Ioan. 10.

D. Bern. ſerm. 1. Miſſ. poſteaquam intimavit Angelum Gabrielem cum Domino Angelorum eodem vocabulo appellari, exponit conſequenter quali cum diſcrimine hoc fiat. *Non dedecens*, inquit, *aut incongruum videatur Dominum & nuncium communi cenſeri vocabulo; cum ſimilis cauſa. Aliter quippe Chriſtus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupativè Chriſtus autem etiam ſubſtantivè. Chriſtus Dei virtus dicitur & eſt, qui forti arma-*

Diſparitas rationis circa hujuſmodi attributionem.

armato, qui ſuum atrium in pace cuſtodire ſolebat, fortior ſuperveniens, ipſum ſuo brachio debellavit; & ſic ei vaſa captivitatis potenter eripuit. Angelus fortitudo Dei appellatus eſt, vel quod ejuſmodi meruerit prærogativam officii, quo ejuſdem nunciaret adventum virtutis, &c. Sic Bern.

Itaque Deus & homo, Creator & creatura, Dominus & ſervus, idem quidem aliquando ſortiuntur nomen & titulum; multum tamen differenter ab invicem. Deus quidquid eſt, id per ſeipſum eſt. Non eſt ipſe Deus, omnipotens, immortalis, bonus, ſapiens, glorioſus, ſanctus, &c. per aliud à ſe, ſed per propriam ſimpliciſſimam & perfectiſſimam eſſentiam omnia illa eſt: nempe, ſua ipſa eſſentia Deus eſt, & ſine ulla ſuper addita qualitate omnipotens eſt, bona eſt, ſapiens eſt, glorioſa eſt &c. à nullo omnino dependens: ſua ipſa natura fontale principium omnium aliarum eſſentiarum, vegetationum, motuum, actionum &c. adeoque propriè & ſimpliciter Deus ſine pari, creator, conſervator, gubernator, ac ſupremus omnium Dominus &c. In hoc ſenſu tituli ipſius alteri puræ creaturæ ſine graviſſimo blaſphemiæ crimine communicari nequaquam poſſunt, nec ullus iſtos in hoc ſenſu ſibi adſcribere poteſt. Vnde quando vocabulum Deo ſingulariſſimè proprium transfertur ad creaturas, id fit omnino ſub diverſa ratione, aliave ſignificatione, aut ſaltem valde ampliatâ, ſeu accommodatè ſumptâ.

Quapropter nemo ſcandali anſam capiat, dum à Catholicis Doctoribus audit, vel in eorum libris legit ſeu animadvertit, MARIAM Deiparam vocari, nunc Deam, etſi rarius, nunc omnipotentem &c. *Per orationem*, inquit Chryſologus, *fit Moyſes Pharaonis Deus, & ad triumphos ſuos militare ſibi mandat omnia elementa: per orationem Virgo fit tamquam Dea univerſæ creaturæ.* Vnde ad illam Chriſtus ita à Guarico inducitur loqui: *Communicaſti mihi, quod homo ſum: communicabo tibi, quod Deus ſum.* Concinit Bonav. *Quia Dominus potentiſſimus tecum eſt, ideò & tu potentiſſima es apud ipſum, verè ut dicere poſſis: in Ieruſalem poteſtas mea.* Eſto ergo Moyſes dicatur *Deus*, MARIA dicatur *Dea*, Iudices populi vocentur *Dii*, hoc tamen ſolum eſt ob ſimilitudinem cum ſupremo Deo, ſive in participatione naturæ cum Deo, ſapientiæ &c. ſive in facultate & potentia operandi mirabilia &c. adeoque dii minores ſunt, facti, creati, cum continua dependentia. Eſto igitur rurſum, Moyſes dicatur omnipotens, Paulus omnia poteſt, MARIÆ nihil impoſſibile: non intelligendum quod hujuſmodi ſint ex ſe; aſt per primum principium, Deum ſcilicet ſupremum, atque ex gratuita voluntate meraque bonitate ipſius, juxta quod ſcriptum eſt: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio*

387.

B. V. Dea univerſæ creaturæ.

B. V. potentiſſima in Chriſto.

Digitized by Google

autem Deos dijudicat Pſ. 81. Item Pſ. 113. *Deus autem noſter in cœlo omnia quæcumque voluit fecit.* Et Rom. 11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Hinc Paulus quando dixit, *Omnia poſſum*, immediatè ſubjunxit; *in eo*, videlicet Deo, *qui me confortat.* Sic, & multo magis, MARIÆ nihil impoſſibile, in Chriſto nimirum, quem genuit.

§. II.

Non repugnat fidei dicere B. V. apud Deum non poſſe pati repulſam, nec cultores ejus damnari poſſe.

338. EXperientià didici Concionatores in ſuggeſtu devotionem erga B. Virginem fortius urgentes; ut dicant eam apud filium non poſſe pati repulſam, nec ejus cultores in æternum damnari poſſe, exinde quandoque reprehendi quaſi de doctrina minus ſana in fide, aut ſaltem periculoſa: ſed malè; quia cenſores hujuſmodi non ſatis perſpectam habent affluentem Dei bonitatem, neque etiam modum loquendi ſanctorum Patrum, & ſacræ Scripturæ. Tanta divinæ bonitatis ſuper hominem excellenter juſtum effuſio & communicatio eſt, ut cum eo, ceu alter amicus, agat, & proinde juxta amicitiæ leges idem cum eo velit, aut nolit, ſe ſuaque illi communia faciat, nec non arcana ſua, iis, quos amat, revelet. Gen. 18. Deus volens Sodomam & Gomorrham ob earum flagitia delere à facie terræ, dicit: *Numquid celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Rurſus Exod. c. 22. ad Moyſen ait: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos & deleam eos, & faciam te in gentem magnam.* Numquid autem arcana judicii ſui reticere poterat Deus, ac more Iudicis morte digniſſimos plectere? Numquid etiam juſtè contra peccatores iraſcitur Deus, atque ut Iudex ſupremus maximeque juſtus condemnare poteſt ac punire legum ſuarum tranſgreſſores, ſine ulla dependentia ab aliquo, ſeu abſque communicatione cum aliquo? Vtique poteſt, tam liberè, quàm juſtè. Cur ergo puniendi licentiam petit Dominus à ſervo, Creator à creatura, Iudex ſummus ab homine juſto? Ratio hujus alia non eſt, quàm amor Dei immenſus, ac ſuperfluens bonitas, quâ ultroneè amicis ſuis ſe inſinuat Deus, & voluntati eorum ſe obſtringit, ſubjicitque, ut ſit quaſi alter ego; hac ratione furoris ſui mitigandi quærens medium; ut miſereatur potius, ſervetque, quàm ulciſcatur & perdat. Hinc ne populum rebellem penitus cogatur delere, fidelis ſervi ſui ducisque mitiſſimi aſſenſum exigit; illo renuente ac gratiam poſtulante, donat; nec impios amburit & vaſtat, niſi prius de hoc Abraham amicum ſuum informet, atque ejus gratiâ Loth nepotem à flammis

Bonitas Dei affluens erga amicos.

Digitized by Google

mis eruat. Hinc quoque ortum habet illud : *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.* Gen. 12. item illud Chriſti Ioann. 14. *Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Sed numquid virtute propria? abſit : *Sine me*, ait Chriſtus, *nihil poteſtis facere.* Ergo in virtute, quam habent à Chriſto. Quid jam miramur ampliorem Dei erga MARIAM benevolentiam munerumque ſuorum elargitionem, quam & matrem ſuam effecit, & cui, ut filius, arctius obedivit, altiorique amicitiæ vinculo ſeſe præ ceteris omnibus dilectis adſtrinxit.

389. Patres docent devotos B. V. non poſſe perire.

Quod Patres attinet, inprimis D. Anſelmi ſententia eſt : *Qui* MARIAM *acceſſerit, impoſſibile eſt, ut pereat.* Et rurſus : *Ipſa velit, & nequaquam ſalvi eſſe non poterimus.* Item D. Bern. Serm. de Nat. B. V. docet Deiparam non poſſe pati repulſam, nec ab eo, quod poſtulat, fruſtrari. Addo B. Petrum Damianum : *Quomodo*, ait, *illa poteſtas potentiæ tuæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem?* quaſi ſentiat hoc eſſe impoſſibile. Mitto plures alios ſimiliter loquentes, & venio ad Scripturam, quæ ſimilem impoſſibilitatem tribuit aliis rebus, quibus illa minus convenire videbatur Luc. c. 17. *Impoſſibile eſt, ut non veniant ſcandala.* Apud homines impoſſibile eſt divitem intrare in regnum cœlorum, ſed non apud Deum. Marc. 10. item 2. Machab. 4. *Videbat ſine regali providentia impoſſibile eſſe pacem rebus dari, nec Simonem poſſe ceſſare à ſtultitia ſua.* Sicut igitur in his aliiſque S. Scripturæ locis hæc impoſſibilitas non tollit libertatem, proindeque abſolutè impoſſibile dicitur, ut B. Virginis cultores in æternum damnentur, etſi in eorum libertate ſit damnari, vel non damnari.

390. Impoſſibilitas pereundi qualiter ſtet cum libertate hominis.

Qualiter autem impoſſibilitas hæc cum libertate concilietur, dicendum vnde hæc impoſſibilitas oriatur. Dico igitur cum Mendoça in Viridario oriri ex eo quòd B. Virgo ſuo patrocinio ſemper impetrat à Deo auxilia gratiæ congrua, quibus ejus cultores, etſi alioqui pravi & ſcelerati, ad Deum convertantur. Et cum gratia congrua libertatem non tollat, & nihilominus effectum infallibiliter conſequatur, fit, ut ratione hujus infallibilitatis ſimpliciter dici poſſit, impoſſibile eſſe eos damnari, quia B. Virgo ante mortem ſeu in via impetrabit illis auxilia congrua, quibus infallibiliter reſipiſcant ac ſalventur.

§. III.

B. V. quo ſenſu ferat titulos Chriſto proprios.

391 QVemadmodum Deo tribuimus, quod ſuum eſt, non minus agimus cum Chriſto, adeo-

que fatemur nihil non dari ejus meritis, nihil non vivere ejus gratiâ, nihil non fieri ejus virtute: agnoſcimus inſuper & prædicamus Chriſtum omnes creaturas longo intervallo in quavis perfectione antecellere. Quippe qui non tantum merus homo, ſed etiam verus Deus ſit in una hypoſtaſi: quique ſanguinem ſuum pretioſum in mundi redemptionem profudit, ita ut ſine reſpectu ad illum, non ſit in aliquo alio ſalus. Ipſe propriiſſimè ac nobiliſſimè redemptor generis noſtri, ipſe Salvator, ipſe Mediator, ipſe vita, ipſe fons bonorum omnium, ipſe lux, &c. Sed numquid injurium ei, ſi ſenſu inferiori ſeu accommodatè iiſdem vocabulis inſignatur mater ejus MARIA? Dico non plus, quàm ſortiri nomina Deo ipſo maximè propria. Deus enim & Chriſtus ipſe, talibus cohoneſtant amicos ſuos ac diſcipulos, ut ſupra oſtenſum eſt. Ceterùm quàm præſtanter B. Virgo nomina & titulos, filio maximè proprios, præ aliis communicet, quibus etiam ſancti Patres eam inſigniunt jam oſtendam.

1. Ex Angeli verbis ad Virginem Luc. 1. certum redditur ipſam fuiſſe dignam in cujus voluntatis libertate poneretur *Verbo* divino carnem ſubminiſtrare. Cùm autem per incarnatum *Verbum* redemptio facienda eſſet, atque B. Virgo ad tantum in ſe pietatis myſterium perficiendum Dei nuncio Gabrieli ſuum reſignârit conſenſum, quis omnino Divam hanc ab opere humanæ liberationis excludere audeat.

B. V. cooperatrix ſalutis.

1. Angelo conſentiendo & Verbo Dei carnem miniſtrando.

Exod. 25. Imperabat Deus Moyſi ut juxta propitiatorium duos poneret Cherubim, qui juxta quod Hebræi dicunt (teſte Aria montano in apparatu) facti erant in figuris hominum, unus præferens ſpeciem viri, alter mulieris. Quid autem per hoc aliud ſignificare voluit Dominus, quàm quod univerſalis humani generis reconciliatio cum Deo ab his duobus Cherubim, IESV ſcilicet & MARIA provenire deberet. Adam totius perditionis progeniei ſuæ cauſa extitit principalis, adeo, ut ſine ejus peccato, nullus, quantumvis Heva peccâſſet, originariam labem contraxiſſet: quia tamen virum mulier ad malum induxit, propterea ipſi quoque univerſa mortalium calamitas adſcribitur Eccl. c. 25. *A muliere initium peccati, & per illam omnes morimur.* Sic etſi Chriſtum ſalvationis noſtræ principalem cauſam fateamur, cur tamen ei adjutorium in hoc negotio denegemus, non video: quandoquidem exploratum ſit, ipſam ad Incarnationis myſterium peragendum ſuccurriſſe, dando conſenſum, ſimul & carnis ſubſtantiam, atque in monte Calvariæ videmus eam pœnarum Chriſti ſociam adhibitam eſſe. Duo homines vir & mulier in perniciem generis noſtri conſpirârant: numquid etiam congruebat virum alterum & mulierem ad ejuſ-

Chriſtus & B. V. qualiter concurrerunt ad ſalutem noſtram.

ejuſdem reparationem concurrere? Omnino. IESVS ergo carnem noſtram dignanter apprehendens: MARIA carnis noſtræ ſubſtantia eum veſtiens, ſalutem noſtram auſpicatus eſt. IESVS per amariſſimam paſſionem & mortem ſalutem noſtram operatus eſt: MARIA mater per amoroſam compaſſionem intimumq; dolorem acerbiſſimum in idipſum allaboravit. Chriſtus pretium redemptionis exſolvit: MARIA idem pretium ſuis præcellentibus meritis exorat propitium. Chriſtus mediator apud Patrem ob reverentiam ſuam & copioſiſſimum meritum pro quibus interpellat ſemper exauditur: MARIA mediatrix apud filium pro reverentia ſua & merito, numquàm, quod petit, non impetrat: nec minus, dum Patrem rogat; cùm habeat ad manum theſauros meritorum Chriſti filii ſui.

392. Item Chriſtum alendo, protegendo &c.

2. Ipſa Virgo beata pretium redemptionis noſtræ Chriſtum, de carne ſua aluit, fovit, curavit, protexit, & hoc non tantum propter filii ſui conſervationem, verùm etiam in ordine ad hominum ſalvationem. Ecquis eam omnino à collabore, & vitæ priſtinæ reſtauratione extraneam reputabit? Ioſeph Patriarcha, qui temporibus proſperis ac fœcundis frumentum, victui Ægyptiorum neceſſarium, collegerat, illudque in uſum annorum ſterilium & infauſtorum ſubſequentium prudenter reſervârat, Salvator mundi dictus eſt. Quidni potiori ratione Deipara illud ipſum nomen ſortiatur, quæ Chriſtum, panem de cœlo verum (qui dat vitam mundo ſive corporalem ſive ſpiritualem) in utero ſuo ardore Spiritus S. vehementer incenſo coctum, ſuaque partione mundo mirabiliter effuſum, fovit, pavit, defendit, ſervavit, donec tempore opportuno à Patre cæleſti definito, ſubſervire homini poſſet ad redemptionis pretium copioſè refundendum; & quidem non pro una ſeu alterâ natione, aut regno, ſed pro cunctis gentibus univerſi terrarum orbis, quæ umquam ſub ſole forent, vel fuiſſent. Vnde non immeritò concludit Rich. à S. Vict. in Cant. *Omnium*, inquit, *ſalutem deſideravit, quæſivit, & obtinuit; imò & ſalus omnium per ipſam facta eſt, vnde & ſalus mundi dicta eſt.*

3. Modus quo B. V. ſaluti noſtræ cooperata, Chriſtum morti offerendo.

3. De fide eſt, Chriſtum eſſe B. Virg. MARIÆ filium, & carnem de carne illius, adeoque aliquid verè ipſius, ſub ejuſque patria poteſtate. Neque enim veriſimile eſt Chriſtum ratione divinitatis, cui natura humana ſociata erat à patria poteſtate emancipatum fuiſſe, quam alii parentes jure naturali & divino obtinent in filios: maximè ubi ex Euangelio conſtet, illum MARIÆ parenti ſubditum fuiſſe. Hunc tam charum quàm unicum filium Beata Virgo ex amore ad genus noſtrum cum ingentibus cordis doloribus, & perfectiſſimo volunta-

Digitized by Google

B. V. filium ſuum Patri cœleſti obtulit in monte Calvariæ crucifigendum.

tis conſenſu in monte Calvariæ obtulit in ſacrificium. Proponere poterit Paulus, vel quivis alius merita Chriſti, imò & Chriſtum ad altare offerre, ſed numquid ut carnem de carne ſua? Numquid ut filium proprium; quemadmodum ſanctiſſima mater MARIA? Neutiquam. Mater enim eſt ſine adjutorio viri in humanis. Quidni ergo ad ſocietatem operis redemptionis noſtræ, ut olim Heva ad propagationem generis noſtri, admittatur? Quidni nomen mediatricis, vel etiam reparatricis cum filio Chriſto (etſi inferiori multo gradu ab illo) taliter communicet, qualiter nemo Sanctorum alius.

293. Dicam planius B. Virgo voluntatem ſuam cum divina ſemper concordem habuit: vnde cùm noviſſet Patris æterni definitum decretum, quo ſtatuerat filium ſuum pro mundi ſalute paſſioni ac morti tradere, nec non filii ſui voluntatem cum Patris voluntate conformem, ipſa quoque voluntariè eundem filium ſuum laboribus & extremæ neci obtulit. Nam juxta crucem ſtans, & Patris & filii voluntatem, ſua etiam voluntate imitata eſt. Pater quidem Eccleſiæ tradidit filium, ut Rex; filius ſeipſum pro Eccleſia immolavit, ut ſacerdos; MARIA filium ſuum, quem ſeipſa chariorem habebat, ſacerdotali pietate obtulit, ut adjutorium ſimile illi: Sic docet D. Bonav. in 1. d. 48. q. 2. *Nullo*, ait, *modo dubitandum eſt, quin virilis* MARIÆ *animus & ratio illius conſtantiſsima voluit etiam tradere filium pro ſalute generis humani; ut mater per omnia conformis eſſet Patri & filio. Et in hoc miro modo debet laudari & amari; quod adeo compaſſa eſt, ut ſi fieri potuiſſet, omnia tormenta, quæ filius pertulit, ipſa libentius ſuſtinuiſſet: & nihilominus placuit ei quod Vnigenitus ſuus pro ſalute generis humani offerretur. Verè ergo fuit fortis & pia, dulcis pariter & ſevera, ſibi parca & nobis largiſsima: ideo nobis amanda & veneranda poſt Trinitatem.* Nimirum quia poſt Trinitatem ſanctiſſimam nulli charior fuit noſtra ſalus. Vnde rurſus D. Bonaventura: *Nulla*, inquit, *poſtea creatura ita per amorem noſtri exardeſcet, quæ amamiſſimum filium & unicum, quem mulier plus ſeipſa amavit, nobis dedit, & pro nobis obtulit.* Sic ille. Arnoldus verò Carnot. in tract. de laud. B. V. *Omnino*, ait, *tunc* (in cruce videlicet, cui Virgo adſtabat) *erat una Chriſti &* MARIÆ *voluntas, unumq́; holocauſtum, ambo pariter offerebant Deo: hæc in ſanguine cordis; ille in ſanguine carnis.* Denique D. Epiphanius de laud. B. V. *O Virginem*, exclamat, *ſtupendum Eccleſiæ theſaurum, qui adeptus eſt ingens myſterium. Virginem appello velut ſacerdotem, pariter & altare, quæ quidem menſam ferens, dedit nobis cœleſtem panem Chriſtum in remiſſionem peccatorum.* Expende verba: *Sacerdotem* appellat Virginem, quia ſcilicet ſacerdotis in morem cum filio ſacerdote quodammodo

B. V. ſtupendus Eccleſiæ theſaurus.

do faciens & conſpirans, æterno Patri obtulit redemptionis hoſtiam. Item, *altare*, ipſam dicit; quia Chriſtus Dominus ſemel quidem in cruce, at in corde Virginis millies mactatus fuit, toties nimirum, quoties illum morti voluntariè addixit. Addo, quod ſtuporem maximum parit, eandem Deiparam ſic promptam fuiſſe ad divinam implendam voluntatem, ut ipſa multo libentius quàm umquam Abraham propriis manibus filium immolâſſet, cruci dico adfixiſſet, ſi id ipſum exequendi in mandatis, ut ille, habuiſſet. Sic tradit D. Antoninus 4. q. tit. 15. c. 41. §. 1. fin. ex Anſelmo. *Ita divinæ voluntati conformis fuiſti* (alloquitur Virginem) *ut ſalutis humani generis avidiſsima eſſes, ut dicere audeam, quod ſi nullus fuiſſet repertus, qui filium crucifigeret, ad hoc ut ſequeretur ſalus hominum, & adimpleretur voluntas Dei, ſecundùm rationem, ſi oportuiſſet, ipſa poſuiſſes in crucem. Neque enim credendum eſt minores fuiſſe perfectionis & obedientiæ ad Deum, quàm Abraham, qui proprium filium Deo obtulit in ſacrificium, propriis manibus occidendum & comburendum.* Ita Antoninus. Ejuſdem ſententiæ eſt Gerſon tract. 2. Magnificat. *Si Deus juſſiſſet*, ait, *crucifixiſſet.* Quis hujus facinoris Virginis dignitatem comprehendat, ſimul & meritum? Si operans perſona ſpectetur, quaſi infinitæ excellentiæ eſt: juxta enim D. Thomam & alios communiter, MARIA ex eo, quod Dei mater eſt, infinitam quandam ex Deo participat excellentiam. Si oblatum penſetur, non purus homo, ſed Deus homo eſt, adeoque pretii inæſtimabilis. Si opus ex parte Virginis ponderetur; ſanè ſublimius, Deo gratius, magiſque meritorium dari nequit, quàm quod intimè includit altiſſimam ſpiritus humilitatem, voluntatis propriæ renunciationem, intenſiſſimam extenſiſſimamque mentem voluntati Chriſti permaximè affinem, charitatem ad Deum & proximum ardentiſſimam, labores & dolores ex Chriſto & cum Chriſto acerbiſſimos, ſummâque patientiâ præditos, atque his opera B. Virginis, ſimul & oblatio ornatiſſima & illuſtriſſima fuerunt &c.
Patent omnia ex lectionibus ſu- 394
perioribus, tantummodò breviter dicam de ipſius humiliatione, nec non de conſtanti ejus & invicta patientia ex D. Bonaventura. Itaque Doctor hic verè Seraphicus ſerm. 1. de B. V. tom. 3. oper. ut digniſſimæ Genitricis Dei perfectam declaret patientiam, ipſam Virginem afflictam cum firmamento cœli componit, quod dividit aquas ab aquis Gen. 1. *Virgo*, ait, *fuit cœlum firmamentum uniformiter ſemper motum per patientiæ firmitatem. Nam licèt in ea aquæ inferiores, id eſt, vires ſenſitivæ & ſenſibiles fortiſsimè fuerint concuſſæ in filii ſui paſsione: ſuperiores tamen à ſua non fuerunt pace commotæ. Et licèt ſentina navis, id eſt, pars ſenſibi-*

lis

Digitized by Google

lis repleta fuerit aquis maris: pars tamen ſuperior navis ſemper ventis proſperis navigavit. Quod humiliationem Deiparæ attinet, de Chriſto dicit Apoſtolus: *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* An non etiam hoc quadrat in eminentiſſimam illius matrem? Numquid de illa verè affirmare poſſumus: *Exinanivit ſemetipſam*, formam ancillæ accipiens, imò & abjectiſſimi ac ſcelerati mancipii: & quod rarum eſt, ſe velut maledictum terræ cum filio deſpici, conculcari, & ad mortem uſque torqueri gaudebat: quoniam digna habita eſt pro nomine IESV ac hominum ſalute contumeliam pati? Omne bonum ejus, omnis gloria, & beatitudo, erat Chriſtus filius, quem pluſquam ſeipſam amabat, & tamen zeloſius quam Paulus optavit anathema eſſe à Chriſto pro vita fratrum, id eſt, ad tempus cum Chriſto & propter Chriſtum exinaniri ſeu privari gloriâ maternitatis Domini. Vbi enim filiatio deſinit, maternitas quoque evaneſcat neceſſe eſt. Nam cùm hæc ſint correlativa, unum ſine altero ſtare non poteſt. De Chriſto autem MARIÆ filio teſtantur Euangeliſtæ morte violenta & turpiſſima inter ſceleratos defunctum in cruce: & nos ſtatim probavimus à Virgine tali neci oblatum, unde exinanitionem filii, matris conſequi debuit. Zeloſius præterea quàm Moyſes, pro populo Dei optavit MARIA deleri de libro viventium, id eſt, in terra commori & conſepeliri Chriſto, non tantum animo ſed etiam corpore. Idcirco namque paſſionis filii tempore medium ſe inter hoſtium gladios & furias obtulit, ſtetitque juxta crucem impavida, expectans qui feriret, necaret. Porro Apoſtolus Paulus 395.
poſtquam Chriſti humiliationem propoſuit, addit ejuſdem exaltationem factam eſſe tamquam præmium paſſionis & mortis toleratæ. *Propter quod*, inquit, *& Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen &c.* Quid autem remunerationis Deiparentem, illius ſociam, accepiſſe putamus? Dico equidem cum doctiſsimo Ferdinando Salazar, doctiſsimè in Prov. Salomonis commentante, B. Virginem hoc emolumentum reportaſſe, *quod ſicut vita & paſsio, prout filio voluntaria, præter ſui ipſius exaltationem, meruit ſalutem de condigno: ſic eadem vita & paſsio, prout matri voluntaria, eamdem ſalutem meruit de congruo.* Luculentius dixerim: *quod ſicut filius mortem voluntariè ſuſtinens pro omnibus ſatisfecit: ſic Virgo filium eidem morte voluntariè offerens, mortiſque dolores unà cum eo ſubiens, omnium ſalutem impetraret.* Adſtipulatur Dionyſ. Carthuſianus in Cant. 7. art. 24. *Virgo*, ait, *compaſsione præcordialiſsima in filii ſui paſsione meruit & obtinet nobis pauperculis & puſillis, fructum, virtutem, & meritum paſsionis filii.* Et Bern. ſerm. 4. Aſſumpt. *Hæc eſt, quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impe-*

impetravit. Conſtat enim pro univerſò genere humano fuiſſe ſolicitam, cui dictum eſt: Ne timeas MARIA, *inveniſti gratiam, utique quam quærebas.* Quapropter dicta oblatio B. Virginis ſacrificio Chriſti maximè affinis, & quaſi eadem, ſimul cum merito inde acquiſito inter præcipuas rationes (neque enim minus prægnantes æſtimamus illas, quas initio hujus §. poſuimus) eſt, cur eadem Deipara titulos atque vocabula ferat, quæ filio Chriſto aptari conſueverunt, atque mediatrix, reparatrix, redemptrix & cauſa noſtræ ſalutis haud immeritò à SS. Patribus nuncupetur, quamquàm plurimùm differenter à Chriſto. Paucorum hic ſubjungo teſtimonia,
396. qui plura voluerit, recurrat ad lect. 6. §. 6. vel etiam ad Scintillas noſtras. D. Ephrem orat. ad B. Virginem. *Per te*, inquit, *reconciliati ſumus Deo, tu captivorum redemptio, tu omnium ſalus. Ave pax, gaudium & ſalus mundi &c.* Ioan. Damaſc. orat. 1. de Nat. *Per eam mortalium genus redintegratum eſt, ea Deo obſecuta, mundo immortalitatem invexit, adminiſtra ſalutis univerſi orbis, quæ omnem naturam ad interitum vergentem ad vitam reſtituit.* D. Greg. Taumat. ſerm. 2. Annunc. non tantum redemptionis cooperatricem appellat, ſed & principium ipſius reparationis. *Tu*, inquit, *principium reparationis effecta es, tu fiduciam, tu paradiſi introitum nobis dediſti, & antiquum dolorem luctumque fugaſti.* Lanſpergius hom. 48. de Paſſ. *Voluit*, ait, *Chriſtus matrem adeſſe ſibi in doloribus, ut ex his, quæ oculus foris cerneret, intus animo vulneraretur, ut ſicut Chriſti paſſionis, redemptionis quoque noſtræ particeps fieret & cooperatrix.* In Revel. S. Birg. Extrav. c. 3. *Bene dicere poſſum*, inquit Chriſtus, *quod mater mea & ego quaſi cum uno corde ſalvavimus hominem, ego patiendo corde & carne, ipſa cordis dolore & amore.* Rurſus ibid. l. 1. Rev. c. 35. *Sicut Adam & Heva vendiderunt mundum pro pomo, ſic filius meus & ego redemimus mundum quaſi uno corde.* His non obſtantibus Catholici Doctores communiter & prudenter à nominibus ſeu titulis *Redemptrix, Salvatrix, Reparatrix &c.* Virgini attribuendis, abſtinent, ex eo, quòd propriiſsimè & excellenter competant filio, cujus paſſio requirebatur neceſsitate medii, & ſanguis illius condignum humanæ redemptionis pretium, non autem ſic B. Virginis compaſsio &c.

Verùm ut de aliis honorificis titulis vel parum aliquid dicamus: 397.
Chriſtus vita eſt, & ipſiſsima vita: MARIA autem vita dicitur, quia vitam genuit, & multum ad vitam conſequendam juvat, ſive quia illam procurat. D. Auguſt. l. de S. Virgin. c. 6. MARIA, inquit, *Mater eſt ſpiritu membrorum Chriſti, quæ nos ſumus, quia cooperata eſt charitate, ut fideles in Eccleſia naſcerentur.* Demum Chriſtus omnis gratiæ fons eſt & origo: MA-

Digitized by Google

RIA verò licèt aquæ ductus ſit, per quam gratia ad nos decurrit, nihilominus à Sanctis Epiphanio, Ephrem, Ildephonſo, Bernardo &c. nomine *fontis vitæ*, nec non *venæ vitæ* non incongruè compellatur. Nam quemadmodum non tantum ipſa aquæ naturalis ſcaturigo fontis nomen fert, ſed etiam cùm aqua alibi manans per ductus ſuos in urbem defertur, locus, ubi tandem per tubulos ſuos in plateam erumpit, fons appellatur. Sic Deus fons eſt, & primaria gratiæ origo, ſed tamen cum longè à nobis diſtaret, per Virginem, tamquam per ductum ad nos gratia perfectur, & ex illa tandem erupit, propterea fontis nomen ſibi adſcivit. Hinc meritò S. Mater Eccleſia ipſam Deiparam in hunc modum loquentem introducit. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*, id eſt, ſalutem à Domino longius manantem, atque per me proximè allatam ſumere poterit; copioſè ſcilicet, quia ex fonte; & facilè, quia ſolus hauriendi labor eſt neceſſarius; & citius, quia fons proximus eſt. Vnde & D. Damaſcenus Orat. 2. Aſſumpt. Beatam Virginem hoc pacto nos affantem proponit. *Quicumque morborum ſanationem, vitioſarum animi affectionum depulſionem, peccatorum obliterationem, & in univerſum qui bonum aliquod ſitit, cum fide ad me veniat, & ex ea gratia, quâ plena ſum, hauriat. Quemadmodum enim aqua, terra, aëris ac ſplendidiſſimi ſolis actio, ſimplex licèt, atque una ſit: variè tamen atque accommodatè, ad earum rerum, quæ ipſius participes fiunt natura immutatur, fitque in vinea vinum, in olea oleum &c. Ad eum modum gratia quoque, quæ in me eſt, quamvis una ſit; variè tamen atque congruenter ad uniuſcujuſque utilitatem eos, à quibus excipitur, beneficio afficit: nec verò ex natura mea hanc gratia habeo &c.*

§. IV.

Velocior interdum ſalus à B. V. quàm à Chriſto.

VAlde notandum eſt B. Virginem nonnumquam facilius moveri noſtris precibus, quàm Chriſtum: proinde præſentius nobis eſſe aliquando matris, quàm filii patrocinium. Ab hac ſententia ſtat auctoritas, ſtat ratio, ſtat experimentum. Auctoritas Anſelmi, qui, ſi quid judico, litem exorat. *Velocior eſt*, ait, *nonnumquam ſalus invocato nomine* MARIÆ, *quam invocato nomine* IESV. Ratio unica: quia Chriſtus Iudex Ioan. 5. *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio*. B. Virgo Patrona tantum & mediatrix. Patronæ autem ſola miſericordia eſt, Bern. *Ad Patronam accedere quid trepidet humana fragilitas. Nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuavis eſt.* Iudici verò non minus juſtitia competit. Vnde Ambroſ. *Non gratiâ moveatur* 398.

Digitized by Google

tur judex, ſed cauſâ; non precibus flectatur, ſed meritis, quod minimè in eo defectum arguit ſed potius ipſius perſonæ majorem perfectionem commendat. Hinc eſt quòd Chriſtus Dominus Iſai. 11. juſtitiâ dicitur præcinctus: quia ſicut cingulum undantem chlamydem colligit, nodatque ne fluat; ita juſtitia, pronam Chriſti naturam ad miſerandum cohibet, ne flectatur. Contra verò B. Virgo ſole amicta dicitur Apoc. 12. quia ſol typus eſt miſericordiæ. Quippe qui ſuper bonos maloſque æquè oriatur. De eo ita D. Bonav. *Quis eſt ſuper quem ſol non luceat? Quis eſt ſuper quem miſericordia* M A R I Æ *non reſplendeat?* Quare cùm miſericordia miſerum reum vehementius pelliceat, litique ipſius conſtanter patrocinetur: juſtitia verò crimina diſcutiens ac ulciſcens, abſterreat: quid mirum ſi peccator, antequam apud Iudicis tribunal compareat, ipſiuſque gratiam imploret, ſibi prius de forti, benigno, fauſtoque Dei Matris patrocinio proſpiciat, muniatque. *In Virgine à filio*, inquit Seraphinus Firmanus, *derivatur divina pietas abſque ullo juſtitiæ terrore: atque in filio, licèt attrahat pietas, terret tamen quod ſcriptum eſt, Iudicem eſſe adeò ſeverum, ut rationem ſit exacturus de unoquoque verbo otioſo. Quid autem mirum ſi magis præſidat reus in ſola pietate, quàm in ea juſtitiæ conjuncta, quando eadem eſt pietas divina in utroque & filii & ejus matris tribunali?* Sic Seraphinus. Hinc. D. Anſelmus: *Si ad Chriſtum*, inquit, *veremur accedere, ad* M A R I A M *patronam accedamus, impoßibile eſt, ut pereamus.* In illa omnia ſunt amoris & dulcedinis plena.

In opuſc. Spiritual. Problem. 54.

Supereſt experimentum. Conſtantinopolim quondam letalis adeo morbus urbem tenuit, teſte Procopio, ut in ſingulos dies, quina, dena hominum millia efferrentur, ſola ſolitudo urbem in habitaret. Superſtitum preces fatigabant æthera, non placabant; Chriſtum ſolicitabant, non conciliabant: tandem poſtridie Kalendas Februarias ſolemne feſtum Virgini decernitur, redeuntibus etiam annis pari religione celebrandum. (Hypapantim vocant Græci, purificationem latini) mora nulla, beneficio Virginis afflatu purgantur auræ, priſtinam valetudinem ſemianima corpora recuperant, & quamvis vicina loca quinquaginta totos annos & eo amplius, ut auctor eſt Evagrius, vi morbi laborarent, Conſtantinopolis ab eo die inter flammas, ne ſemiuſtulari quidem potuit. 399.

Tantumdem accidit temporibus D. Gregorii Magni, ſimiliter ævo Patriarcharum Franciſci & Dominici, de quibus ſupra. Item aliàs frequentius ut colligere licèt ex Annalibus Eccleſiaſt. &c. Adeo ut verum ſit judicium Auguſtini vel Auctoris apud D. Aug. in Append. ſerm. 6. *Cum*

juſtitia gladium vibrat in homines, Pater æternus ſuum brachium, nempe Chriſtum, *objecit, non tamen continuò divina juſtitia gladium extenſum ad vulnus, contraxit, ſed in ipſum Patris brachium validè vulnus infligitur*. De MARIÆ autem brachio cum illud pro nobis extendit, ſubjicit dictus Auctor & Ambroſius. *Te enim brachium & manum extendente pro nobis, divinæ ultionis gladius elevatur, & contrahitur*: quaſi divinæ juſtitiæ rigor potius MARIÆ, quàm Chriſti potentiam veneretur. Iratum Deum MARIÆ patrocinium placat, nemo id negligat.

Apud Mend. in Virid.

§. V.

Exhortatio ad B. V. opem implorandam.

400. OLim Deus filiis Iſrael ob oculos ponens grandia & ſingularia beneficia, erga eos collata, dixit Mich. 6. *Eduxi te de terra Ægypti, & de domo ſervitutis liberavi te: & miſi ante faciem tuam Moyſem, Aaron, & MARIAM*: quaſi dicere voluiſſet: O Iſraël, non video qualiter benignius vobiſcum agere potuiſſem, quàm tribus veſtras à dirâ Pharaonis tyrannide, & terrâ Ægypti, ubi velut captivi & mancipia affligebamini, eruendo; deinde vos in deſerto præeundo, de die in columna nubis. & noctu in columna ignis, quo vos in terra melle & lacte manantem deducerem, velutque oculi pupillam cuſtodirem, & protegerem. Super hæc præfeci vobis ſervum meum fidelem, Moyſen, Aaron etiam in ſacerdotem magnum dedi, unà cum illorum ſorore MARIA prophetide. Hos, inquam, homines ex omni plebe ſelegi, atque in veſtram proſperitatem & pacem deſtinavi. Moyſen, qui præcepta meâ, leges & cæremonias edoceret: Aaron, qui hoſtias & ſacrificia immolaret, iiſque indignationem meam ſuper prævaricatores averteret, & placaret: MARIAM denique illis adjunxi, quatenus mulieres veſtras honeſtis diſciplinis imbueret, & viam veritatis exemplo vitæ demonſtraret. His accedit, quòd annis quadraginta cæleſti manna vos paverim in ſolitudine, neque aliquando veſtimenta veſtra attrita ſint. Num hæc tanta beneficia mea, tantus amor meus corda veſtra inducet, ut falſorum Deorum cultum execrantes, de cetero mihi ſoli Deo vivo & vero, Creatori ac liberatori veſtro ſerviatis, atque ſuper omnia colatis.

Haud ſecus in novo Teſtamento ad nos Deus. *Eduxi te de terra Ægypti & de domo ſervitutis: & miſi ante faciem tuam Moyſen, Aaron, &* MARIAM. Ego, inquit, eduxi vos de Ægypto abominationum ſæculi, atque de cruenta Pharaonis poteſtate, diaboli, inquam, peſtiferis unguibus erui, atque in terram melle & lacte manantem

introduxi, Eccleſiam dico Sanctorum, omnium gratiarum fœcundam & affluentem jugum grave veteris legis ſuſtollens, & leve ac ſuave Euangelii gratiæ imponens: imò quo pietas & amor meus erga genus veſtrum copioſius innoteſceret, dilectum filium meum unicumque IESVM, mihi per omnia æqualem in potentia, ſapientia, bonitate &c. in præceptorem, ducem ac ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech tradidi, qui legem gratiæ ediceret, viam veritatis exemplo monſtraret, per mortem captivum mundum redimeret, nec non ſacro ſuo corpore & pretioſo ſanguine paſceret ac ſaginaret. Adhæc ne ullo tempore velut orphani eſſetis abſque matre (quæ affectu tenerrimo parvulos ſuos proſequi, nutrire, ac tueri ſolet) donavi vobis MARIAM, non qualem olim legis Moyſaicæ ſectatricem, leprâ quandoque deformem, ac mihi ob invidentiæ labem exoſam; verùm MARIAM novi Teſtamenti, omnium voluntatum mearum obſervantiſſimam, filii mei IESV genitricem, gratiâ plenam, in mulieribus benedictam, mihi ſemper placitam, generiſque ſui amantiſſimam. O charitas Dei immenſa! O viſcera pluſquam paterna! Non ſatis illi tradere filium Salvatorem & magiſtrum, ſed & matrem quoque illius in mediatricem donat, quæ fulmina iræ divinæ extinguat, faciemque ſerenet, fauſtaque omnia procuret. Porrò quid ejuſmodi incomprehenſibilis amor in nobis operabitur niſi peccatorum deteſtationem, reſipiſcentiam, & mandatorum Dei ſedulam & conſtantem obſervantiam, præſertim ubi tales tantæque perſonæ nobis in auxilium & præſidium occurrunt. Ea propter, peregrine homo, ſi ad patriam feliciter appellere deſideras, mitiſſimam Virg. Deiparam ſincero fortique amore proſequere, atque in cunctis periculis & neceſſitatibus quantocyus cum fiducia ad eam recurre. Num advertis quantâ celeritate & ſpe gallinarum pulli à milvo extioſo agitati ſub matrum ſuarum pennas pro munimine convolant? tanto magis oportet te omni horâ à funeſtis graſſantibus hoſtibus, carne ſcilicet, dæmone ac mundo, ad internecionem uſque & gehennam impugnatum ad pientiſſimæ parentis MARIÆ ſinum, velut turrim tutiſſimam, confugere, ſub qua protegi indemniſque ſervari valeas. De Hinnulo referunt naturarum ſcriptores, quòd à venatoribus expetitus, canibuſque calcaneo inſtantibus non rarò in pleno curſu & fuga oculos ad matrem cervam reflectat, cujus obtutu animatus ſaliendo velociuſque currendo necem tandem effugit. Heu miſerum humanum genus, quod numquam diabolus non perſequitur! tamquam leo rugiens omnes mundi plagas & angulos circum-

it, penetratque etiam abditiſſimas latebras quærens animas, quas mactet perdatque, vias omnes obſidet, laqueiſque infeſtas reddit. Aſt nihilominus macte animo eſto, oculos ad Virginem Matrem MARIAM conjice, miſericordiæ Reginam inclama, procul dubio ipſius ope & protectione, nullæ adversùm te prævalebunt inferorum poteſtates, dæmonum artes & molimina in fumum velut diſſolventur, mors gehennæ non te attinget, atque ad vitam ſervaberis ſempiternam.

Quid cunctaris miſelle homo, ſta conſiliis noſtris, orationibus vaca, & dic: Benigniſſima & ſereniſſima Angelorum Domina, turris David cum propugnaculis, mille invictis clypeis munitiſſima, urbs fortitudinis Reipubl. Catholicæ ſecuriſſima, miſerorum omnium & afflictorum commune ac tutiſſimum refugium, ex te arma ſua, quotquot Chriſtianæ militiæ nomina dederunt pugiles, quotquot cum dœmone luctaturi in arenam prodeunt athletæ, mutuârunt: ſuppliciter precor te in periculis & neceſſitatibus vitæ hujus miſerere noſtri, & ſubveni. Domina univerſorum es, potentiæ tuæ clypeo defende nos: Advocata peccatorum ſapientiſſima & feliciſſima es, quæſo, apud ſummi Iudicis tribunal cauſam noſtram ſuſcipe & age, culparum veniam impetra & gratiam, & nequaquam ſalvi, regniqúe cælorum hæredes eſſe non poterimus.

Subit mentem qualiter magnanimis Debora ducem Barac ad certamen cum principe Siſara exhortans, ab eodem more ſupplicis audivit. *Si venis mecum, vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Non minus aures meas pulſat, vox illa tua, ô MARIA; Pugna cum antiquo ſerpente, viriliter age, & confortetur cor tuum. Replico equidem cum anxio ſuppliceque Barac: Bene, optime: ſi tamen tu, ô Debora noſtra, MARIA, Virgo prudentiſſima, Vatum maxima, Eccleſiæ militantis exercitus dux & confortatrix, dæmonibus terribilis ut caſtrorum acies ordinata, nobiſcum ad pugnam venire, & præeſſe digneris: ſin minus; væ, væ genti peccatrici, ecce enim amodo mors, confuſio, & gehenna nos manent, premunt, devôrant, atque perduelles hoſtes, calcanei noſtri inſidiatores perpetui de nobis clientulis tuis triumphum canent. Sed numquid obliviſcetur mulier infantis uteri ſui; & ſi illa oblita fuerit, ut non miſereatur fructui carnis ſuæ, nihil tale de te, ô MARIA, IESV matre & noſtra, fas eſt ſuſpicari, quæ clamorem & fletum parvulorum haud ſpernis, ſed benigno ſemper favore proſequeris. Suaviſſima Domina & mater pientiſſima, Benjamini tui ſumus, Benjamini ſimul & Chriſti dilecti filii tui, partus inquam, dolorum tuorum, partus etiam dolorum amaræ paſſionis Domini IESV: eja

Digitized by Google

eja ergo illos tuos miſericordes oculos ad nos converte, omnem ſpem noſtrâm in ope tua & meritis reponimus, ſuccurre afflictis, confirma tentatos, adſiſte ac ſolare agonizantes, erige lapſos, reconcilia reos Iudici Domino filio tuo, atque in hora mortis ſuſcipiens ſpiritum noſtrum, eum tuis filiique gratiâ & meritis expurgatum, atque utriuſque virtutibus exornatum redde Deo Creatori ſuo, ut eum tecum laudet per æterna ſæcula.

§. VI.

Cautela.

402. ANtequam diſcurſuum noſtrorum finem imponam, conſultum duxi prius monere mendicum pauperem, ut quamdiu peregrinatur à Domino, ne ſeſe à Deiparæ, Patronæ ſapientiſſimæ potenti umquam disjungat latere, ſed conſtanter adhæreat, licèt alioqui via ad Redemptorem Chriſtum pateat, vel etiam familiaritas ipſius indulgeatur, ne forte minore ſua prudentia & affectu minus dignè coram tanta majeſtate agat, cogitet, aut loquatur. In ſilentio contemplationis puſillitatis noſtræ, ac ſtupore dignitatis immenſæ Chriſti, in demiſſione animi noſtri ac ſpe bonitatis divinæ conſiſtit omnis felicitas noſtra. Loquatur verò advocata ad Iudicem, ſponſa ad ſponſum, mater ad filium, MARIA ad IESUM. Hujus enim ſolius pulchritudinis gloriam Rex Regum Dominus concupivit, hujus ſolius altiſſimam humilitatem reſpexit Spiritus S. hujus ſolius ſingulare puritatis decus adamavit Altiſſimus, carneque de caſtis ejus viſceribus ſuſceptâ, inter nos, quaſi unus ex nobis, poſuit tabernaculum, atque per triginta amplius annos inter homines Deus homo pro ſalute hominum converſatus eſt. Quamobrem nemo gratiæ illius thronum præſumat accedere, niſi duce Virgine Matre, nemo alloquatur niſi eâdem interprete mentis noſtræ, nemo oblationis quidpiam faciat, niſi mediante manu virginali. Quoniam illi dictum eſt: *Inveniſti gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus* IESUM. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

Vide an non idipſum ſuadeat Bern. *Ceterum, ait, quidquid illud eſt, quod offerre paras,* MARIÆ *commendare memento: ut eodem alveo ad largitorem gratiæ, gratia redeat, quo influxit. Neque enim impotens erat Deus ſine hoc aquæductu* (MARIA videlicet) *infundere gratiam prout vellet, ſed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tuæ aut ſanguine plenæ ſunt, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excuſſiſti. Ideoq; modicum iſtud quod offerre deſideras gratiſſimis* *Serm. Aqued.*

ſimis

ſimis illis & omni acceptione digniſſimis M A R I Æ *manibus offerenda tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam. Nimirum candidiſſima quædam lilia ſunt; nec cauſſabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quidquid illud ſit, quod inter* M A R I Æ *manus invenerit.* Sic ille. Hæc ſecura eſt & laudabilis hominum ſanctorum praxis, quam illi à S. Matre Eccleſia didicerunt. Hujus enim in hymno *Ave Maris ſtellæ*, oratio eſt: *Solve vincla reis, profer lumen cæcis, mala noſtra pelle, bona cuncta poſce. Monſtra te eſſe matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus tulit eſſe tuus.*

Inter ceteros ingenuos candidoſque Eccleſiæ filios D. Auguſtinus ita Virginem deprecatur. *Admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excuſabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fidâ mente poſcimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus: quia tu es ſpes unica peccatorum &c.* Divus quoque Ambroſ. dum ad Deum per orationem & ſacrificium confugit, B. Virgine Deiparâ mediatrice utitur: *Et ut efficax*, inquit, *hæc mea ſit deprecatio, B.* M A R I Æ *Virginis ſuffragia peto, quam tanti meriti eſſe feciſti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, & nulla præter ipſam tam novum acciperet; novum ſcilicet munus primum offerret, ut puerpera virgo perſeveraret; nulla præter ipſam tam novum acciperet, ut Deum virgo pareret, & poſt partum virgo permaneret.* Sic Ambroſ.

De Franciſco etiam Seraphico fidem facit neotericus auctor, pius & eruditus, dicens: Franciſcus Aſſiſias plenus optimo ſpiritu, ita Divam noſtram affatus eſt; ut eum non tam loquentem audire, quàm ignem jacientem videre poſſimus, hæc illius precatio eſt. *Drexel. de Virtut, B.V. p. 1. c. 9. §. 2.*

O Domina mea ſancta M A R I A, *in tuam benedictam fidem ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, me totum commendo. Omnem ſpem & conſolationem meam, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo, ut per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, omnia mea dirigantur & diſponantur opera, ſecundùm tuam tuique filii voluntatem.*

Demum S. Bernardinus Sen. Virginem alloquens: *Dediſti*, ait, *Virgo benedicta verbum tui digniſſimi & virtuoſiſſimi conſenſus, & ſuſcepiſti Verbum de ſinu Patris tui digniſſimi & virginalis conceptus. Tene Domina noſtra, quod habes pro nobis, ſerva quod tenes, ſuſcipe orationem & devotionem noſtram, & pro nobis apud filium tuum efficaciter porrige preces, ut tecum & cum filio tuo in æternum conregnare poſſimus.*

Sed ne forſitan in conſpectu Domini otioſus quis adſiſtat, ſuadeo, ſi melius non occurrit, ut interea temporis quo beatiſſima Virgo M A R I A ſuper ſalute noſtra cum Deo pertractat, cliens proſternat ſe ante divinam Majeſtatem, atque firma fide, ſpiri- 403.

Digitized by Google

tu humili & contrito eamdem adorans exoptet ei omnem dulcorem uberum maternorum, omnia virginea miniſteria illius infantiæ totique ætati exhibita; omnes etiam vigilias, jejunia, orationes, oblationes, contemplationes, extaſes, humiliationes, labores, ſudores, perſecutiones, dolores, lacrimas, deſideria, gemitus, ſuſpiria, adorationes, amores, ſatisfactiones; merita, pios cogitatus & actus, odoramenta omnium ſanctorum exercitiorum, virtutum & laudum divinarum: denique ipſam Virginem Matrem totam offerendo, tantam, quanta eſt cum omni ſua ſanctitate, benignitate, ſplendore ac gloria; & hoc, ad plenam æternitatem, ab ante, & poſt, plenumque oblectamentum tam humanitatis quàm divinitatis ſuæ. Magis tamen congratuletur & collætetur de omnibus Chriſti magnalibus, & perfectionibus ſibi ab æterno Patre conceſſis; congratuletur, inquam, & gratias agat, non tam ore ac corde proprio, quàm emendicato, ſanctiſſimæ ſcilicet Virginis MARIÆ.

MARIAM ergo Deiparam humiliter & inſtanter rogabis, *primò*, ut ea, quæ dico optanda & facienda, dignetur ipſamet de impuro, vel etiam tepido corde tuo reſumere, atque ſuomet inculpabili, optimo ac ardentiſſimo corde pro te optare & offerre, ſua lingua laudare, nec non eidem congratulari de ſingulis excellentiis utriuſque naturæ tam humanæ, quàm divinæ. *Secundò*, Beatam Virginem ſupplicabis, nec deſiſtes donec ipſa induxerit Chriſtum, ut omnia ſua divina merita, ſatisfactiones, virtutes, converſationem, vitam, paſſionem, mortem, &c. quin imò ſeipſum totum (quantus videlicet eſt ſecundùm utramque naturam jam in cœlis, ac prius in terris, ac quantus unquam ſub ſpeciebus panis & vini immolatus eſt, & adhuc quotidie ſub eiſdem per manus ſacerdotum immolatur & ſumitur) tibi donet applicetque pro diluendis omnibus culpis & negligentiis, pro relaxandis pœnis & reatibus, pro ſupplendis virtutum defectibus, & imbecillitate roboranda, nec non eadem omnia offerat ut Mediator Dei & hominum homo Chriſtus IESUS ad plenam ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis Dei Opt. Max. & Domini noſtri complacentiam, & oblectamentum, ſecundùm immenſum & æternum, & ultra. Confide fili tandem per benigniſſimum Salvatorem Matre ſua patrocinante divinæ pietatis abyſſus tibi aperietur, & communicabitur, hic in viâ ex parte, & quaſi in ſpeculo; plenè autem & ſicuti eſt, facie ad faciem in Patria: introgreſſus

Digitized by Google

verò abyſſum omnis boni & gloriæ, ac ibidem abſorptus ſiſte & quieſce, ibi epulare, deliciare ac reſolvêre, Deificare ac perennare, pauperisque mendici hujus conſervi tui apud Deum, illiusque Genitricem ſemper recordare, quibus ſit honor & gloria in ſæcula, Amen.

F I N I S.

Digitized by Google

NOTA. §. XVIII.

Materia de miraculis inadvertentiâ ad citatum §. ſuperfluit, ideo ejus loco ad calcem viſum eſt alteram ſubſtituere, videlicet,

Solutiones ad objecta.

OBjicitur 1. *Omnes in Adam peccaverunt* Rom. 5. igitur & B. Virgo MARIA, cum de illius exceptione certò non conſtet &c. Reſp. Ex traditione Eccleſiæ, cultu, & documentis, ſatis de illius exemptione conſtare à peccato origin. cum ex illis ſolis capitibus conſtet de exemptione illius ab actuali; alioqui argumentum illud ſi quid concluderet, probaret Conceptionem Virg. MARIÆ in pecc. originali, articulum eſſe fidei, quod tamen adverſarii non fatentur. Ita etiam licèt juxta Scripturas *naſcamur filii iræ, neque infans mundus, cujus eſt unius diei vita ſuper terram*. Excipitur tamen B. V. MARIA; non aliunde quam ex traditione Eccleſiæ, antiquitate, & univerſali Nativitatis cultu.

2. Objicitur officium illud Nogaroli approbatum à Sixto IV. univerſæque Eccleſiæ traditum, atque à nobis tamquam columna ſententiæ noſtræ allegatum, à Pio V. reformatum fuiſſe, qui officium Nativitatis pro illo Sixti ſubrogavit, mutato tantum nomine *Nativitatis* in nomen *Conceptionis*. Reſp. Pium V. nihil in officio Sixti ſubſtituiſſe vel mutaſſe, ſed omiſſo uno officio aliud introduxit: & ita licet de facto in officio Rom. officium & feſtum præſentationis B. V. M. quandoque omiſſum fuerit, nihil propterea illius ſanctitati derogatur, ſed officium officio ſuccedit: mutat ergo Eccleſia feſta, & officia, non autem ſententiam circa ſanctitatem, vel cultum ſemel receptum. Imo vero ut probetur Conceptionem B. V. M. immaculatam fuiſſe, ſat eſſet, ſi uno die ab Eccleſia coleretur, ut docet S. Bonav. in 3. culta autem fuit hæc ſancta Conceptio ab Eccleſia centum penè annis, à tempore Sixti IV. uſque ad Pium V. quo officium Sixti omiſſum fuit. Non tamen ideo deſiit ipſa Conceptio in Eccleſia publicè *ſancta* proclamari, & ipſa Virgo *omni laude digniſſima* (ut patet ex ipſo Pii V. breviario) & quidem uſque in hodiernum diem.

3. Objicitur Eccleſiam numquam coluiſſe niſi ſanctitatem certam & indubitatam: ſed non certum B. V. conceptam fuiſſe in primo inſtanti ſine peccato orig. cum ſententia contraria ſit pro-

babilis, ſcilicet illam in 1. inſtanti conceptam fuiſſe in peccato, ſed in 2. inſtanti ſanctificatam: igitur Eccleſia non coluit Conceptionem hanc pro primo inſtanti ſanctam, ſed primo vel ſecundo, quod erat certum. Reſp. Eccleſiam cum Sixto IV. coluiſſe Conceptionem hanc in omni inſtanti immaculatam, ſeu ab omni labe præſervatam; & niſi pro primo inſtanti Conceptio vel Nativitas immaculata fuiſſet, coli minimè poſſent: non enim coleretur *Conceptio* vel Nativitas, ſed *Conceptionis*, vel Nativitatis *ſanctificatio*, quæ ſecundò inſtanti ſupervenit. Hoc autem à Sixto IV. Bulla, *Grave nimis* &c. Damnatur; Conceptionem ſcilicet non coli, & à Gregorio XV. Bulla, *ſanctiſſimus* &c. ann. 1622. 24. Maji, ubi mandat non alio nomine utendum, quam *Conceptionis.* Nec Eccleſia unquam feſtum vel ſanctitatem vagam celebravit; cum ſic nobis conſtare non poſſet quid coleret, an Conceptionem, an Sanctificationem. Deinde id ſcire velim, ſi B. V. fuerit in 1. inſtanti concepta in peccato, unde conſtabit adverſariis illam in 2. inſtanti ſanctificatam, & non in 3. vel centeſimo, cum de 2. inſtanti nullà ſit ſpecialis revelatio, vel Eccleſiæ auctoritas, plus quàm de tertio.

4. Objicitur Eccleſia permiſit officium fieri de ſanctificatione B. V. M. igitur in aliquo inſtanti fuit non ſancta. Reſp. negando ſequelam. Quia in primo inſtanti dicitur ſanctificata per infuſionem gratiæ: & licet olim Patres Dominicani uterentur in officio ſuo nomine *ſanctificationis* pro voce *Conceptionis*, tamen Gregorius XV. Bullâ *Sanctiſſimus Dominus* &c. Poſtea mandavit non alio quam Conceptionis utendum. Et hinc in Martyrologio Patrum Dominicanorum Salmanticæ impreſſo anno 1579. authoritate Seraphini Cavalli Mag. gener. Ord. Prædic. nomen Conceptionis introductum fuit his verbis; *Conceptio ſanctiſſimæ Virg.* MARIÆ *Genitricis Dei & Domini noſtri* IESU *Chriſti feſtum totum duplex.*

5. Objicitur. Si certum ſit Eccleſiam coluiſſe Conceptionem hanc, ut in primo inſtanti immaculatam, jam res erit fidei, adeoque ſententia adverſa hæretica erit, contra nimirum traditionem, cultum, & ſenſum Eccleſiæ; hoc autem damnatur à Sixto IV. Pio V. & Greg. XV. ſupra igitur Eccleſia non ita hanc Conceptionem coluit. Nego ſequelam majoris: quia licet hic ſit ſenſus Eccleſiæ, & traditio, non tamen adhuc fide definita, cum permittat Eccleſia oppoſitam ſententiam privatim (nempe apud Dominicanos cum ſui inſtituti viris) doceri, & tractari; non quod vera ſit in re vel probabilis, ut bene notat Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 3. ſect. 5. §. Dico 3. Henriq. lib. 6. de fin. ult. ſed ut ſcandala evitentur. Licet Greg.

X V.

XV. oppoſitam ſententiam vocet offenſivam, & ſcandaloſam in populo Chriſtiano.

6. Objicitur S. Bernardum & D. Thomam oppoſitæ fuiſſe ſententiæ. Reſp. inde contigiſſe quod necdum Eccleſiæ ſenſum & cultum publicum vidiſſent; quæ cum diſcipuli S. Bernardi poſtea viderent, omnes ſententiam mutarunt. Vnde poſt S. Bernardum Trithemius ſic ſcribit: MARIAM *ab omni originali ſorde præſervatam S. Romana ſentit Eccleſia.* Et numeratis pro hac ſententia univerſitatibus, & religionibus, concludit ſic, *exceptis pauciſſimis, omnes penè totius Eccleſiæ Pontifices, Rectores & Doctores, cum Clero & univerſo credentium populo, à minore uſque ad maximum, nobiſcum in eandem ſententiam concurrunt.* Reſp. 2. S. Bern. non fuiſſe oppoſitæ ſententiæ quia epiſt. 174. ad Canon. Lugdunenſ. non loquitur de perſonali Conceptione B. V. ſed de carnali ſeu materiali. D. Thomas veriſimilius non fuit oppoſitæ ſententiæ, vel fuit problematicus.

NOTA.

In contextu noſtro ad num. margin. 244. & 245. fol. 198. Omiſſa ſunt, quæ (ad majorem confirmationem ſenſus Eccleſiæ celebrantis feſtum Conceptionis B. V. ſub expreſſo nomine, immaculatæ*) poſueram de approbatione Ordinis Monialium, vota religioſa in facie Eccleſiæ emittentium ad honorem Conceptus B. V. immaculati. Item omiſſa ſunt quædam de mutatione officii feſtivitatis Concept. B. V. facta per* Pium V. *PP. Itaque ad calcem* §. 8. *fol.* 198. *hæc paucula addenda.*

1. IN officio præfatarum Monialium ab Eccleſia approbato feria 4. aſſignatur expreſſus feſti ſenſus ſub his verbis: *Vt qui Matris tuæ puritatem in ſua Conceptione recolimus &c.* Et in hymno, feria 2. dicitur *legem generalis propaginis Virginem non fœdaſſe.* Quod amplius eſt, officium illud continet Decretum Concilii Baſilien. quantumvis ex ſe inefficax, de credenda Virginis præſervatione ab originali peccato in ſua Conceptione, & de celebrando ſub illo ſenſu hoc feſto, atque diſtributum eſt per primas ſex lectiones feria 2. Quod decretum licet ex illius Concilii authoritate, quæ nulla erat, nullam ſortiatur, tamen hinc mihi aliquam & magnam adipiſci videtur, ut bene annotavit Petrus Caniſius Soc. I. 1. de B. V. cap. 7. Quod totum hoc officium ita ordinatum, præ-

dictumque habens inſertum decretum confirmaverint, & confirmatum concesserint recitandum illis Monialibus quinque Summi Pontifices. Quod ex primis earundem Breviarii verbis præſignatum advertitur; hoc enim ejus principium: *Incipit Breviarium ſecundum Ordinem ſanctæ atque immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ indultum, conceſſum, ac confirmatum à Sacroſanctâ Romanâ Eccleſia per Beatiſſimos Pontifices atque Dominos Sixtum* IV. *atque Innocentium* VII. *præfatum Ordinem & Religionem instituentes & Alexandrum* VI. *& Iulium* II. *dictum Ordinem & officium approbantes &c.* Additur præfatos Pontifices ſimul & Leonem X. indultis & indulgentiis dictum Ord. & officium corroboraſſe. Vide Waddingum in Hiſt. Legat. fol. 190.

2. Præfato aperto feſti ſenſui non obeſt, Pium V. PP. ann. 1559. ſubrogaſſe aliud officium pro tota Eccleſia. Etſi enim officium, non tamen myſterium mutavit, ſed ritum, qui variabilis eſt, ut apertè colligitur, non tantum ex ipſiuſmet Pii V. ſubrogato officio, in quo Conceptio B. V. *ſancta* conclamatur, & ipſa Virgo *omni laude digniſſima*: ſed etiam facultate factâ FF. Minoribus per ipſum Pium V. ad ann. 1569. die 25. Maji ut teſtatur Vinc. Iuſtinian. per Sixtum V. & Paulum V. reſumendi & recitandi officium aliàs à Sixto IV. toti Eccleſiæ traditum, correctum tamen juxta ordinationem Pii V. Aliàs vel Sixtus IV. qui inſtituit, vel Pius V. qui mutavit, erraviſſet &c. quod de aliquo Pontifice ſuſpicari in inſtituendis feſtis impium eſſet & erroneum. Quoniam Eccleſia in inſtituendis feſtis gubernatur Spiritus Sancti ductu, unde in illis errare non poteſt, ut Leo PP. his verbis declaravit: *Verum, quia Spiritus ſapientiæ & intellectus ita Apoſtolis, & totius Eccleſiæ erudivit Magiſtros, ut in Chriſtiana obſervantia nihil inordinatum, nihil pateretur eſſe confuſum, diſcernendæ cauſæ feſtivitatum.* In quo teſtimonio pondera Eccleſiæ Paſtores Spiritu S. inſtrui in his quæ pertinent ad obſervantiam Chriſtianam, qualia advertit Leo eſſe diſcernere cauſas & myſteria feſtivitatum, 2. in his non poſſe errare, cum gubernentur Spiritu ſapientiæ Dei, ob quod nihil patitur eſſe in Eccleſia malè diſpoſitum, ac nihil confuſum.

Wadding. fol. 192.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM MEMORABILIUM.

A.

ABraha bene fuit cauſa uxoris, fol. 51.
Abraham à Deo magnificatus, 69. Idem in lymbo novit vitam divitis epulonis, 66.
Abſolom agente muliere ab exilio revocatus, 51.
Adam à Deo duplicem accepit vitam, 57. Ænigmatice vocavit uxorem Hevam, 57 Ejuſdem miſer ſtatus poſt lapſum, in dedic. ep. & lect. 1. per totam. Idem poſt lapſum vocavit uxorem Hevam minus juſtè, 57. ei non bene erat ſine muliere, 50.
Adam & Heva prius peremptores, quam parentes, 62. Adam arguendus vocans uxorem Hevam, 61. Ipſe formatus ex terra impolluta, 183. Ipſe peccato ſuo nullum intulit præjudicium potentiæ & miſericordiæ Dei, 181. Ipſius poſteri habent debitum contrahendi originale peccatum, 239.
Ada, Theoderici Aveſnenſis uxoris, devotio ad B. Virg. 135.
Æternitatis duratio, 52.
Albertus magn. vocat B. V. totius mundi reconciliatricem, 87.
Alexander VI. PP. dedit indulgentias ad ſalutat. Angeli, 136. Idem approbavit ordinem & officium Monialum immaculatæ Conceptionis vide ad calcem libri.
S. Ambroſius confert B. V. cum arca Teſtamenti, 46. Idem deſcribit vitam irreprehenſibilem B. V. 280.
Ambroſius Catharinus docet Eccleſiam celebrare Conceptionem B. V. ſanctam, 192. & ſeq.
Amantur non niſi nota, 8.
Amor inordinatus Deum non reſpicit, 25.
Amor divinus cæteros amores captivat, 25. Remittit pœnam, 23. Amoris Dei ſigna, ibid. & 25. amor divinus non excludit proximum ab amore, 26.
Amor Dei quid, 186. Fructus, 30. Quid operatus in B. V. 187. Incomprehenſibilis erga B. V. 186. & 187. Merces, vita beata, 27. 30. Amoris divini proprietates marg. 340. Amor Dei unit hominem Deo ibid. Curat bonum illius marg. 341. Cogitat aſſiduè Deum, 274. rapit hominem à ſe, 277. Virtutes generat, nobilitat, perficit, beat. 278. & ſeq.
Amor B. V. ad Deum, Deum captivavit, 113. Ejuſdem ad Deum amor naturalis marg. 336. Supernaturalis m. 338. Acquiſitus marg. 339.
Amor proprius obnubilat intellectum, 49.
Amor divinus B. V. fuit ſummus marg. 338. Continuus, 275. & ſeq. traxit Deum ad terras, 294. Ejuſdem amor ad filium non potuit eſſe nimis marg. 337.
Amor B. V. ad genus humanum, 151. & ſeq. confertur cum amore Chananeæ, 152. Moyſis, Pauli, 156.
Amor matris ad filium alios amores ſuperat marg. 336.
Amor ad creaturam temperari debet marg. 337.
Amor naturalis cedit ſupernaturali, marg. 338.
Ananias & ſocii in fornace petunt gratiam ob Abraham, Iſaac &c. 73.
Animæ cibus, in Prologo.
Angeli conoſcunt quid hic agatur, 66. Adjuvant nos, ibid. Qualiter creati. 185. Famulantur B. V. 378. Oblectantur ſalutatione Angelicâ, 119. B. V. laudant marg. 381.
D. Anſelmus docet immunitatem B. V. ab originali pecc. 182. 189. Deum B. Virginis omnia poſſibilia feciſſe, 115. Idem de affectu & potentia B. V. 78. Idem docet peccatorem interdum celerius veniam conſequi invocans B. V. quam Chriſtum, 78. Idem de gloria B. V. & triumpho ad cœlum marg. 374. Ipſius,

Digitized by Google

tempore revelationes de immacul. Concept. B. V. credi cœperunt, 210. Docet B. V. eundem cum Deo habere filium, 168.

Antipater Cæſarem placat vulnera monſtrando pro eo recepta, 16.

S. Antoninus B. V. vocat Matrem gratiæ, portam cœli, 45. De loco B. V. in cœlo marg. 377. Nimis facile quidlibet angeſſit in ſuam Hiſtoriam, 224.

Apoſtoli Chriſti gratiam mundo prædicarunt, 19. piſcatores hominum qualiter, 81. Conveniunt ad obitum B. V. 295. & ſeq.

B. Arnulphi Ord. Ciſterc. devotio ad B. V. 143.

Aſſumptio corporis B. V. cum anima, 296. Revelata S. Birgittæ marg. 370.

Ave MARIA vel unicum quanti meriti, 128.

Auguſtinus quantum delectabatur ab infantia in pronunciatione nominis IESV, 131. Recurrit ad B. V. velut unicam ſpem peccatorum, 88. Docet Chriſtum matrem creâſſe dignam ſe, 184. Item non coli feſtum niſi de ſanctitate, 191. Vult doctrinam ſuam ſequendam ubi non errat, 208. Sperat, & B. V. orat, 88.

Aug. docet B. V. eſſe matrem fidelium, 35. Cauſam evectionis B. V. inquirit, 43. opponit B. V. Hevæ, 62.

Aureola quid, marg. 371. Virginitatis Aureola, ibid. Martyrii, ibid. Doctoratus, ibid.

Author Manualis Prædicatorum pro immaculata Concept. B. V. 192.

B.

BArtholomæus à Medina pro immacul. Concept B V. 193.

Baruc Propheta attendi petit mortuorum preces, 73.

S. Baſilius Magnus ſuadet patrocinium 40. Martyrum, 74. Servatur cum ſuis ope B. V. 95.

D. Baſilius Seleuc. Epiſc de poteſtate B. V. 77. Idem docet non errare qui de B. V. glorioſa omnia dicit, 186. fin. Item docet eamdem ab omni peccato immunem, 261.

Beati in cœlis æquales Angelis, 66. In cœlo quæ cognoſcant ibid. Illorum charitas major & firmior, 75. gerunt curam noſtri ibid. Hinnulis comparantur in dedic. B. V. Deum agnoſcunt per lumen gloriæ, 9. Eorum dominium reſtrictum in 2. epiſt. dedic. Agnoſcunt quæ circa nos aguntur, 66. Qualiter venerandi, 72. Utuntur patrocinio B. V. 85. Plura, verbo Sancti.

S. Benedictus puer miracula fecit, 275.

S. Bernardini devotio ad B. V. 144. In meditatione nominis quantum oblectabatur, 122. B. V. obtinuit juriſdictionem in gratias Spiritus S. ut ait Bernardinus, 34. & ſeq. tradit bonum ex obedientia B. V. profectum, 39. Docet eam omnium electorum matrem, 53. Speravit in B. V. & invocavit, 90. Eſt pro immaculata Concept. B. V. 185.

S. Bernardus opponit B. V. Hevæ, 62. Docet homines participes fieri gratiæ B. V. 64. De poteſtate B. V. 63. Virtutes B. V. vocat lilia, 43. Sanctorum invocationem miraculis confirmavit, 74. B. V. confert cum arca teſtamenti, 45.

D. Bernardus declarat quid ſingulæ ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ B. V. contulerint, 47. Suadet patrocinium B. V. 47. 78. 80. Speravit in B. V. & invocavit, 89. Removet à B. V. omnem corruptionem, 185. Docet qualiter B. V. à filio ſuſcepta in cœlum, marg. 375. De gloria B. V. marg. 376. 379. Docet eam filio principari, 179. Item omnia dari per B. V. 34.

S. Birgitta immaculata Conceptio B. V. revelata, 212. Et ſeq. in Revelationibus B. Birgittæ qualiter deſcribatur vita B. V. marg. 285. Veritas revelationis de immaculata Concept. 214. & ſeq. eidem revelatum B. V. à filio obtinere quod petit, 72.

Blanca, Regina Franciæ, fœcundatur ex devotione ad ſalutationem Angel. 123.

S. Bonaventura conſulit conſpectum ad B. V. 88. Comparat B. V. mari reſpective ad gratiam, 259. Liberat eam ab omni actuali peccato, 261. Virtutes illius deſcribit, 289. Item gloriam B. V. in cœlis marg. 378. De ſalutatione Angeli, 121. Docet B. V. eſſe viam ad Chriſtum in dedic. 2. Et 48. Comparat eam domui. In Prol. De poteſtate B. V. 78. Comparat eam virgæ, 48. Docet eam cum filio ditiſſimam, 33.

C.

CArolus Borromeus quàm devotus. 150. *fin.* Carolo Birgitta filio B. V. in morte adſtitit. 99.
Caſtitas B. V. reddidit Deo familiarem. 112.
Catharina Sen. revelatio contra immaculatam Concept. B. V. 223. An vera ibid. & 226. An ſuſcipienda, 227. Et revelatum devotum ad B. V. non periturum, 78.
S. Catharina apparet cum B. V. latronibus, 147.
Charitas fecit B. V. propinquam Deo, 112. Eadem Deum captivavit, 112. Meruit eſſe mater Dei, 294.
Chriſti notitia vita æterna, 17.
Chriſtus hinnulus in dedic B. V. caprea ibid. Docet modum mendicandi, 8. Mediator hominis, 14. 19. Noſtra juſtitia, 19. Qualiter interpellet pro nobis ibid. Cicatrices retinuit, cur, ibid. Abrahæ revelatus, Moyſi oſtenſus, David promiſſus, nobis datus, 18. Eo nihil majus, aut melius, 18. Qualiter ſalutem humanam curet, ibid. Ipſius merita in ſacramentis, ibid. Ianua ſalutis, 19. Paſtor bonus, ibid. Invitat ad ſe peccatores, ibid. Clementia illius exempla, 20. Amicus habendus, 22. Pœnitentia conciliandus, ibid. Merita ejus ad menſuram amoris communicantur, 23. Chriſti clementia, 18. Doctor, & adjutor, 24. Illi inſerviendum cum vitæ diſpendio, 26. In omni indigentia rogandus, 23. Semper amandus, 25. De illius clementia non diffidendum, 21. Chriſti adventus qualis, 28.
Chriſtus qualem matrem voluerit, 39. 40. Qualibus liliis paſcatur, 42. Cur Nazarenus, candidus, 42. Parat viam ad Deum, 48. Homini datus in pretium redempt. B. V. in ſolatium, ibid. Chriſtus in Ioanne voluit Matri omnes fideles commendatos, 54. Chriſtus cur primogenitus, 55. Ipſe conſtituit ſe B. V. debitorem, 82. Matrem exaudiens reddit vices carnis acceptæ, 83. Qualiter unus mediator, 81. Quam differenter à Sanctis, 82.
Chriſtus Matris gloriam ſuam reputat, 115. Simpliciter ſalvator. Matri nihil denegat, 79. Sanguinis Chriſti gutta quanta virtutis, 115. Chriſti dignatio erga Matrem, 115. Chriſti imperium ad matrem redit, 175. In ira ſuadet legere ſalutationem Angeli, 125. Ejus tormenta ad matrem tranſierunt, 157. Diſcrimen inter eum patientem & matrem compatientem, 160. Chriſtus à patria poteſtare non fuit exemptus, 177. Matrem honorans eam præſervavit ab originali pecc. 182. Ei dedecus fuiſſet carnem ſibi unire quandoque pollutam, 184. Ipſe per ſe immunis à pecc. origin. 188. Ipſe præſervator Matris ab origin. 194. Cur inſtituerit S. Euchariſtiam, 265. Inſtituendo V. Sacramentum matri rependit reciprocum amorem marg. 332. Mechtildi revelavit perfectionem ſuæ Matris, 288.
S. Cyrillus Alexandr. vocat B. V. Margaritam mundi pretioſam aliiſque encomiis eam proſequitur, 35.
Claudius Aquaviva particularem docuit devotionem ad B. V. 125.
Clemens VIII. PP. probavit expoſitionem Bellarmini ad illa verba Angeli Gratia plena in qua complectitur immaculatam Conceptionem B. V. 215.
Clerico ægro præbet ubera, & ſanat. 124.
Cognitio Dei ad ſalutem neceſſaria, 1. &c. Item ſui 2. Cognitio ſui fundamentum humilitatis, & timoris Dei, ibid. Cognitio Dei, 17.
Communicatio fractionis panis quid marg. 332.
Communio B. V. 264. & ſeq.
Conceptio B. V. M. immaculata, 180. & ſeqq. Devoti ad Conceptionem à luxuria emendantur, 126. Conceptionis immaculatæ opinio quando cœperit invaleſcere, 210. Conceptio immac. revelata Helſino Abbati, S. Norberto, S. Gertrudi, B. Amadeo, B. Joanna à Cruce, 211. &c. Item B. Birgittæ, 212. Miraculis confirmatur, 230. & ſeq. Conceptionis immaculatæ credulitas quanta, 233. & ſeq. Conceptionis immaculatæ ſententia non poteſt eſſe falſa 234. An ultimo ad definitionem diſpoſita, 251. Proximè definibilis ſine Concilio generali, 252. Oppugnantium Conceptionem immacul. minor fidelitas, 205. Moriens pro immaculata Concept. an martyr, 254. Conceptio maculata an ſit Patrum communis ſententia, 205. 206. & ſeq. Conceptio maculata repugnat traditioni Eccleſi-

cleſiæ , cultui Eccleſiaſt. 220. *Conceptionis maculatæ promulgatores divinitus puniuntur,* 230. & *ſeq.* *Conceptionis macul. ſententia parum probabilitatis habet*, 235. *Nec poteſt definiri ab Eccleſia*, 253.
Concilii Baſileenſis decretum circa Concept. immaculatam B. V. *robur ſumit à variis Pontificibus approbantibus regulam Monialium immacul. Concept.* B. V. *vide ad calcem libri.*
Concilium VII. *gener. de præſtantia* B. V. 33. *Dicit anathema non invocantibus* B. V. ibid.
Concilium Chalcedonenſe invocavit S. Flavianum, 34.
Concilium Tridentinum damnat negantes cultum ſanctorum , 76. *Idem ſtat pro immacul. Concept.* 197. & 216. *Patres Concilii Trid. uſi ſunt officio immacul. Concept. & miſſa à Sixto* IV. *univerſæ Eccleſiæ traditis* , 198, *Decernit* B. V. *non peccaſſe venialiter* , 260. *fin.*
Concilium generale cur congregetur, 215. & 253.
Confeſſionem ſuis clientibus B. V. *procurat* , 101. & *ſeq.*
Conſtantinopolis ope B. V. *à peſtilentia liberatur,* 323.
Conſtantinus Copronymus impius erga B. V. 65. *Vide marg.*
Conſtitutiones Sixti IV. *pro immacul. Concept.* 193. & *ſeq.*
S. Cornelius invocavit Apoſtolos Petrum & Paulum, 74.
Corolla B. V. 138. 146. *Miraculum,* 147.
Corona B. V. 137. 141. & *ſeq. approbata per Leonem* X. 138. *Author Coronæ* B. V. 141. *In ea recolenda gaudia & dolores* D. V. ibid. & *ſeq. Miraculum* , 142. *Coronam dicens roſas exhalat,* 142. 144.
Converſio ad Deum non differenda , 28. *Differre periculoſum,* ibid.
Creator ex creaturis dignoſcitur, 2.
Creaturæ omnes Matri Dei reverentiam debent, marg. 381.
Credulitas multiplex, 233. & *ſeq.*
Culpa remiſſa non ſtatim omnis pœna remittitur, 23.
Cultus latriæ , duliæ , hyperduliæ marg. 380. 382.

D.

D*Amnati in inferno quamdiu torquebuntur,* 60.
David quàm charus Deo, 71. *Spem in ſolo Deo ponebat,* 7.
Dæmonum vis ope D. V. *impeditur*, 119. & 120.
Debitum contrahendi peccatum origin. ab Adam , 239. &c. *Debitum remotum & proximum,* ibid. & *ſeq.*
Devotio ad D. V. *Conceptionem immacul. juvat ad caſtitatem.* 126.
Deum noſſe , *vita æterna* , 1. *Illum ignorans pecus*, ibid. *Solus indigentiæ humanæ ſatisfacit* , 7. *Dei cognitio unde habeatur* , 2. & 8. *Dei nomen* , Qui eſt , 9. 10. *Nomen illud ſoli ei convenit* , 10. *Deus ſuum eſſe, & omnium rerum eſt*, ibid *Deus Spiritus eſt* , 11. *Qualiter ei attribuantur aures, oculi &c.* ibid. *Spiritus immenſus* , ibid. *Attributa in re eadem cum eſſentia*, 11. *Deus ſolus bonus, ſanctus* , *beatus &c.* ibid. *Trinus & unus,* 8. 11. 12. *Unde noſcatur* , 8. *Quantus amor* , *laus &c. Congruat* , 14. *Divinum* eſt *quid importet* , 10. *Deus laudandus juxta magnitudinem* , 14. *Quali hoſtia placandus,* ibid. *Jugiter amandus* , 25. & *ſeq. Quantum diligendus* , 26. *Quis eum verè diligat,* 25. *Deus peccantibus Angelis non pepercit,* 27. *Æquè juſtus ac miſericors* , 28. *Vult ut fideles matre patrona utantur* , 33. & *ſeq. In creatione hominis cur uſus verbo* faciamus ; *in aliorum* , *verbo* fiat , 37.
Deus MARIÆ *fiat prætulit ſuo* , 48. *Mira bonitas Dei ordinans Matrem* , *hominum mediatricem* , 47. *Dei dona per* D. V. *largiuntur* , 34. *Deus differenter agit à cogitationibus hominum* , 69. *Sanctos ſuos honorat,* ibid. *Abraham magnificavit* , ibid. *Ob amicos ſuos aliis benefacit* , ibid *Erga Beatos in cœlis liberalis* , 71. *Ob meritum defunctorum miſeretur viatorum* , ibid. & 72. *Deus vult Juſtum quaſi murum opponi iræ ſuæ* , 75. *Mittit Eliphaz cum ſociis ad Job ut preces illius petant* , 33. *Matrem bonorum ſuorum fecit diſpenſatricem* , ibid. *Deus cur fœminam pro nobis apud ſe vult advocari*, 46. 47. *Deus*

matre

matre Dei non poteſt formare majorem, 169. *Deus Angelos bonos ſervavit ne peccarent*, 182. *Decuit Deum ſibi formare domum congruam*, 183. *Deus nullum opus matre præſtantius creavit*, 184. *Quos ad aliquid eligit, etiam ad hoc diſponit*, 188. *Deus nomina ſibi ſpecialiter propria etiam amicis attribuit*, marg. 368. *Ipſius bonitas erga amicos* marg. 388.
Dignitas excellens D. V. 166. & *ſeq.*
Dilectionis Dei ſigna, 24.
S. *Dionyſius regnans in cœlis uſus eſt patrocinio* D. V. 86.
Doctores qui ex feſto Conceptionis inferunt ejuſdem puritatem, 191. & *ſeq.*
S. *Dominici liber de S. Euchariſtia & puritate* D. V. *in ignem injectus illæſus inde exiliit*, 232.
S. *Dominicus à* D. V. *monetur ut in concionibus populum incitet ad recitationem ſalutationis Angel.* 125.
Domus propitiationis veteris teſtam. in 2. *ep. dedic.*
Dulia marg. 380.

E.

ECcleſia Romana ex antiqua conſuetudine celebrat feſtum Concept. D. V. 217.
Eccleſia invocat D. V. *ut mediatricem & diſpenſatricem gratiæ*, 34. *Non celebrat feſtum niſi de Sancto, vel ſanctitate*, 191. *Adhærendum potius Eccleſiæ determinationi quàm proprio ſenſui*, 192. *Quo ſenſu celebret Conceptionem* D. V. 190. & *ſeq. Dicere Eccleſiam celebrare ſpiritualem Conceptionem erroneum*, 195. *Eccleſia in ſtatuendo cultum divinum non errat.* 196. 253. &c.
S. *Edmundus omittens precem* D. V. *ô* Intemerata &c. *corripitur, & emendatur*, 150.
Elias Proph. oratione claudit cœlum, 70.
Eliphaz &c. mittitur ad Iob ut petat illius preces, 33.
Eliezer refocillatur à Rebecca, 51.
S. *Elzeario* D. V. *data in magiſtram*, 50.
S. *Ephrem* D. V. *ſuam fiduciam & portum fatetur*, 89. *Salutationem Angel. vocat mundi ſalutem &c.* 114. *fin. Quanto affectu illam dicebat*, ibid. D. V. *vocat mediatricem optimam*, 87.
S. *Epiphanius opponit* D. V. *Hevæ*, 62.
Epulo in flammis agnovit conſolationem Lazari, 66.
Eſt *divinum quid importet*, 10.
Eſther figura D. V. 51.
Eva, vide Heva.
Euangelium Chriſti docet ſervare mandata &c. 33.
Euchariſtia cur inſtituta, 269. *Eam frequentabat* D. V. ibid.
Exempla Patrocinii D. V. 91.
Exhortatio ad fiduciam in Chriſto, 21.
Exhortatio ad Patrocinium D. V. 79.

F.

FErdinandi Regis Catholici devotio ad Concept. D. V. 231.
Feſti Conceptionis D. V. *officium à Pio* V. *Eccleſiæ traditum confirmat innocentiam ejus primordialem antea expreſſum in officio Sixti* IV. *vide ad calcem libri.*
In feſtis magnis D. V. *liberat animas è purgatorio*, 106. & *ſeq.*
Feſtum non celebratur niſi de ſanctitate, 191.
Fides divina ad noſcendum Deum neceſſaria, 8. *Fides divina columna ſimilis, & nubis*, 9. *Eadem, licet obſcura, firmam parit cognitionem Dei*, ibid. *Conducit ad meritum*, 9. *Docet Deum eſſe, eumque unum, & trinum*, ibid. & 11. *Ab ignorantia liberat*, 13. *Ejus excellentia*, ibid. *Vexillo ſimilis diſtinguens Catholicos ab aliis*, ibid. *Docet Deum eſſe omnium Creatorem*, 14. *Item Chriſtum eſſe Mediatorem noſtrum apud Deum*, ibid. & 16. *Vincit mundum*, 13.
Fides D. V. 262. *Fide meruit maternitatem Dei*, 293.
Fiducia ponenda in precibus D. V. 75. 78. 79. 80.
Filius Dei ad fiat D. V. *Incarnatus*, 37.
Filius vel idem cum patre ſuo, vel par, 173.
Filius quantumcumque dignitate creſcat, ſemper eſt patre inferior, ibid. *Electione obtinens regnum illud non tranſit ad patrem aut matrem*, 174. *Filii honor cum matris honore*, 175. *Filii nomen libertatem ſonat*, 179.

S. Fran-

Digitized by Google

S. Franciſcus indies Deo incipiebat ſervire, 29. Idem in cœlis regnans uſus patrocinio D. V. 85. Liberat Epiſc. à damnatione æterna, ibid. Idem multam fiduciam habuit ad D. V. & eam invocavit, 9. & ſeq. Idem multum delectabatur in auditu nominis IESV. 131.
Franciſcus Suarez quid ſentiat de virtute precum D. V. 84. & ſeq. Idem docet quantum ſe extendat viſio ſeu cognitio D. V. in cœlis, 67.

G.

GEorgius Venetus D. V. comparat Lunæ, 36. Ratio, ibid.
D. Germanus vocat D. V. ſuum refugium, vitam, & ſpem, 89. Docet in D V. eſſe omnia naturæ vires excedentia, 187, Item nihil non dari niſi per eam &c. 35. Speravit in D. V. & invocavit, 89. Vocat D. V. vitam & ſpem Chriſtianorum, 114.
S. Gertrudi D. V. data in matrem, 50. Habuit revelationem de immaculata Concept. 211. Ejuſdem devotio ad D V. 128.
Gloria D. V. M. eſſentialis & accidentalis marg. 371.
Gloria & pompa ingreſſus D. V. ad cœlum marg. 374. & ſeq.
Gloria & locus ſeſſionis D. V. marg. 376. & ſeq.
Gloriandum qua in re, lect. 1. fol. 1.
Goſceguini Toparchæ Aveſnenſ. pietas ad D. V. 135.
Gratia per D. V. quærenda, 48.
Gratia Chriſti modò quærenda, 28.
Gratiæ plenitudo qualiter in Chriſto, & in D V. 34.
Gratiam aliter velle habere quam media D. V. imperitorem eſt, 36.
S. Gregorius Magnus vocat D. V. Domum Domini, montemque in vertice montium, in Prol. curavit circumferri imaginem D. V. 24.
S. Gregorius Nazianz. invocavit S. Athanaſium vitâ functum, 23.
S. Gregorius Niſſenus Theodorum martyrem invocavit, ibid.

H.

HÆretici Sanctorum invocationi detrectant. 65. ad marg.
Helſino Abbati revelata immaculata Conceptio D. V. 210.
Heva vitam ſignificat, an id nomen illi congruat, 56. & ſeq. Peccando verâ vitâ ſe privavit, ibid. Duplicem à Deo vitam accepit, 57. Ipſa vitam miſeram, mortalem tranſtulit ad poſteros, ibid. Ejus tranſgreſſio quanta mala in mundum invexerit, 59. Qualem laudem mereatur, 90. Noverca potius quàm mater, 62. A diabolo victa, 57. Sine nævo formata, 185.
S. Hieronymus invocavit Paulam vitâ functam, 73. vocat D. V. hortum concluſum, 43. Comparat eam collo, 34. Exponit qualiter D. V. gratiâ plena, 47.
Hyperdulia, marg. 380.
Homo debet 1. ſe noſſe, deinde Deum, 2. Homo ad ſimilitudinem Dei creatus, ratio, in Prol. & 14. Brutis comparatur in Prol. Hominis ſtatus miſer poſt Adami peccatum, 1. & ſeq. Homo Deum ignorans maledicitur, 1. Concipitur & naſcitur in peccatis, 2. Velit nolit miſer, 3. Qualiter Job eum deſcribat, 3. Item Ariſtoteles, 4. David, 5. Salomon, 5. Secure poteſt accedere ad Chriſtum, 17. & 47. Homo per D. V. ſecurum habet acceſſum ad Deum, 48. Homo imbecillitatis exemplum temporis ſpolium, luſus fortunæ, omnis vanitas, 4. & 5. Tota vita patitur jugum grave, 5. Hominis infantia miſerior brutis, 7. Ex natura ſua ad qualibet impotens, 7. Non fructificat niſi in Chriſto, ibid. Antonomaſticè pauper mundi, 7. Neceſſe habet mendicare, ibid. Homo dives & nobilis etiam miſer, 5. & 6. Homo flori & umbræ ſimilis. 3.
Homo res omnes creatas non capit, minus increatas, 22. Humani intellectus infirmitas, ibid. Hominis obligatio ad Deum, 14. Ejuſdem obligatio ad D. V. 160. 161. Quantumvis peccator Chriſti meritis confidat, 21. Ad Chriſti merita pro plena ſatisfactione recurrat, 15. Per Chriſtum apud Deum, & per D. V. ad Chriſtum ſecurum acceſſum habemus,

mus, 47. 48. 112. *Ab Adam homo trahit neceſſitatem incurrendi orig. pecc.* 239. & 218.

Hominis finis idem cum jumentis, 6. *Terrenis rebus affixi Deum non amant*, 25. *Omnes homines ſpectant ad* D. V. 68. *Homo lapſus per fœminam, per fœminam erigitur*, 46. *Homines ſancti mortem præ vita præſenti optarunt*, 58. *Homo in nativitate cur ploret* 59. *Noſtra opera Deo offerenda per* B. V. *marg* 402. *Homo totus dependet à Deo*, 9.

Homo diligens Deum, 25. *Homo an poſſit beari majori gloria quam* D. V. 67. *Homo carnalis defunctus ope* D. V. *reſuſcitatur*, 116. *Homo orare debet velut infirmus, pauper, & famelicus*, 148.

Honor exhibendus D. V. *marg.* 380. & *ſeq.*

Honor in quo conſiſtat marg. 380. *Honor creaturæ exhibendus, præſtantiori modo debetur Matri Dei, marg.* 383. *Honor filiorum ad parentes recurrit.* 172.

Humilitas D. V. 262. *Cauſa illius exaltationis*, 112. & 43. *Item cauſa maternitatis Dei*, 293.

Humilitas mater ſalutis, 2.

Humani jugi gravitas, 5.

I.

I*Acob benedictionem accepit mediante matre*, 51. *Idem in precibus pietatem parentum Deo objecit*, 73.

F. *Jacobi de Coronis pietas ad* D. V. 145.

Idiota qualiter deſcribat D. V. 284.

Ieremias Propheta maledicit diei nativitatis, 58. *Idem defunctus orat pro populo*, 77.

IESV *nomen invocandum*, 131. *Nomen* IESV *ei magni ſtetit*, 149. *Idem nomen oleo, luci, cibo comparatur*, 130. *Item ſoli*, 131.

S. *Ignatius quantum ad nomen* IESV *afficiebatur*, 131. *Illud nomen in corde ipſius ſcriptum habuit*, 132. *Deſcribit virtutes* D. V. 183. *Docet Chriſtum debuiſſe ceteris nobilius naſci*, 183.

Ignorantia Dei & ſui damnabilis, 1.

Ildephonſus tradit glorioſum ingreſſum D. V. *ad cœlum, marg.* 374. *Deſcribit ſanctitatem* D. V. & *eam comparat virgulæ fumi, marg.* 356. *Item agit de ingenti amore* D. V. *marg.* 338.

Imago D. V. *avertit faciem à concionante ipſius maculoſam Concept.* 230. *fin.*

Imperium tripliciter acquiritur, 174. *Duplex ſpirituale & politicum*, 175.

Impoſſibilitas pereundi qualiter ſtet cum libertate hominis, marg. 390.

Incarnationis filii Dei feſtivitas pertinet ad SS. *Trinitatem ad* D. V. *Angelos & homines*, 39.

Indi etiam ad immaculatam D. V. *Conceptionem devoti*, 219.

Indulgentia ad ſalutationem Angel. 136.

Innocentius VIII. *dedit indulgentias ad ſalutationem Angel.* 136. *Idem inſtituit Ordinem immacul. Concept. vide ad calcem libri hujus.*

Intellectus captivandus in obſequium fidei, 13. *Talis captivitas glorioſa*, 13.

Invocatio Sanctorum, 71. & *ſeq. Confirmatur miraculis.* 74.

Joann. Avila tradit plures caſtos evaſiſſe ob devotionem ad D. V. *Conceptionem*, 126.

S. *Joann. Apoſt. vidit* 24. *Seniores orantes pro fidelibus*, 76. *Communicavit* D. V. *marg.* 332. 265.

Joann. XXII. *ad ſalutationem Angel. dedit indulgent.* 136.

Joannes Capiſtranus propagator Coronæ D. V. 141.

S. *Joann. Chryſoſt. recurrit ad* D. V. *pro venia*, 88. *Sanctitatem* D. V. *deſcribit marg.* 288. *Tradit rationem ejus electionis ut eſſet mater Dei*, 47. *Idem ſperavit in* D. V. & *invocavit*, 88.

S. *Joannes Damaſc. alligat ſe ad* D. V. *velut ad ancoram*, 89. *Docet filium Dei matri ſuæ omnes res creatas in ſervitutem tradidiſſe*, 33. *Deſcribit mores* D. V. *marg.* 355. *Speravit in* D. V. & *invocavit*, 89.

Joannes Duns Scotus, docet excellentius matri Dei eſſe attribuendum, 187. *Liberat matrem à debito proximo incurrendi origin. pecc.* 248. *Liberatq; eamdem ab origin. & actuali*, 261.

Joann. Eckius ſtat pro immaculata Concept. D. V. 198.

Joannes Gerſon quid ſentiat de loco D. V. *in cœlo marg.* 377. *Docet etiam* D. V. *in Aſſumptione ad cœlum evacuaſſe purgatorium, marg.* 377.

Joannes Godefridi Epiſc. Bamberg. pietas ad D. V.

Virg. 161.
Joann. Trithemius pro ſtat immacul. Concept. D. V. 192.
Joannes Viguerius ſtat pro immac. Concept. D. V. ibid.
Job diem nativitatis ſuæ deplorat, 58. *Idem pro amicis orans placat Deum*, 33.
Iſraelitæ & Hebræi per mulieres à ſervitute eruuntur, 51.
Judicii dies metuendus, 29.
Jugum grave hominis in quo conſiſtat, 5.
Julius II. PP. *ordinem & officium Monialium immaculatæ Concept.* D.V. *confirmavit vide ad calcem libri.*
Juſtus, murus ſe opponens iræ Dei, 75. *Juſti defuncti mundo apud Deum vivunt*, 71. *Eorum rationem habet* Deus, ibid.
Juvenis diſſolutus per recitationem roſarii emendatur. 126. *fin.*

L.

Latriæ cultus, ſoli Deo proprius marg. 380.
Latro in cruce, 20.
Latrones à D. V. *increpati, emendantur*, 142.
Laudandi D. V. *praxes*, 162. *& ſeq.*
Laurentius Surius ſtat pro immacul. Concept. D. V. 192.
Leo PP. iſtius nom. X. *confirmavit indulgentias conceſſas à Sixto* IV. *pro immacul. Concept.* D. V. 190. *Item plenariam conceſſit FF. minoribus in feſto Concept.* D. V. ibid. *Idem dedit indulgentias ad ſalutat. Angeli*, 136. *Idem approbavit varias coronas* D. V. 138.
Loth gratia Abrahæ ab incendio eripitur, 69. *Idem obtinet ne Segor urbs conflagretur*, 70.
S. Lucia cum D.V. *apparet latronibus*, 147.
Ludovicus Bloſius ſtat pro immacul. D.V. *Concept.* 192.

M.

S. *Magdalena*, 20.
Malum non faciendum ut veniat bonum, 3.
B. V. MARIA.
Comparatur cervæ, in dedic. D. V. *ipſa plena uberibus*, ibid. *Comparatur velocitati hinnulorum ut ſuccurrat.* ibid. *Ejus miſericordia*, ibid. *& in dedic.* 2. *Chriſtum lactans ab eo accepit ubera clementiæ*, ibid. *in dedic.* 2. *Via regia ad Chriſtum in* 2. *dedicat. &* 63. *Civitas refugii, in* 2. *dedicat. Domus propitiationis*, ibid. *Ejus dominium late patens in* 2. *dedicat. Mons in vertice montium*, in Prologo *Diſpenſatrix bonorum Dei*, 33. *Concipiens filium Dei obtinuit juriſdictionem diſpenſandi gratias Spiritus* S. 34. *Quam opulenta*, 33. *Ejus obedientis* fiat *quid portendat*, 34. *Ejus* fiat *quod bona invexerit*, 39. *Feneſtra cœli*, 45. *Mater gratiæ*, ibid. *&* 35. *Margarita pretioſa orbis terrarum*, ibid. 35. *Specioſior quam totus mundus*, 41. *Scala cœleſtis*, 45. *Collum*, 34. *Arca novi teſtamenti*, 46. *Hortus*, 42. *Mater ſpiritualis fidelium*, 35. *&* 49. *Luna comparatur & Chriſtus ſoli*, 36. *Habuit perfectiones omnium creaturarum*, 40. *&* 42. *Illius laudes*, 39. 40. *Humilitas cauſa ejus exaltationis*, 43. *Sine exemplo placuit Chriſto*, ibid. *Gratiâ plena differenter à Sanctis*, 47. *Cur mater Dei electa*, 47. *Patrona ad Chriſtum*, 48. 63. 112. *In mortis agone ſpecialiter invocanda*, 49. *Munia ejus Chriſtum nobis dare &c.* ibid. *Mater cunctorum viventium*, 49. *&c. Ipſa revelavit præſtantiam ſalutationis Angelicæ*, 118. *Sola hominis captivo ſubſidio fuit*, 52. *Chriſtum concipiens & pariens, etiam homines concipit & parturit*, 53. *Mulier fortis*, 51. *Mater pulchræ dilectionis*, 56. *Vita*, 61. 113. 114. *Spes Chriſtianorum*, 113 114. *Angelo credendo tantum profuit, quantum Heva obfuit*, 61. *Qualiter Hevæ opponatur*, 62. *Illius authoritas & poteſtas*, 63. 77. *marg.* 388. *Illi nihil impoſſibile*, 63. *Accepit gratiam pro omnibus*, 64. *Maxime idonea ad placandum Deum*, 64. *Illius uterus medium terræ*, 65. 83. *& ſeq. &* 113. *Illius cultores non poſſunt damnari marg.* 388. *Cognoſcit ſtatum in quo ſumus &c.* 66. 67. *&c. Multocula*, 68. *Similis animalibus Ezechielis*, ibid. *Gerit curam fidelium*, 68. *Toti mundo ſalutem obtinuit*, 71. *Peccatorum ſcala, nec patitur repulſam*, 71. *&* 115. *Obtulit ſe morti pro genere humano*, 165. *& ſeq. Deum captivum protulit & propitium*, 52. *Tota ſuavis*, 113. *Orat pro defunctis & impetrat*, 79.

Digitized by Google

Item pro peccatoribus, ibid. Preces ejus prævalent precibus Abrahæ, Loth &c 70. fin. Stella Jacob ſalutaris, 80. Stella mundi, ibid. & 88. Illi paret Michaël Archangelus, ibid. Quantum excellat Sanctos in ratione interpellandi, 82. 83. & ſeq. Ipſa concurrit ad opus redemptionis, 82. & marg. 389. & ſeq. Rogatur à S. Franciſco pro Epiſcopo malè defuncto, 85. Advocata optima, 87. 112. Quantum bonum mundo attulerit, 93. Promptitudo ejus ad ſuccurrendum, 83. Quantam curam agat ſuorum, 77. 84. Refellit argumenta dæmonum pro ſalvando peccatore, 100. MARIÆ nomine invocato facilius interdum obtinetur venia, quam invocato nomine JESV, 78. marg. 398. Sacrilegum Judæum pœnitentem ſanat, 93. Miracula D. V. in obitu, 93. Tres mortuos ſuſcitavit, 101. Liberat mundum ab ultione divina, 95. Suis devotis confeſſionem procurat, 100. & ſeq. Eoſdem à periculis eruit, 103. De plenitudine ejus omnes participant, 113. Docet novitium coronam recitare. 141. Illuminatrix, 114. Illi devotus non peribit, 114. marg. 388. Precibus velut floribus ornatur, 128. Pluſquam Martyr, 158. & ſeq. Animas in purgatorio juvat, 105. Fructus Salutationis Angel. 111. Matronam à dæmonis poteſtate ſervat, 104. Amanda, & in virtutibus imitanda, 161. & ſeq. Forma Dei, 167. Mater Dei, titulus ex quo Theologi ejus ſingulares prærogativas deducunt, 167. Cum Deo Patre eumdem filium habet, 168. Nobilitatem præcipuam trahit à filio Deo, 169. Filia Patris æterni, 169. fin. Sponſa Spiritus S. 171. Imperium habet in Angelos, homines, & dæmones, 177. & ſeq. Habuit patriam poteſtatem in filium viatorem, 178. & ſeq. Filio principatur, 179. Immaculatè concepta, 180. & ſeqq. Aula propitiationis, 163. Pluſquam Adam & Heva, 185. Electa ut ſol. 185. Ignominia ejus redundat in filium, 188. Vas electionis, ibid. Singularem affinitatem cum Chriſto habet, 188. Prima fructum hauſit ex pignore, 189. Primogenita redemptoris, ibid. Præſtantius cæteris redempta, 189. An immunis fuerit à debito contrahendi originale pecc. 243. & ſeq. Sententia negans debitum actuale in D. V. 244. & ſeq. Sententia tribuens remotum debitum, 247. Quod fuerit in origin. pecc. concepta nequit de fide definiri, 253. Pro ſententia immacul. Concept. defenſione moriens, martyr, 256. Plena gratiâ quadrupliciter, 260. & tripl. 259. Ejus plenitudo gratiæ qualiter differat à Chriſti plenit. 258. Comparatur Jordani, 258. Mare gratiarum, 259. Pro omnibus hominibus recepit gratiam, ibid. Ejus immunitas ab actuali pecc. 260. Virginitas, 262. Fides, ibid. Humilitas, ibid. Charitas, 263. Devotio, ibid. Devotio ejus ad S. Euchariſtiam, 264. & ſeqq. Etiam in die cœnæ communicavit, marg. 334. Omnem laudem ad Deum referebat 262. Grata Deo, 263. Obedientia, ibid. Pudor, 264. Ab infantia timuit & amavit Deum, marg. 335. Vovit virginitatem, marg. 335. Parentum colloquia vitabat, marg. 335. Illius naturalis amor ad Deum, marg. 336. Supernaturalis, marg. 338. Acquiſitus, marg. 339. Extaticus, 277. Qualiter curavit bonum Dei, 272. Ejus opera maximæ perfectionis, 273. Non habuit parem in amore, 277. Habuit uſum liberi arbitrii ab utero matris, 275. Dormiens, vigilabat corde, 275. & ſeq. Illius ſanctitas ex Patribus, 279. & ſequent. Illius ſalutatio, Deo gratias, 279. Modus ejus vivendi, 279. Gerebat curam ſodalium, ibidem. Ipſa vivum mundi ſimulacrum, 280. Ejuſdem perfectio in virtutibus, 281. & ſeq. Viſitabat poſt Aſcenſionem loca ubi Chriſtus paſſus, 293. Mortua eſt ut filia Adam, ut mater Dei aſſumpta in cœlum, 296. fin. A tribus maledictionibus libera, marg. 370. fol. 297. Ejuſdem gloria eſſentialis, accidentalis, marg. 371. & ſeq. Aureolis donata, marg. 372. & ſeq. 298. Hyperduliæ cultu veneranda, marg. 380. Dea, reparatrix, omnipotens, quo ſenſu, marg. 386. & ſeq. Qualiter concurrit ad ſalutem humanam, marg. 389. Ipſa ſtupendus Eccleſiæ theſaurus, & velut ſacerdos, marg. 393 Cœlum firmamentum, marg. 394. Meruit de congruo maternitatem Dei, 292. Ejus mors, 295. Corporis incorruptio, 296. &c.

Maria Ægyptiaca ope D. V. converſa, 97. Oratio ejuſdem, 98.

Martini Navarri devotio ad D. V. 147.

Martyrium in quo conſiſtat, 254. Moriens pro defen-

defenſione ſententiæ immacul. Conc. D. V. an ſit martyr, 256.
Maternitas Dei, dignitas infinita, 168.
Mechtildi D. V. revelat quantum à ſanctiſſima Trinitate evecta, 116. Eidem Chriſtus revelavit perfectionem matris ſuæ. D. V. illi data in tutelam, 50. D. V. ei revelavit excellentiam ſalutationis Angel. 118.
Meritum Chriſti, 18.
Meritum D. V. 189. & ſeq.
Meritum condignum, 289. Meritum congruum, 292.
Meritum maternitatis Dei variis virtutibus D. V. attribuitur à SS. Patribus, 293.
Meritum defunctorum reſpicit Deus, 71. & ſeq.
S. Methodius patrocinium D. V. cæterorum præfert, 87.
S. Michaël paret D. V. 80.
Miles in corde ſculptum habuit, Amor meus IESVS, 132.
Miles prædo dum recitat Ave MARIA ante imaginem D. V. puer IESVS emittit ſanguinem, 155.
Miles adulter perdit vires, 127.
FF. Minores devoti & propagatores recitationis Coronæ D. V. 141.
S. Minulphus utitur patrocinio D. V. jam defunctus, 86.
Miracula D. V. frequentia quid mentibus ingerant, 45.
Miracula D. V. 93. & ſeq.
Miracula in probationem Conceptionis immac. D. V. 230.
Moyſes & Aaron. 70.
Moyſes orans patronos adhibuit, 73. Idem. Deus Pharaonis, 312. Idem cum fratre placat Deum, 70.
Moniales Conceptioniſtæ profitentur ſub titulo immaculatæ Concept. B. V. vide ad calcem libri.
Monachus negligens vocatus ad Dei tribunal à B. V. defenditur, 115.
Monachus Ciſtercien. quantum in meditatione ſalutationis Angel. delectabatur, 122. B. V. apparet Monacho Ciſtercien. indies dicenti 50. Salut. Angel. cum mantello in quo aureis litteris ſalutationes erant deſcriptæ, 124.
Monaſterium per recitationem roſarii reformatur, 126.
Monialis devota Epiſtolam à B. V. accipit, 126.
Mors per Hevam, vita per B. V. 61. & ſeq.
Mors melior quam vita ab Heva data, 58.
Mors hominis eadem cum jumentis, 6. Peccatorum mors peſſima, ibid.
Mortis in agone B. V. ſuis adeſt, 107. Pro morte bona dicenda tria Ave MARIA, 116.
Mortis hora fidendum in Chriſti meritis, 21.
Mulier pertinax in opinione maculoſæ Concept. B. V. & temeraria comburitur, & alia devota ſuſtinens immaculatam Concept. ſervatur, 231.
Mulier devota ad Concept. B. V. in partu non periclitatur, 232.
Mulier ubi deeſt, ibi indigentia, 50.
Mundus ævo B. Franciſci & S. Dominici in maligno poſitus per eoſdem emendatur, & Dei ultionem evadit, 95.
Mundi bona omnia caduca, 5.
Mus Armenus mavult mori, quam fœdari, 181.

N.

S. NIcolaus in infantia exercuit actus virtutis, 275.
Nicolai Pratenſis devotio ad Conceptionem B. V. 232.
Nomen Dei, Qui eſt, 9. & ſeq. Idem ſignificat immutabilem Dei naturam, 10. Attributa quæcumque illuſtria eminenter continet, 11.
Nomen IESV, 129. & ſeq.
Nomen B. V. 121. 123. 136.
Nomen filii libertatem ſonat, 179.
S. Norberto commendatum myſterium Conceptionis, 211.
Novitius monetur legere Coronam B. V. 141. Idem coronam legens liberatur à vitæ periculo, 142.

O.

OBedientia B. V. 37. & ſeq. 263.
Obitus B. V. 295. Diem obitus Eccleſia feſtivans vocat Aſſumptionem, 296.
Occiſus quidam & B. V. devotus non poteſt mori niſi confeſſus, 101.
Orandi modus per globulos, 139. Praxis orandi cum merito, 147. & ſeq.
Orandum pure, 148. Reverenter, ibid. Attente, 149. Ferventer, ibid. Conſtanter, 150.

Digitized by Google

Oratio inſtar columbæ Noë, 23.
Oratio Dominica, 138. & 40.
Oratio juſtorum, 70.
Oratio B. V. & *Sanctorum quantum differant*, 84. 85. 153. *Orationis* B. V. *præſtantia*, ibid. 82. & *ſeq*.

P.

P*Apa an poſſit errare inſtituendo religioſum cultum*, 233.
Pœna peccatis debita ad menſuram amoris remittitur, 23.
Pario & parturio differentia, 56.
Pater naturâ filiorum imperium obtinet, 173. *Pater Regis Rex eſt*, ibid.
Patres vet. Teſtamenti à longe Chriſtum ſalutarunt, 153. *Patres novi Teſtam. an communiter ſentiant* B. V. *in peccato conceptam*, 204. *Patrum & DD. ſententia* B. V. *nullum peccatum actuale commiſiſſe*, 260. & *ſeq*. *Patres docent* B. V. *Angelis eſſe puriorem*. 158.
SS. Patres qualiter deſcribant vitam B. V. 279. & *ſeq*. *Patrum doctrina de ingreſſu* B. V. *ad cœlum, triumpho & gloria, marg*. 374. *Idem docent devotos ad* B. V. *non poſſe perire, marg*. 385. *Patres aliqui vocant* B. V. *redemptricem captivorum, reparatricem hominum, marg*. 396. *Item docent* B. V *eſſe diſpenſatricem donorum Dei*, 34. *Fundantur in Euang*. 37. *Item* B. V. *majorem poteſtatem & ſuffragium præſtantius*, 83. & *ſeq*. & 63.
Patrocinii B. V. *neceſſitas*, 32. 44. 48.
Patrocinium maternum B. V. 49. *Reale*, 65. *Præſtans*, 81. & *ſeq*. *Promptiſſimum*, 82. *Ad omnes ſe extendit*, 84. *Juvat animas in purgatorio*, 105. *Patrocinii* B. V. *exempla*, 91. & *ſeq*.
Patrocinii imploratio in vet. Teſtam. & novo Teſtam. 73.
Patrona ad placandum Deum B. V. *maxime idonea*, 64. 83.
Patroni apud Deum adhibendi, 32.
Paulus Apoſt. perfectus Dei amator, 26. *Infelicem ſe nominat*, 58. *Ipſius amor ad* IESVM, 133. *Os occiſi inclamavit nomen* IESV, & *ad ejuſdem trinum ſaltum tres fontes eruperunt*, ibid. *Affirmat omnes homines in Adam peccaviſſe*, 187.
Paulus Abbas auctor globulorum in precando, 140.
Paulus III. PP. *dedit indulgentias ad pulſam veſpert*. 136.
Paulus V. *fautoribus maculoſæ Concep. indixit ſilentium actuum publicorum*, 237.
Paupertatis humanæ Deus proviſor, 7.
Peccator pro gratia recurrat ad Sacramenta Eccleſiæ, 19. *Converſionem non differat*, 28. *Mortis horâ confidat in Chriſti meritis*, 21. *Quandoque citius habebit veniam accedens* B. V. *quàm Chriſtum*, 78. *Ratio*, ibid. *Devotus ad* B. V. *non damnabitur*, ibid. *Quantumcumque enormis fidat in precibus* B. V. 78. 80. *Ante orationem doleat de offenſa*. 148.
Peccato remiſſo, non ſtatim remittitur omnis pœna, 23.
Peccata crucifigunt Chriſtum, 155.
Peccatum originale, 180. *Non potuit præjudicium inferre potentiæ & bonitati divinæ*, 181. *Peccatum raucedo animæ*, 263. *Quantum malum*, 3.
S. *Petrus Apoſt. ſpondet ſe poſt mortem habiturum curam fidelium*, 77. *In cœlis regnans uſus patrocinio* B. V. 86.
B. *Petrus Damianus docet* B. V. *nihil eſſe impoſſibile*, 67. & 78. *Agit de potentia* B. V. 63. *Item docet theſauros miſerationum Domini eſſe in manibus* B. V. 84.
Petrus Diaz Epiſc. Civitatenſis ope B. V. & S. *Franciſci ſuſcitatur à mortuis*, 85.
Pius V. PP. *mutando officium feſti Concept*. B. V. *ritum variavit non myſterium, vide ad calcem libri*.
Pudor B. V. 264.
Puella ope B. V. *ab inſidiis dæmonis illæſa ſervatur*, 120. *Alii*, ibid.
Puella pro ornatu imaginis B. V. *dicit ſalutationem Angelicam, morientem* B. V. *viſitat*, 123. *Alia diſſoluta emendatur*, 120. *Alterius affectus ad* IESVM, 132.
Puritas B. V. *cauſa maternitatis Dei*, 295.
Puritas omnimoda B. V. *diſponebat ut eſſet digna mater Dei*, 181.

Re

R.

Rebecca figura B. V, 51.
Redemptionis pretium oportuit eſſe immaculatum. 189.
Revelationes ſunt duplicis generis, 219. Privata diſcutiendæ, ibid. Revelationum diſcernendarum regulæ, 214. & ſeq. Dantur ad utilitatem, 218. Probatæ à Doctoribus temere rejiciuntur, 210.
Revelationes pro immaculata Concept. B. V. 210. & ſeq. Diſcrimen inter privatas revelationes & communes, 209. & ſeq.
Revelationes S. Birgittæ, 212. Veritas earumdem, 214. & ſeq. Cohærent cum ſenſu S. Scripturæ, traditioni, & cultui Eccleſiaſtico conformantur, 217. & ſeq. Conducunt ad ſpiritualem profectum, 218. Ejus revelationes approbatæ à Summis Pontificibus & Doctoribus, 220.
Revelatio S. Catharinæ Sen. contra Concept. immacul. B. V. nulla eſt, 223. & ſeq. Conficta ab aliquibus, 226. Rejicienda, 227.
Revelatio maculoſa Conceptionis B. V. numquam fuit ab Eccleſia diſcuſſa, 229. Tantum nititur unius Hiſtoriographi authoritate, de qua vide, 225.
Rex æquè miſer ac ruſticus, 5.
Richardus à S. Victore docet promptitudinem B. V. in ſuccurrendo, in dedic. B. V. item quod poſt Conceptionem filii Dei in gratia confirmata fuerit, 261.
Roma ope B. V. à peſtilentia liberatur, 94.
Roſa egreditur ex ore legentis, Ave MARIA, 142. 144. 147. Roſa ad probationem immaculatæ Conceptionis B. V. ſervat vigorem ac decorem, 232.
Roſarium B V. 137. & ſeq. Item 113. Roſarii utilitas 125. 137. & ſeq. Roſarii preces quanti valoris, 127. & ſeq. Auctor, 140. Roſarium, 150. Ave, 139. Roſarium, 63. vel, 72. Ave, 141. Roſarium, 12. Ave, 146. Praxis recitandi Roſarii, 147. Uſus globulorum ad lectionem Roſarii licitus, 139.

S.

Sabbatho jejunantes opem D. V. percipiunt 101.
Salomon qualiter hominem depingat, 5. Homo ut ceteri, 52. Idem in precibus patris David pietatem objecit, 73. Ob eundum ſuum parentem non toto regno privatur, 71.
Salutare D. V. eſt eam oſculari, 119.
Salutatio Angelica, 109. & ſeq. à ſanctiſſima Trinitate profecta, 110. Quid, ibid. Olim in miſſæ officio dicebantur, 111. Fructus ejus, 111. & ſeq. Item, 156. Primus, Chriſtus Salvator, 111. Secundus, D. V. mater Dei, & hominum advocata, 112. Tertius, prædeſtinatio, 113. Quartus ſalutationis Angelicæ fructus, parturitio bonorum operum, 117. Quintus, benevolentia Chriſti & matris ejus, 117. & ſeq. Sextus, lætitia Angelorum, 119. Septimus, fuga dæmonum, 119. Octavus, ſpiritualis dulcedo & utilitas, 121. Nonus, beneficia divina, 122. Decimus, Correctio vitæ, 125. Undecimus, meritum, 127. Duodecimus, memoratio incarnationis & paſſionis Chriſti, 129. Decimus tertius, utilitas redundat in proximum, 134. Decimus quartus, prodeſt defunctis, 135. Decimus quintus, lucrum indulgentiarum, 136.
Salutatio Angelica quantum D. V. extulerit, 112. Ejuſdem ſublimitas, 110.
Salutationes Angelicæ ſunt quaſi flores pulcherrimi & aurum, 128. Precum omnium optimum condimentum, 134. Roſa, 142. 144.
Salutatio Angeli mundi ſalus, 115.
Sancti non fuerunt abſque peccato, 2. fin.
Sancti curant genus humanum, 75. Nemo tamen ſicut D. V. 82. & ſeq.
Sancti qualiter à nobis honorentur, 72. Eorum invocatio confirmatur miraculis, 74.
Sanctis injurii à Conciliis generalibus damnantur, 74. Invocandi rationes ex Ambroſio, 76. Eoſdem pro nobis orare de fide eſt, 76. & 77.
Sancti quam differenter à Chriſto advocati, 81. Eorum invocatio, 73. Eorum patrocinium non tam latè patens quam D. V. 84. Eis data gratia per partes, 258.
Sancti viatores matrem Dei in Eccleſia coluerunt,

Digitized by Google

runt, marg. 384.
Sancti, plura, verbo, Beati.
Sara fuit figura D. V. 51.
S. Scripturæ genuina explicatio, 227. Ejuſdem loca pro immacul. Concept. D.V. 214. & ſeq.
Sepulchrum D. V. vacuum repertum, odorem ſpirans, 296. Angelorum cantus, ibid. Miracula, 93. fin.
Sixtus IV. ait D. V. eſſe viam miſericordiæ, in dedic. 2. Idem ſtat pro immacul. Concept. Ejuſdem, 193. Approbavit regulam Monialium Concept. immac. vide ad calcem libri. Indulgentias conceſſit in honorem immacul. Concept. 190.
Sixtus V. pro immacul. Concept. 190.
Spes in Deo ponenda. 7.
Spiritus S. qualem ſponſam conceperit, 41. Cur ad D.V. deſcenderit, 64. Ejuſdem chariſmata illi data in incarnat. filii, 260.
Stultitia in rebus terrenis ſpem ponere in prologo.
Syri qualiter miſſam finiebant, 111.

T.

Theodoricus Aveſnenſis ob flagitia punitus. 135.
Theodoſius Imp. loca martyrum inviſit, 24.
Theophilus ope D. V. à dæmonis poteſtate liberatur, 96. Oratio ejuſdem, ibid.
S. Thomas Aquinas docet D. V. omnibus majora privilegia accepiſſe, 186. Item gratiam pro omnibus fidelibus, 64. Liberat D. V. ab omni actuali peccato, 188. Argumenta in hunc finem fortius militant pro ipſius immunitate ab orig. pecc. ibid. Fatetur ſe errare poſſe, 208.
F. Thomæ Caponi devotio ad D. V. 150.
Thomas à Kempis omittens preces ad D. V. ab ea corripitur, 150.
Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium ſimpliciter credendum, 12.
Sanctiſſima Trinitas ad creationem hominis evocatur, 12.
Trinitatis ſanctiſſimæ perſonæ quid ſingulæ contulerint D. V. 47. & 116.

V.

Vanum quid, 5.
Ubera D. V. in dedic. D. V ubera præbens D. V. ſanat infirmum, 124. Uberum D. V. unum compaſſionis alterum congratulationis in Dedic. D. V.
Viator lumine fidei Deum agnoſcit, 9.
Vincent. Juſtinian. pro immacul. Concept. 193.
Virtutes D. V, 284. & ſeq. Virginitas D. V. 262.
Vita humana vapor, 7.
Vita hominis flori & umbræ ſimilis, 3. Vita quam Heva in poſteros transfert pejor morte, 58. Vita animæ non habetur ab Heva ſed tollitur, 57. Vitæ bene inſtituendæ medium optimum, ſalutatio Angeli, 125.
Vita D. V. ex Patribus, 279. 283.
Urbanus IV. PP. dedit indulgentias, 137.
Waldetrudis, 130.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Errata L. 1. Domus Propitiationis.

In dedicator. B. V. Fol. vlt. lin. 8. *Benedicti*, lege, *Benedici*. ibid. *dignitate*, lege, *dignatione*. ibid. lin. à fin. 14. *perſido*, lege, *perſidos*. ibid. lin. à fin. 10. *eis*, lege, *vis*. In 1. carm. ad hon. B. V. circa fin. *voluntas*, lege, *voluptas*. In dedicator. Epiſt. Fol. 2. fac. 2. init. *reſpondet*, lege, *ſpondet*. ibid. fol. 2. fac. 2. lin. à fin. 12. *fruſtrantur*, *ſancti*. ſic punge, *fruſtantur ſancti*. ibid. fac. 1. lin. 11. *patrocinante*, *eadem*, ſic punge, *patrocinante eâdem*. ibid. fol. 3. fac. 2. lin. 7. *Leonardo*, lege, *Leandro*. ad fin. ep. *abire*, lege, *obire*. In Prol. fol. 1. lin. 10. *requieſcat*, adde, *in te*. In contextu fol. 22. col. 1. lin. 8. *vtro*. lege. *verò*. ibid. col. 2. lin. à fin. 13. *exigit*, lege, *erigit*. ibid. lin. à fin. 6. *& ante omnes*, lege, *& ipſe eſt ante omnes*. Fol. 27. col. 2. lin. 14 *adſperas*, lege, *adſpiras*. Fol. 29. col. 1. lin. à fin. 18. *voluntate*, lege, *voluptate*. Fol. 32. col. 1. lin. 11. *ſine patrono*, lege, *ſine patrono*. Fol. 35. col. 1. lin. à fin. 8. *pluras*, lege, *plura*. ibid. col. 2. *cardinis*, lege, *carduus*. Fol. 36. col. 1. lin. à fin. 16. *abs re*, lege, *non abs re*. Fol.. 39. col. 2. lin. à fin. 7. *in*, lege. *a*. Fol. 44. col. 1. lin. 18. *patientia*, lege, *potentia*. Fol. 46. col. 1. lin. à fin. 2. *Chriſtianus* lege, *Chriſtianos*. Fol. 50. col. 2. lin. 11. *fieret*, lege, *feret*. Fol. 74. col. 1. lin. à fin. 15. *paſcebat*, lege, *poſcebat*. Fol. 75. col. 1. lin. 6. *merita*, lege, *meritò*. ibid. col. 2. lin. 1. *minuſq;*, lege, *nimiſq;*. Fol. 77. col. 2. ad med. *valere*, lege, *valeret*. Fol. 90. col. 2. lin. à fin. 5. *furiant*, lege. *furant*. Fol. 99. col. 2. lin. 16. *præfuerit*, lege, *profuerit*. ibid. lin. 18. *ipſam*, lege, *ipſum*. Fol. 119. col. 1. lin. 13. *percipiebant*, lege, *percipiebam*. Fol. 192. col. 2. lin. à fin. 9. *certam*, lege, *certum*. Fol. 217. col. 2. lin. à fin. 10. *ſucceſſionis*. lege, *ſucceſſiuis*. Fol. 225. col. 2. lin. à fin. 7. *deliberauerant*. lege, *delibauerant*. Fol. 230 Materia §. 18, ſupêrfluit, ejuſq. loco ponenda, quæ habetur.

Ad calcem context. noſtri.

Fol. 234. col. 2. lin. 8. *Sereniſſimo*, lege, *Sanctiſſimo*. Fol. 246. col. 1. lin. à fin. 12. *relatio*, lege, *relato*. Fol. 254. col. 1. lin. à fin. 3. *in medio*, lege, abſq. *in*, aut dele. Fol. 275. col. 1. lin. à fin. 11. *alijs*, lege, *aliquis*. Fol. 285. col. 2. lin. 10. *ſpecialem*, lege, *ſpiritualem*. Fol. 291. col. 1. lin 4. *menſes*, lege, *merces*. *ibid*. lin. 17. *inſignans lege inſinuans*, Fol. 292. col. 1. lin. 11. ſpeciali favore, lege, abſq. ſpec. fav. Fol. 295. col. 2. lin. 12. *mentem*, lege, *meritum*. Fol. 296. col. 2. lin. 13. *nataſium*, lege, *natalem*. Fol. 311. col. 2. ad vlt. verbum lin. *horrea*, adde, *cæleſtia reponere? Profecto ad horum virorum*.

Fol. 312. col. 2. lin. à fin. 6. *cum ſimilis cauſa*. lege, *cum ſimilis in vtroq; appellatio Non ſit tamen vtriuſq; ſimilis cauſa*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-3-3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google